DE

QUARTI EVANGELII AUCTORE

DISSERTATIO

QUAM CUM SUBJECTIS THESIBUS

ANNUENTE SUMMO NUMINE

ET AUSPICE BEATISSIMA VIRGINE MARIA,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

ADOLPHI HEBBELYNCK

SANCT. SUÆ PRÆL. DOM. ECCL. CATH. GAND. CAN. HON.
SACRÆ THEOL. DOCT. SOC. ASIAT. PARIS. SOCII

ET CONSENSU S. FACULTATIS THEOLOGICÆ,

PRO GRADU DOCTORIS S. THEOLOGIÆ,

IN UNIVERSITATE CATHOLICA, IN OPPIDO LOVANIENSI,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDO,
PUBLICE PROPUGNABIT

ACHILLEUS CAMERLYNCK, EX RENINGHELST
PRESBYTER DIŒCESIS BRUGENSIS
S. THEOLOGIÆ LICENTIATUS
ET IN MAJ. SEMIN. BRUG. PROFESSOR

Diebus XIII, XV, XVII mensis Julii, ab hora X ad 1,
anno MDCCCIC.

LOVANII,
EXCUDEBAT J. VAN LINTHOUT,
UNIVERSITATIS CATHOLICÆ TYPOGRAPHUS.

ILLUSTRISSIMO · AC · REVERENDISSIMO

DOMINO · DOMINO

GUSTAVO · JOSEPHO · WAFFELAERT

EPISCOPO · BRUGENSI

SACRÆ · THEOLOGIÆ · DOCTORI

ORDINIS · LEOPOLDINI · BELGII · DECURIONI

PRÆSULI

SCIENTIA · PIETATE · FORTITUDINE · SPECTATISSIMO

CLERI · POPULIQUE · PATRI · AMANTISSIMO

SCIENTIARUM · THEOLOGICARUM

CULTORI · ATQUE · FAUTORI · INSIGNI

IN · PERENNE · GRATI · ANIMI

AC · FILIALIS · AMORIS

TESTIMONIUM

ILLUSTRISSIMO · DOCTISSIMO · DOMINO

ADOLPHO · HEBBELYNCK

SANCTITATIS · SUÆ · PRÆLATO · DOMESTICO
ECCL. · CATHEDR. · GANDAVENSIS · CANONICO · HONORARIO
SACRÆ · THEOLOGIÆ · DOCTORI
SOC. . ASIAT. · PARIS. · SOCIO
UNIVERSITATIS · CATHOLICÆ · RECTORI · MAGNIFICO

&

VIRO · ILLUSTRISSIMO · DOCTISSIMO

THOMÆ · JOSEPHO · LAMY

SANCTITATIS · SUÆ · PRÆLATO · DOMESTICO
ECCL. · CATHEDR. · NAMURCENSIS · CANONICO · HONORARIO
SACRÆ · THEOLOGIÆ · DOCTORI
ORDINIS · LEOPOLDINI · BELGII · DECUR.
ACAD. · REGIÆ · BELG. · ET · PANORMIT.
ET · ACAD. · RELIG. · CATH. · SOCIO
SACRÆ · SCRIPT. · ET · LINGG. · ORIENTT.
ANTECESSORI · PERITISSIMO
SUORUM · STUDIORUM · MODERATORI
HANC · SUAM · LUCUBRATIONEM · DEVOTISSIMO · ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROŒMIUM.

Ad gradum Doctoris in sacra Theologia adspirans, hanc *de quarti evangelii auctore* inauguralem dissertationem conscribendam suscepi. Quibus autem rationum momentis persuasus quæstionem hanc selegerim, quemnam dein intenderim scopum, et qua demum methodo ac ratione assumptum opus sim prosecutus, paucis exponendum duco.

Vix credibile est quot et quantos, inde ab ortu scholæ Tubinganæ, circa sancta evangelia viri tum catholici tum acatholici susceperint labores! Scientia enim historica progrediente, pluribusque effossis sive textibus patristicis, sive evangeliorum manuscriptis ac versionibus, nullum viri eruditi non moverunt lapidem, ut, novis illis subsidiis suffulti, antiquioris christianæ de evangeliorum ortu traditionis jura atque fundamenta comprobarent. Per integrum ferme sæculum, variarum academiarum magistri atque tirones, non tantum Patrum scriptorumque eccle-

siasticorum testimonia de origine evangeliorum, sed et horum characterem internum, linguam atque doctrinam indefesso conatu perscrutati sunt. Eruditos autem de evangeliorum auctoribus admodum varias tulisse sententias haud ignorant quicumque studiorum biblicorum non omnino sunt ignari. Virorum catholicorum persuasione firma inconcussaque permanente, varia acatholicorum systemata alia exceperunt. Quæ irrequieta studia, licet ad antiquiorem traditionem christianam, olim penitus derelictam, pedetentim revertantur, hujus tamen auctoritatem hodiedum etiam criticæ scientiæ nomine haud amplectendam proclamant.

Hinc facile patet catholicæ religionis defensoribus haud leve incumbere officium, ut scientiæ biblicæ quam diligentissime operam navent. Quam obligationem cæteroqui S. D. N. Leo Papa XIII in Litteris Encyclicis « Providentissimus Deus » enixe inculcavit, instanter commendans « ut in sacris seminariis vel academiis sic omnino tradantur divinæ Litteræ, quemadmodum et ipsius gravitas disciplinæ et temporum necessitas admonent. » Quare « optamus, » inquit, « et cupimus ut plures patrocinium divinarum Litterarum rite suscipiant, teneantque constanter. » De sacræ Scripturæ auctoritate humana in specie vindicanda hæc præclare scribit S. Pontifex : « Doctrinam catholicam legitima et sollerti sacrorum Bibliorum interpretatione probasse, exposuisse, illustrasse, multum id quidem est : altera tamen, eaque tam gravis momenti quam operis laboriosi, pars remanet, ut ipsorum auctoritas integra quam validissime asseratur. Quod quidem nullo alio pacto plene licebit universeque assequi, nisi ex vivo et proprio magisterio Ecclesiæ... Quoniam vero divinum et infallibile magisterium Ecclesiæ, in auctoritate etiam sacræ Scripturæ consistit, hujus propterea fides saltem humana asserenda in primis vindicandaque est : quibus ex libris tanquam

ex antiquitatis probatissimis testibus, Christi Domini divinitas et legatio, Ecclesiae hierarchicæ institutio, primatus Petro et successoribus ejus collatus, in tuto apertoque collocentur. Ad hoc plurimum sane conducet, si plures sint e sacro ordine paratiores, qui hac etiam in parte pro fide dimicent et impetus hostiles propulsent, induti præcipue armatura Dei, quam suadet Apostolus, neque vero ad nova hostium arma et prælia insueti. »

In rei opportunitate, a sapientissimo Pontifice tantopere commendata, præcipuum hujusce dissertationis, qua debitum academicum persolverem, nactus sum motivum; eoque potissimum impellente, necnon suadente auctoritate eximiorum magistrorum, — quibus dum vivam, gratum exhibebo animum — veram quarti evangelii originem exponendam suscepi. Impulit etiam ut « quæstionem joanneam, » uti ajunt, aggrederer, consensus qui inter criticos acatholicos quibusdam abhinc annis, post acres de variis punctis controversias, jamjam obtinet; adeo ut propositæ quæstionis campus, quamvis in immensum adhuc pateat, investiganti jam magis circumscriptus esse videatur. Nec tales idcirco disputationes ingressus sum, de quibus cujusvis scholæ auctores critici omnino conveniunt; at, brevitati studens et utilitati, eas potius tractavi quæstiones quæ disceptationi remanent obnoxiæ.

Nec quidquam quod ad quarti evangelii originem demonstrandam conducere videtur, prætermissum esse confido. Nihil enim in conficiendo libro antiquius habui, quam ut variorum auctorum sive catholicorum, sive acatholicorum scripta perlegerem, sincera mente exponerem argumenta, ac veritati unice studens proprias stabilirem conclusiones. Unde spero fore ut æquo animo rationum momenta lectores, scriptum meum pervolventes, librare atque dijudicare faveant. — Disquisitio dupli-

cem complectitur partem; prior (1) Traditionis testimonium, altera vero interna evolvit criteria. Quæ partitio non tantum claritati integritatique consulere nata videtur, sed a peritissimis artis criticæ magistris commendatur (2). In utraque autem parte eas agitavi quæstiones quæ in statu studiorum biblicorum hodierno ad propositum scopum magis conducere videntur.

Atque hæc tantum præfari volebam, de quæstionis statu et methodo in *Prolegomenis* opportunius forsan quædam traditurus.

Scribebam Brugis, 30ª Januarii 1899.

AUCTOR.

(1) Quæ sola nunc prodit ut præscripto academico satisfiat; quam altera brevi subsequetur.

(2) Ch. DESMEDT, S. J. *Principes de la critique historique,* Liége et Paris, 1889, p. 90.

BIBLIOGRAPHICA SIGNA.

—

adv. H. = S. Irenæus, adversus Hæreses, editio W. Wigan Harvey, Cantabrigiæ 1857.

Ap. Z. A. = C. Weizsaecker, *Das apostolische Zeitalter der christlichen Kirche,* Freiburg i. B. 1892.

Apocr. AG. AL. = R. A. Lipsius : *Die apocryphen Apostelgeschichten und Apostellegenden.* Braunschweig, 1883-1890.

Chron. A. C. L. = *Chronologie der altchristlichen Litteratur bis Eusebius* von Ad. Harnack I, *Die Chronologie der Litteratur bis Irenæus.* Leipzig, 1897.

Cont. R. = *Contemporary Review.* London.

Einl. = *Lehrbuch der historisch-kritischen Einleitung in das Neue Testament* von H. J. Holtzmann, Freiburg i. B. 1892. — It. A. Hilgenfeld, Leipzig, 1875. — It. Aberle-Schanz, Freiburg i. B. 1877. — It. Bleek-Mangold, Berlin 1886. — It. A. Schaefer, Paderborn 1898. — It. F. Trenkle, Freiburg i. B. 1897. — It. B. Weiss, Berlin 1897. — It. Th. Zahn, Leipzig, I, 1897, II, 1899.

Forsch. G. N. K. = *Forschungen zur Geschichte des neutestamentlichen Kanons* von Th. Zahn. Erlangen und Leipzig.

Gesch. A. C. L. = *Geschichte der altchristlichen Litteratur bis Eusebius* von von Gebhardt und Ad. Harnack, Leipzig 1893.

G. J. V. = E. Schürer, *Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu-Christi.* Leipzig. Zweite Auflage.

G. N. K. = Th. Zahn, *Geschichte des neutestamentlichen Kanons,* Band I 1, 1888, I 2, 1889, II 1, 1890, II 2, 1892. Erlangen und Leipzig.

H. E. = Eusebius, *Historia Ecclesiastica* (Editio Migne).

Kath. = Der Katholik, Zeitschrift für katholische Wissenschaft und kirchliches Leben, herausgegeben von *J. Raich.* Mainz.

N. T. Th.	= H. J. Holtzmann : *Lehrbuch der neutestamentlichen Theologie.* Freiburg i. B. 1897.
O. P. A.	= *Opera Patrum Apostolicorum,* Editio F. Funk, Tubingæ 1887.
P. G.	= Migne (M) *Cursus Patrologiæ Græcæ* (Paris. 1857-1866).
P. L.	= Migne (M), *Cursus Patrologiæ Latinæ* (Paris. 1844-1855).
P. R. E.	= *Protestantische Realencyclopädie für Theologie und Kirche.*
R. B.	= *Revue biblique internationale,* Paris.
R. H. L. R.	= *Revue d'histoire et de littérature religieuses.* Paris.
R. H. R.	= *Revue de l'histoire des Religions.* Paris.
Sc. C.	= *La Science catholique.* Arras-Paris.
St. Kr.	= *Theologische Studien und Kritiken,* herausgeg. von (E. Riehm) J. Köstlin und E. Kautzsch.
Th. L. B.	= *Theologisches Litteraturblatt,* herausgegeben von C. E. Luthardt. Leipzig.
Th. L. Z.	= *Theologische Litteraturzeitung,* herausgeg. von A. Harnack und E. Schürer. Leipzig.
Th. Qu.	= *Theologische Quartalschrift,* herausgegeben von Kober, Funk etc. Tübingen.
Th. T.	= *Theologisch Tijdschrift,* onder redactie van F. van Bell etc., Leiden.
T. St.	= *Texts and Studies.* Cambridge.
T. U.	= *Texte und Untersuchungen zur Geschichte der Altchristlichen Litteratur,* herausgeg. von O. von Gebhardt und Ad. Harnack, Leipzig.
Z. K. G.	= *Zeitschrift für Kirchengeschichte,* herausgeg. von Th. Brieger und B. Bess. Gotha.
Z. K. Th.	= *Zeitschrift für katholische Theologie,* Innsbruck.
Z. h. Th.	= *Zeitschrift für die historische Theologie,* herausg. von (C. J. Illgen, C. W. Niedner und) K. J. Kahnis. Gotha.
Z. Th. K.	= *Zeitschrift für Theologie und Kirche,* in Verbindung mit Harnack, Herrmann, Kaftan, Reischle, Sell, herausgegeben von Gottschick, Friburg i. B.
Z. w. Th.	= *Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie,* herausgegeben von Ad. Hilgenfeld. Leipzig.

Nota. — In citandis textibus Novi Testamenti adhibui editionem Frid. Brandscheid, *Novum Testamentum græce et latine,* Friburgi B. 1895.

INDEX.

—

PROLEGOMENA :

PAG.

Historia controversiæ 1
Prima periodus 2
Secunda periodus 5
Tertia periodus 10
Status quæstionis 14
1° De controversia paschali. 14
2° De Identitate auctoris omnium scriptorum Joanneorum 17
3° Quæstiones cum disquisitione de quarti evangelii origine connexæ 23

PARS PRIOR.

ANTIQUA TRADITIO DE ORIGINE EVANGELII S. JOANNIS.

CAPUT I. Examen quorumdam antiquiorum de existentia et usu evangelii S. Joannis testimoniorum 29

Articulus I. — Evodius (70-100 post ch.) 29
Articulus II. — Doctrina duodecim Apostolorum . . . 31
Articulus III. — S. Ignatius Antiochenus 33
Articulus IV. — S. Justinus Martyr. 36
Articulus V. — Presbyteri apud S. Irenæum (adv. Haer. II, 22, 5 et V, 36, 2) et Papiam . . . 39
Articulus VI. — Actus Leucii et evangelium S. Joannis . 42

CAPUT II. Commoratio ephesina Joannis Apostoli. — Joannes Presbyter.
§ I. Commoratio ephesina Joannis Apostoli 52
Prænota 52
Articulus I. — Apocalypsis S. Joannis. 56
Articulus II. — Difficultates contra ephesinam Joannis *apostoli* commorationem motæ 66
§ II. Joannes Presbyter 72
Articulus I. — De Cerintho ejusque doctrina 73
Articulus II. — De Cajo Romano ejusque erga scripta joannea habitudine 80
Articulus III. — Dionysius Alexandrinus de « Presbytero » Joanne. 85
Articulus IV. — Eusebius de Joanne Presbytero . . . 88
Articulus V. — Joannes in Fragmento Muratoriano . . 96
Articulus VI. — Joannes Presbyter apud Papiam . . . 98
§ 1. — Quinam in fragmento nomine « πρεσβυτέρων » veniunt? 100
— Fragmenta ex opere Papiæ servata, ac auctores qui Papiæ libro usi sunt 108
— Presbyteri apud S. Irenæum 109
§ 2. — An duo diversi Joannes apud Papiam nominantur 120
§ 3. — Quid judicandum de nova hypothesi ab Haussleiter proposita, quæque textum Papiæ interpolatum fuisse affirmat? 125

CAPUT III. De S. Irenæi in joannea quæstione testimonio . . 128
Conclusio 138

CAPUT IV. De Alogis eorumque adversus Joannis Evangelium oppositione 145
Articulus I. — De Alogis Asiaticis 146
— De Alogorum orthodoxia 154
— Alogorum adversus Joannis scripta oppositio dijudicatur 161
Scholion 166
Articulus II. — De Alogorum influxu in Occidentales . . 166
§ 1. — De Alogorum doctrinæ cum Muratoriano fragmento connexione 167

§ 2. — De Caji Romani ad Alogos relatione 170
§ 3. — De Theodoti Byzantii et Artemonis erga Joannis evangelium habitudine 173
— 1° De Theodoti Coriarii christologia . . . 173
— 2° De Artemonis in Joannis evangelium habitudine 176
§ 4. — De Prologis Monarchianis 177

CAPUT V. Traditionis testimonia de Joanne Apostolo quarti evangelii auctore, et de nonnullis in quibus scriptum fuit quartum evangelium adjunctis. 189

1° Antiqua traditio catholica. 190
2° Acta syriaca apocrypha S. Joannis 201
3° Notitia apud Prochorum et scriptores a Prochoro pendentes 202
4° Collectio actorum apocryphorum Abdiæ 205
— Tempus scriptionis quarti evangelii. 206
— Locus scriptionis quarti evangelii 207

ERRATA

P. 7, l. 9 : contra Tubingenses...	lege : contra Tubingenses scripserunt.
» 10, » 15 : quidem et gnosticismo	» quidem ex gnosticismo.
» 14, » 15 : statnm	» statum.
» 24, » 26 : *Literatur*	» *Litteratur*.
» 40, » 30 : sigillatim	» singillatim.
» 42, » 18 : ὁμολογῆ	» ὁμολογῆ.
» 55, » 2 : rarum	» parum.
» 55, n. 2 : p. 675 ns pro Apocalypsi	» p. 675 n. 1 pro Apocalypsi.
» 65, l. 7 : tractabimus in c. IV	» tractabimus in § II et c. III.
» 65, » 1-4 : ecclesiæ... luculenter ostendit quantum	» luculenter ostendit quantum ecclesiæ...
» 70, » 4 : codd. C E E	» codd. C D E.
» 70, » 30-31 : igno-sse	» ignorasse.
» 82, » 5 : agressum	» aggressum.
» 88, n. 2 : POGGEL, *o. c.* p. 695 ss.	» POGGEL, *o. c.* p. 95 ss.

P. 95, n. 2 : ex ageratam	lege :	exaggeratam.
» 98, » 3 : καὶ τῶν λοιπῶν ἀποστόλιον	»	καὶ τῶν λοιπῶν ἀποστόλων.
» 100, l. 9 : *veniant*	»	*veniunt.*
» 106, n. 1 : was Jaoobus	»	was Jacobus.
» 113, l. 3 : IV, 36, 1	»	V, 36, 1.
» 115, » 4 : *abordinationem*	»	*adordinationem.*
» 115, n. : οἱ προβεβληκότες	»	οἱ προβεβηκότες.
» 122, l. 9 : sicut Papeas	»	sicut Papias.
» 128, n. 2 : ἀλλά σχεὸν	»	ἀλλὰ σχεδὸν.
» 133, l. 14 : τῆς διαθήκας	»	τῆς διαθήκης.
» 138, » 10 : In fine hujus primi capituli	»	In fine hujus tertii capituli.
» 141, n. 2 : ὅτι Ἰωάννης	»	ὅτι Ἰωάννης.
» 142, » 1 : apostolum scil. nominat	»	apostolum scil. nominant.
» 144, l. 17 : τῶν ἑωρακότον	»	τῶν ἑωρακότων.
» 145, » 13 : favere tenet	»	favere tenent.
» 148, » 13 : etiam a fratum	»	etiam a fratrum.
» 148, » 26 : donum spiritus fustrentur	»	donum spiritus frustrentur
» 148, n. 1 : mutatum fnerit	»	mutatum fuerit.
» 149, l. 11 : recte confici potest	»	recte conjici potest.
» 149, » 26 : affinitas Irenæo cum	»	affinitas cum Irenæo.
» 150, » 9 : τάδε κλευάξοντες	»	τάδε κλευάζοντες.
» 150, » 12 : τινες ἀξ αὐτῶν	»	τινες ἐξ αὐτῶν.
» 153, » 19 : commerationem	»	commorationem.
» 154, » 21 : opponebat	»	opponebant.
» 157, » 9 : aliorumqae	»	aliorumque.
» 159, » 19 : Plures, auctores	»	Plures auctores,.
» 160, » 3 : se eamdem fidem de nos	»	se eamdem fidem ac nos.
» 163, n. 4 : erga millenarismum quod in Apocalypsi detegere Montanistæ putabant	»	erga millenium quod in Apocalypsi detegere se Montanistæ putabant.
» 164, l. 26 : et revera auctor scriptorum	»	et revera scriptorum.
» 165, » 14 : Nam cum traditione	»	Nam cum traditioni.
» 169, n. 1 : Ausführamgen	»	Ausführungen.
» 171, l. 24 : nemo dicit	»	nemo dicet.
» 172, » 19 : in Alogis tanquam	»	in Alogos tanquam.
» 172, n. 1 : Septinius Severus	»	Septimius Severus.
» 173, l. 7 : accepisse teuent	»	accepisse tenent.
» 174, » 9 : caute accipiendum est	»	accipiendum est.
» 174, » 20 : Christi negavit	»	Christum negavit.
» 176, » 11 : **De Artemonis Joannis**		**De Artemonis erga Joannis.**
» 179, » 7 : se habet	»	se habeat.
» 179, » 9 : reperitur	»	reperiatur.
» 195, » 1-2 : rediisset, Ephesum	»	rediisset Ephesum.
» 195, » 32 : si, indicto, jejunio in	»	si, indicto jejunio, in.
» 201, » 31 : e qua	»	e quibus.
» 204, n. 4 : ὁ ἀδελφὸς αὐτυῦ	»	ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ.

PROLEGOMENA.

HISTORIA CONTROVERSIÆ ET STATUS QUÆSTIONIS (1).

Longa hujus controversiæ historia in triplicem quasi periodum commode dividi posse videtur, quarum prima a sæculo XVIII exeunte usque ad scholæ tubingensis ortum — secunda a tubingensis criticæ methodi apparitione usque ad annum 1890 circiter deduceretur —, tertia vero ultimum circiter decennium complecteretur. Triplicem hanc periodum breviter adumbrare, et uniuscujusque epochæ antesignanos eorumque opera præcipua enumerare conabimur.

(1) Integram controversiæ historiam tradere, citatis omnibus qui ei immixti fuerunt auctoribus, prius animo volvebamus. Sed, ut a proposito desisteremus, præter temporis breve spatium nobis concessum, documentorum etiam ingens copia inventa multum contulit. Hæc enim historia jam integrum ferme volumen compleret. Sufficiat igitur ea indicare opera in quibus varia controversiæ fata necnon bibliographica indicia reperire est. Sequentes adiri possunt auctores : C. E. LUTHARDT, *Der Johanneische Ursprung des vierten Evangeliums*. Leipzig, 1874, p. 6-19; Nachtrag, p. 223 s. — LÜDEMANN, *Jahrbb. für protest. Theologie*. 1879. — F. GODET, *Commentaire sur l'Evangile de S. Jean*. Genève, 1881, p. 10-41. — BLEEK-MANGOLD, *Einleitung in das Neue Testament*. Berlin, 1886, p 281 ss. — E. SCHÜRER, *Ueber den gegenwärtigen Stand der johanneischen Frage*. Giessen, 1889. — WATKINS, *Modern criticism in its relation to the 4 Gospel*. Bampton Lectures, p. 187-413. — H. J. HOLTZMANN, *Einl. in das N.T.* Freiburg i. B., 1892, p. 433-438. — B. WEISS, *Einl. in das N. T.* Berlin, 1897, p. 583-594. — *Theologischer Jahresbericht* inde ab a° 1882. — *Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie* (AD. HILGENFELD)-passim. — CORNELY, *Historica et critica introductio in U. T. libros sacros*, vol. III (1886), p. 216 ss. — KNABENBAUER, *Evangelium secundum Joannem*, 1898, p. 24 ss.

Prima Periodus.

Omissis Alogis — de quibus in dissertatione sat longo sermone tractaturi sumus — tota traditio inde ab initio usque ad sæculum XVIII in Joanne apostolo tanquam quarti evangelii auctore asserendo concors deprehenditur. Solivaga Deistarum anglorum sententia circa a. 1720 contradictione notata fuit (1). « joannea quæstio » sæculo XVIII vertente proprie moveri cœpit.

Initio tamen controversiæ in Anglia primum et postea in Germania exortæ, non tam proprie dicta systemata scientifica quam separata dubitandi motiva contra apostolicam originem producta fuerunt. Ita a. 1792 Evanson (2) primus quædam dubia movit, et differentiis quartum evangelium inter et Apocalypsin vigentibus præsertim nixus, evangelium a platonico philosopho converso sæculi secundi scriptum asseruit. In Germania autem Eckermann (3) fontem quemdam apostolicum, sed a quodam Apostoli discipulo retractatum agnovit, at brevi post (4) sententiam suam retractavit. Contradictores tamen alii exorti sunt (5) quorum omnium argumenta coævos auctores parum commoverunt (6). Methodo jam magis scientifica scripsit Bretschneider : *Probabilia de evangelii et epistolarum Joannis indole et ori-*

(1) Contra horum conatus quartum evangelium defendit Lampe, *Commentarius exegetico-analyticus.* Amsterdam, 1724-26.

(2 *The dissonance of the four generally received evangelists.* Huic operi J. Priestley et D. Simpson statim contradixerunt.

(3) *Theologische Beiträge* T. V, 2, 1796. Contra eum scripserunt Storr ac Süsskind in « *Flatts Magazin* » 1796.

(4) *Erklärung aller dunkeln Stellen des N. T.* 1807.

(5) Auctor anonymus (Vogel) : *Der Evangelist Johannes und seine Ausleger für den jungsten Gericht* 1801 (auctorem admisit judæo-christianum qui joannea elementa etiam interpolationibus amplificaverit). — Horst, *Henke's Museum für Religionswissenschaft,* 1803, I, p. 47 ss. — Cludius, *Uransichten des Christenthums* 1808, p. 40 ss. — Ballenstedt, *Philo und Johannes* 1812.

(6) Ita Wegscheider (*Versuch einer vollständigen Einleitung in das Ev. Johannis* 1806), Hug. (1808), Eichhorn (1810), Bertholot (1813) in *Introductionibus* suis *ad N. T.* authentiam admiserunt, eique sententiæ etiam Gieseler nomen dedit (*Historisch-kritisch Versuch über die Entstehung und die frühesten Schicksale der schriftlichen Evangelien* 1818).

gine, 1820. Difficultatibus antea propositis novas adjunxit, ita ut omnia fere dubitationis motiva quæ in hodiernis systematibus contra quarti evangelii authentiam afferuntur jam ab illo auctore indicata fuerint. Argumenta tum externa tum præsertim interna proposuit, e quibus auctorem non palæstinensem neque judæum fuisse sed potius ethnico-christianum, eumque sæculo II ineunte vel paulo postea contra judæos adversarios polemice scripsisse deduxit. Juxta Bretschneider non Jesus ipse, sed evangelista ore Christi loquitur. Christi imago in quarto evangelio a synoptica imagine discrepat, Christique sermones cum synopticorum prædicationibus collati, harum genuinum characterem ostendunt; quod si Apocalypsis Joanni apostolo tribuenda sit, eo certius evangelium alii adjudicandum esse vult; epistolarum testimonium — cum et ipsæ tanquam spuriæ habendæ sint — subsidio esse nequit; testimonia extrinseca autem vel nimis incerta sunt vel tardiora quam ut illis fidere possimus. Antiquus et familiaris evangelii apud Valentinianos usus scriptum ex Ægypto oriundum demonstrat.

Thesis illa a Bretschneider evulgata plurium auctorum animos commovit, pluraque in favorem authentiæ polemica scripta (1) provocavit, ita ut Bretschneider ipse sententiam suam retractaverit, propositumque sibi scopum, nempe quarti evangelii authentiæ solidiorem demonstrationem, obtentum declaraverit.

Dubia revera fere oblivioni data videbantur ità ut auctores quidam, — inter quos præ cæteris Schleiermacher (2) recensendus est — jam quartum evangelium ut historicum fontem præ synop-

(1) Stein, *Authentia evangelii Joannis* 1822. — Hemsen, *Die Authentie der schriften des Evangelisten Johannes* 1823. — Usteri, *Commentatio critica in qua evang. Jo. genuinum esse ostenditur* 1823. — Weber, *Authentia capitis ultimi ev. Joh. hujusque ev. totius* 1823. — Thomson, *Die Authentie der Schriften des Evangelisten Johannes* 1823. — Calmberg, *De antiquiss. patrum pro ev. Jo.* αὐθεντια *test. diss.* 1823. — Olshausen, *Die Ächtheit der vier canonischen Evangelien* 1823. — Crome, *Probabilia haud probabilia* 1824. — Guericke, *Beiträge* 1829.— Adde *comment.* Lücke (1820) Kuinöl (3a ed. 1825), Tholuck (1827), Klee (1829), denique Hase (*Leben Jesu* 1829), Schott (1830) ac Feilmoser (1830) in *Introd.* suis, necnon Hauff (*Die Authentie und der hohe Werth des Ev. Joh.* 1831).

(2) Passim, cfr *Einleitung in das N. T.* 1845.

ticorum narratione anteponendum esse proclamarent. Credner ex solis internis criteriis apostolicam evangelii originem demonstrari posse autumabat (*Einleitung in das N. T.* 1836).

Licet Strauss in mythico systemate proponendo non tam propriam sententiam relate ad evangeliorum originem, sed præcedentium quorumdam auctorum (1) vestigia insectatus fuerit (*Leben Jesu* 1835), nova polemica scripta suscitavit quorum unum (Neander, *das Leben Jesu* 1837) eum in joannea quæstione hæsitantem reddidit (3ª ed. 1838); brevi tamen postea (4ª ed. 1840) priores concessiones retractavit.

Straussii liber eum apud criticos effectum obtinuit ut intima connexio inter vitæ Christi historiam et fontes in quibus narratur magis jam attentionem cieret (2). Bruno Bauer (3), non jam ut Strauss narrationem joanneam ut mythicam habebat, seu ut fictiones fabulosas quibus populi phantasia veritates ordinis religiosi vestire solet inconscia, sed potius historiam illam ut scriptum ab auctore quodam philosopho in determinatum finem excogitatum. Eodem tempore Lützelberger ephesinam apostoli commorationem negavit (4), adeoque integram joanneam traditionem funditus evertere conatus est, dum anonymus auctor (5) jam inter ipsa evangelia, — quæ tamen ut fontes authenticos ex apostolico tempore reputabat — apertam oppositionem latere autumabat. Ita Matthæi evangelio quartum evangelium repugnare aiebat.

Omnia tamen hæc systemata paucos numerarunt sequaces et ab ipsis Tubingensibus ut arbitraria et commentitia habita fuerunt (6).

(1) Secutus est Gieseler et Griesbach quoad synoptica evangelia, Bretschneider quoad evangelium Joannis.

(2) Weisse, *Die evangelische Geschichte kritisch und philosophisch bearbeitet* 1838. — Wilke, *Der Urevangelist* 1838.

(3) *Kritik der evangelische Geschichte des Johannes* 1840.

(4) *Die kirchliche Tradition über den Apostel Johannes und seine Schriften in ihrer Grundlosigkeit nachgewiesen* 1840.

(5) (Der Sæchsische Anonymus) : *Die Evangelien, ihr Geist* etc. 1845.

(6) Schwegler, *Theol. Jahrbb.* 1842, p. 293 s. — Baur, *Ibid.* 1851, p. 292 s.

Secunda Periodus.

Nova periodus in joannea quæstione cum scholæ tubingensis ortu incœpit. Non omnia tamen in systemate suo scholæ antesignanus Ferdinand-Christian Baur innovavit, at plura apud eum occurrunt argumenta jam a Bretschneider adhibita, sed plane retractata, confirmata novaque methodo proposita. Etenim Baur non tam directe quæstionem « utrum ab Apostolo necne scriptum esset quartum evangelium » movere videbatur, sed peculiaris potius hujus evangelii indolis intelligentiam prosequi, ut deinde in primævo christianismo statum historicum ei respondentem detegeret.

Totius systematis sui basin in paulinis epistolis quærendam ducebat. Talia enim in illis epistolis indicia latere putabat e quibus relationes constaret Paulum inter et alios apostolos non eas viguisse quales in scriptis nobis servatis elucent. Duas enim partes invicem oppositas quarum Petrus et Paulus duces fuissent in primævo christianismo jam invaluisse, earumque vestigia in variis temporis post-apostolici monumentis impressa fuisse (1). Methodum illam Actibus Apostolorum canonicisque epistolis prius, postea vero ipsis evangeliis applicavit. In quarto autem evangelio totam primitivi christianismi evolutionem reperire voluit : nempe Judæo-christianismi cum universalismo pauliniano reconciliationem, unitatem jam et concordiam ecclesiæ catholicæ constitutam, insuper Montanismi ortum et controversiarum paschalium apparitionem nec non gnosticorum speculationes theosophicas (2). Cum apostolus Joannes, juxta Baur, acerrimus S. Pauli fuisset adversarius, auctor præterea judaïsticæ Apocalypseos, jam ex indole prorsus opposita quarti evangelii hujus auctorem apostolum fuisse impossibile videbatur. Sed præterea status historicus, juxta Baur, internæ evangelii

(1) *Theol. Jahrbb.* 1851, p. 294.

(2) Jam antea SCHWEGLER, Ferdinandi-C. Baur discipulus similem quarto evangelio historicum characterem tribuerat. *(Der Montanismus und die Kirche des zweiten Jahrhunderts* 1841) — Cfr etiam KÖSTLIN, *Der Lehrbegriff des Ev. und der Briefe Johannis* 1843.

indoli respondens ante medium sæculum II inveniri nequit. Etenim annis 160-170 circiter doctrina de Verbo quæ evangelii fundamentalem ideam exprimit, eruditos christianos sollicitos tenebat. Plures autem coævas controversias obiter attingens variis ecclesiæ partibus accepta erat : montanistis utpote quibus Paracleti adventum a Christo promissum exhibebat, ethnico-christianis quatenus Christum verum agnum paschalem die 14 Nisan occisum docens controversiam in occidentalium favorem dirimebat. Scriptum igitur proprie historicum minime erat, sed auctor quidam ethnico-christianus externa historiæ specie doctrinas suas evulgari, atque christianismi universalitatem ac unitatem prosecutus est (1).

Magistri systema plures discipuli corroborare et novis fulcire argumentis statim conati sunt. Zeller (2) traditionem ecclesiasticam aggressus est, et in specie S. Justini opera a quarto evangelio plane independentia prædicavit.

Ex alia autem parte eruditissimus auctor Adolf Hilgenfeld connexionem evangelii cum gnosticismo et cum controversia paschali accuratius demonstrare indefesso labore nitebatur, illudque circa a. 130-140 scriptum docebat (3). Volkmar in Germania (4) et Scholten in Hollandia (5) systema a Baur excogitatum in variis scriptis suis amplexi sunt. Attamen thesibus tubingensibus extra ipsam scholam non multi auctores calculum adjecerunt, et statim illi systemati audaci plures authentiæ evangelii defensores contradixerunt.

(1) Cfr Baur, *Theol. Jahrbb.* 1844 et *Kritische Untersuchungen über die kanonischen Evv.* 1847.

(2) *Theol. Jahrbb.* 1845. — Nominandi sunt etiam Schwegler et Köstlin.

(3) *Das Ev. und die Briefe Johannis nach ihrem Lehrbegriff dargestellt* 1849. — *Der Passahstreit der alten Kirche* 1860 et innumeris aliis locis præsertim in periodico suo « *Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie* » in quo hodiedum indefesso labore auctor ille singulas quæ de quarto evangelio proponuntur theorias dijudicat et in crisin vocat. — Cfr d'Eichthal, *Les Evangiles*, 1863, T. I.

(4) Inde ab anno 1857 in variis scriptis. Cfr præsertim *Der Ursprung unserer Evangelien* 1866 — contra opus Tischendorfii « *Wann wurden unsere Evangelien verfasst* 1865 » scriptum.

(5) *Het Evangelie naar Johannes* 1864. — Cfr etiam Stap, *Etudes historiques et critiques sur les origines du christianisme* 1863.

Ebrard (1) primus contradictionem movit. Thiersch (2) novæ scholæ principia ac methodum aggressus est, ita quidem ut Baur vehementi scripto responderit (3). Eodem tempore tubingensem doctrinam Bleek (4) erudita et critica methodo impugnavit. Mox autem specialia argumenta tubingana in crisin vocarunt Weitzel (5) (controversiam paschalem internumque evangelii auto-testimonium) et Semisch (6) (quarti evangelii usum apud S. Justinum). Inde ab anno 1851 Ewald authentiam evangelii propugnavit (7) et polemice contra Tubingenses Meyer (in commentario) Brückner (in commentario De Wette 4ª ed.), Luthardt (8), Ad. Maier (9) et Reithmayr (10). Niermeyer (11) Apocalypsin et quartum evangelium ab eodem scripta fuisse auctore in docto libro asseruit, quam thesin etiam Hase (12) paulo post amplexus est.

Externis testimoniis demonstrandis institerunt præsertim Ewald (13), Schneider (14), Riggenbach (15), Hofstede de Groot (16).

(1) *Das Evang. Joh. und die neueste Hypothese über seine Entstehung* 1845. — Citandi etiam MERZ, *Studien der evangelischen Geistlichkeit Würtembergs* 1841, 2, et HAUFF, *Studien und Kritiken* 1844 et 1846.

(2) *Versuch zur Herstellung des historischen Standpunkts für die Kritik der NTlichen Schriften* 1845.

(3) *Der Kritiker und der Fanatiker in den Person des Herrn H. W. J. Thiersch* 1846. Huic scripto THIERSCH opposuit : « *Einige Worte über die Echtheit der neutestamentliche Schriften, zur Erwiederung* etc. » 1847.

(4) *Beiträge zur Evangelienkritik* 1846. *(Einleitung* 1862).

(5) *Die christliche Passahfeier der drei ersten Jahrhunderte* 1848. — Cfr etiam STEITZ, *Studien und Kritiken* 1856-1857.

(6) *Die apostolischen Denkwürdigkeiten des Märtyrers Justin* 1848.

(7) *Jahrbb. für biblische Wissenschaft; Die Johanneischen Schriften* (1851, 1853, 1860, 1863).

(8) *Das Johanneische Evangelium nach seine Eigenth. geschildert* 1852.

(9) *Einleitung i. d. Schr. des N. T.* 1852.

(10) *Einleitung in die kanon. Bücher des N. B.* 1852.

(11) *Over de Echtheit der joh. Schriften* 1852.

(12) *Die Tübinger Schule. Sendschreiben an Baur* 1855.

(13) *Jahrbb. für bibl. Wissens.* 1853.

(14) *Die Echtheit des johanneischen Evangeliums* 1854. — Cfr etiam K. MAYER, *Die Echtheit des Evangelium Johannis* 1854.

(15) *Die Zeugnisse für das Evang. Joh. neu untersucht* 1866 (scripsit contra opus VOLKMAR, *Der Ursprung unserer Evangelien* 1866).

(16) *Basilides als erster Zeuge für das Alter der NTlichen Schriften, insbesondere des Johannes* 1868 (Impugnavit in hoc scripto SCHOLTEN : *Die ältesten Zeugnisse in Betreff der Schriften des N. T.'s.* 1867).

Indefessi illi conatus, necnon quorumdam antiquorum documentorum inventio (*Philosophoumena* l. IV-X ed. Miller 1851; *Clementinorum scriptorum finis*, ed. Dressel 1853; *Ephræmi Syri de Tatiani Diatessaron commentarius*, Semisch 1856) Tubingenses ut pluribus renuntiarent argumentis coegerunt. Eo ipso quoad evangelii originis epocham paulatim retrocedebant, ita ut Hilgenfeld jam evangelium circa a 135 exaratum profiteretur (1).

Commorationem asiaticam Joannis contra Keim (*Geschichte Jesu v. Nazara* 1867) defendendam Steitz (2) et Wabnitz (3) susceperunt. Wittichen (4) autem quartum evangelium contra Ebionitas statim post Hierosolymæ ruinam in Syria scriptum, Apocalypsin vero a Joanne presbytero in Asia Minori compositam dicebat. Antea jam Zahn (5) et Riggenbach (6), inspecto Papiæ fragmento, duplicis Joannis distinctionem negaverant.

In apostolicæ Joannis evangelii originis favorem scripserunt Diotavelli (1861) qui plurium objectiones docte solvit, et insuper commentatores Hengstenberg (1861), Lange (1862), Glaire, De Valroger (1861 ,Bäumlein (1863), Godet (1864), Danco (1867), Deramey (1868), Schanz (1885), Wahle (1888), necnon multi alii auctores Astie, Lechler, Tiele, Schneider, Oosterzee, de Pressensé, Sanday (7), Leuschner, Schnedermann, Luthardt (8), Beyschlag (9), B. Weiss (10), Jonker, Stemler, Pfeiffer, Geschwind, Wichelhaus, Salmon, Westcott, Nyegaard, Wirz, Lob-

(1) *Die Evangelien nach ihre Entstehung und geschichtliche Bedeutung* 1854.

(2) *Studien und Kritiken* 1868.

(3) *Bulletin théologique* 1868 : « *Défense du quatrième évangile* ».

(4) *Der geschichtliche Charakter des Evangelium Joh. in Verbindung mit der Frage nachs Ursprung* 1369. — Contra Wittichen scripsit Pfleiderer : *Beleuchtung der neusten Joh. Hypothese, Z. W. Th.* 1868.

(5) *Papias von Hierapolis, Studien und Kritiken* 1866.

(6) *Riggenbach, Johannes der Apostel und Presbyter, Jahrbb. für deut. Theol.* 1868. — Cfr etiam Leimbach : *Das Papiasfragment* 1875.

(7) *The authorship and historical character of the fourth Gospel* 1872.

(8) *Der Johanneische Ursprung des vierten Evangeliums* 1874.

(9) *Studien und Kritiken* 1874 et 1875.

(10) In commentario Meyerii (6ª ed.). — Cfr ejus *Einleitung in das N. T.* 3ª ed. 1897.

stein, Ritschl, Kaftan, Köhler, Kranke, Wendt, Lightfoot (1), Müller (2), Keil, Corluy, Cornely (3), Batiffol, Th. Zahn, etc.

Mediam quamdam viam plures scriptores ingressi sunt sive historicam quamdam traditionem ab apostolo Joanne oriundam et a discipulo quodam vel discipulorum cœtu libere retractatam admittentes, sive proprie dictam interpolationis hypothesin proponentes (4), sive etiam (quod revera cum proprie dicta authentia fere æquiparandum videtur) Apostolum evangelium suum discipulo dictasse affirmantes (5). Tanquam hujus intermediæ sententiæ patronus præcipuus qui ab a. 1857 usque ad hanc diem pluribus scriptis eam defendit, C. Weizsäcker reputandus est (6). Weizsäcker evangelio originem apostolicam mediatam tantum (mediantibus scil. discipulis seu communitate joannea) agnoscit. Character ille Joanni in quarto evangelio proprius in arctissima

(1) In variis suis scriptis, præsertim in « *Essays on... supernatural Religion* » 1893, et « *Biblical Essays* » 1893.

(2) *Göttliches Wissen und Göttliche Macht des johanneischen Christus* 1882. *De nonnullis doctrinæ gnosticæ vestigiis quæ in quarto evangelio inesse feruntur.* 1883.

(3) *Historica et critica Introductio in U. T. libros sacros, Introd. spec.* III, (1886).

(4) Ita hanc ultimam sententiam amplexi sunt præter AMMON (1811), WEISSE (1838, adhuc 1856 : *Die Evangelienfrage in ihrem gegenwärtigen Stadium*), SCHENKEL (*St. Kr.* 1840), qui sermones ut partem antiquiorem, historica vero elementa ut postea superaddita habebat; SCHWEIZER (*Das Evang. Johannis nach seinem inneren Werth kritisch untersucht*, 1841. At ipse auctor, ut Schenkel, sententiam suam postea dereliquit; G. FREYTAG (*Die h. Schriften des N. T.*, 1861. — *Symphonie der Evangelien*, 1863); TOBLER (*Die Evangelienfrage im Allgemeinen und die Johannesfrage insbesondere*, 1858; *das Evang. Joh. nach dem Grundtext*, 1867; *ZW Th.*, 1860, p. 169 ss.). KRÜGER-VELTHUSEN (*Das Leben Jesu*, 1872). THENIUS (*Das Evangelium der Evangelien*, 1865). RENAN (*Vie de Jésus*, 13ª éd. 1867). IMMER (*Hermeneutik des N. T.* 1873, *Theologie des N. T.* 1877). HASE qui prius scholæ tubingensis adversarius acerrimus exstiterat in opere suo *Geschichte Jesu* 1876 ad intermediam hanc sententiam deflexit. Huic opinioni etiam annumerari posse videtur ED. REUSS (in variis scriptis, præsertim in *La Théologie Johannique*, 1879). H. WENDT *Die Lehre Jesu*, 1886.

(5) Ita fere EWALD *Jahrbb. d. bibl. Wissenschaft*, 1860.

(6) *Jahrbb. für deutsche Theol.* 1857, 1859, 1862, 1868, 1871; *Untersuchungen über die evang. Geschichte, ihre Quellen*, etc. 1864. *Apostolisches Zeitalter* 1892, p. 513. « Das Evangelium steht nach seinen eigenen Worten jedenfalls in Beziehung zu einem bestimmten Apostel », p. 537 s.

cum Christo familiaritate situs immediatam discipuli cum Domino connexionem prodit (*Ap. Z A.* p. 538) juxta Weizsäcker; sed influxum apostoli in doctrinam de Verbo, ait, minime reperire est, quum hujus doctrinæ cum fide in Christum conjunctio discipulo Christi immediato impossibilis dicenda appareat (ib., p. 537).

Vestigia tamen ipsius Baur et Tubingensium quadamtenus prementes, traditionisque testimoniis parum attendentes, citandi remanent quidam auctores qui in quarto evangelio speculationum christologicarum sæculi secundi imaginem reperire putant, scriptumque apostolicum esse negant. Theologica evangelii themata a christianismo primævo prorsus aliena censent, eaque partim quidem et gnosticismo præsertim tamen ex alexandrina et philonica doctrina profluxisse arbitrantur. Ita Wolff (1), Schwalb (2), Brückner (3), Thoma (4), O. Holtzmann (5), O. Pfleiderer (6), Mangold (7).

Hypothesis illa pluribus etiam criticis arrisit in Hollandia (8), in Gallia (9) et in Anglia (10).

Tertia Periodus.

Relictis thesibus tubingensibus, jam novæ quædam ad quarti evangelii originem elucidandam hypotheses propositæ fuerunt, quas si novæ includimus periodo, non eo ipso convenientiam quamdam seu consensum inter nova systemata inveniri, signifi-

(1) *Das Ev. Johannes in seiner Bedentung für Wissenschaft und Glauben*, 1870.

(2) *Christus und die Evangelien*, 1872. — *Unsere Evangelien*, 1885.

(3) *Die vier Evangelien*, 1887.

(4) *Die Genesis des Johannes-Evangeliums*, 1882.

(5) *Das Johannesevangelium*, 1884.

(6) *Das Urchristenthum, seine Schriften und Lehren*, 1887.

(7) In edd. *Introductionis* Bleek, 1875 et 1886.

(8) Scholten, Meyboom, Hoekstra, Loman, etc.

(9) E. Havet, Albert Réville et Jean Réville (in recentissimo opere *Jésus de Nazareth*, 1897).

(10) Hanson, Taylor, et auctor anonymus in scripto *Supernatural Religion*.

care volumus. Neque hodiernorum systematum omnia nova esse argumenta arbitramur et a præcedentibus independentia. Unum tamen pluribus opinionibus modernis commune esse ducimus, historicæ traditionis existimationem in dies majorem. Unde potiori adhuc jure hodie sententia verificatur quam ante decennium jam E. Schürer (1) scribebat « viam quamdam conciliationis auctores esse ingressos ».

Præcipuas jam illas joanneæ quæstionis solutiones breviter adumbremus.

E. von der Goltz (2) fidem adhibens Irenæo, Polycrati ephesino (in epistola ad Victorem), epistolæ Irenæi ad Florinum, ipsique joanneorum scriptorum testimonio, ut certum factum historicum ephesinam Joannis apostoli usque ad Trajani tempora commorationem tenet. At quartum evangelium græcis speculationibus nimis imbutum, atque indiciis quibusdam historicæ veritati adversantibus nimis vitiatum censet quam ut ab ipso apostolo Joanne exaratum fuerit. Illud igitur a quodam apostoli discipulo juxta magistri annotationes vel orales traditiones libere conscriptum habet. Insuper S. Ignatium, utpote quarti evangelii theologiæ plene assuefactum, Joannis apostoli discipulum fuisse ut vere possibile, imo probabile tenet (3).

Hugo Delff (4) quartum evangelium ut Christi authenticam historiam habet a discipulo quodam Christi Joanne Hierosolymitano e genere Summorum Pontificum oriundo conscriptam. Discipulus ille post judaicum bellum in Asiam secesserit et Ephesi commorans ante a. 70 jam evangelium litteris consignaverit et sub nomine « Joannis presbyteri » sequenti genera-

(1) *Ueber den gegenw. Stand der johanneischen Frage*, 1889, p. 58 « Wir sehen, wie die Gegner von beiden Seiten her sich näheren ».

(2) *Ignatius von Antiochien als Christ und Theologe*, 1894 (*T. U.* XII, 3), p. 170 ss.

(3) «Dann würden Stellen wie *Ign. Eph.* 3, 1 προσλαλῶ ὑμῖν ὡς συνδιδασκαλιτίαις μου und *Eph.* 11, 2 ἵνα ἐνὶ κλήρῳ Ἐφεσίων εὑρεθῶ τῶν Χριστιανῶν οἳ καὶ τοῖς ἀποστόλοις πάντοτε συνῆσαν dahin zu verstehen sein.» *o.c.* p. 173.

(4) *Das vierte Evangelium, ein authentischer Bericht über Jesus von Nazareth*, 1890. — Cfr *Die Geschichte des Rabbi Jesus von Nazareth*, 1889.

tioni innotuerit. Quædam tamen loca « christologica » posteriori tempore inserta censet (1).

Ad. Harnack (2) cujus sententiam postea longius evolvemus, unicum in Asia Minori Joannem fuisse arbitratur, omnium præterea joanneorum scriptorum eum auctorem habet, illumque Joannem « presbyterum » cum apostolo quidem conjungendum immerito in apostolum a posteriori traditione mutatum fuisse æstimat.

W. Bousset (3) etiam unum tantum ephesinum Joannem concedit; Joannes ille juxta ipsum non cum filio Zebedæi confundendus, verùm dilectus quarti evangelii discipulus censendus est, qui in evangelio hierosolymitanam de Christo traditionem — Galilæa circa Jesum traditione in Synopticis evangeliis consignata — exhibet. Hæc solutio ut apparet, partim cum Harnackiana partim cum systemate a Delff exposito convenit. Quemadmodum Delff Joannem illum de sacerdotali genere ait Bousset, cujus originis indicium apparere putat in epistolæ Polycratis ephesini ad Victorem Papam verbis » Ἰωάννης ὁ ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ κυρίου ἀναπεσών, ὃς ἐγενήθη ἱερεὺς τὸ πέταλον πεφορηκώς, καὶ μάρτυς καὶ διδάσκαλος » (Eus. H. E. V, 24). Hunc discipulum cum homonymo apostolo commutatum habet.

Eberhardt (4) ex comparatione ultimi capitis cum reliquo evangelio, eumdem totius scripti auctorem asserendum esse ait, eumque apostoli Joannis discipulum fuisse arbitratur.

A. Resch (5) contrà evangelium a Joanne apostolo conscriptum proclamat, at contra explicitum S. Irenæi testimonium, illud non Ephesi, sed *Pellæ in Decapoli* circa a. 70 compositum ducit.

(1) 1, 1-5, 15-18; 2, 1-11, 17,21, 22; 4, 26-54; 5, 17-29; 6, 1-29, 38, 39, 59; 7, 39, 53-8, 11; 12, 16, 25-30, 33, 38-41; 13, 20; 19, 35-38; 20, 11-18; 21, 1-25. Cfr H. Holtzman, *Einl.* p. 435. Cfr Zahn, *Einl.* II, p. 550 : *Die Versuche später hinzugekommene Elemente auszuscheiden, sind durchweg nur für die welche sie angestelt haben, einleuchtend gewesen.*

(2) *Die Chronologie der Altchristlichen Literatur*, I, p. 677.

(3) *Die Offenbarung Johannis neu bearbeitet* von Lic. theol. 1896.

(4) *Ev. Jo. C.* 21. *Ein exegetischer Versuch als Beitrag zur johanneischen Frage.* 1897.

(5) *Aussercanonische Paralleltexte zu den Evangelien : IV Heft : Paralleltexte zu Johannes (T. U.* X, 4) 1896.

Hypothesin suam ope præsertim Muratoriani fragmenti stabilire conatur, cujus textum « Johannes ex discipulis cohortantibus condiscipulis » restituit « Johannes ex decapoli cohortantibus condiscipulis (scripsit scil.). » Quæstionem joanneam « ope præsertim psychologiæ Apostoli explanandam putat, quatenus scil. Joannes charisma propheticum se habere confidens, libertate quadam evangelicam materiam tractare potuerit.

Prophetici illius elementi existentiam in quarto evangelio etiam P. Batiffol (1), firmiter apostolicam originem professus agnovit, neque Jo. 19, 35, 21, 24 alii auctori tribuere videtur.

P. Th. Calmes (2) commentarium in Evangelium secundum Joannem auct. J. Knabenbauer editum dijudicans, novam quamdam hypothesin proponit. Opinatur Calmes Joannem apostolum revera evangelium scripsisse, attamen ipsum non omnes partes ordinasse, discipulos autem apostoli magistri sui scripto ultimam manum apposuisse, primosque traditionis testes huic sententiæ favere suspicatur. Testimonium nempe Clementis Alexandrini (Eus. H. E. VI, 14) et Muratoriani fragmenti (ll. 9-16) huc redire ait : « quartum evangelium scripsit S. Joannes apostolus at ejus discipuli opus ediderunt ac de iis quæ in evangelio continentur, fidem præstant » (3). Ita etiam accidisse autumat Calmes ut Papias millenarismo addictus joanneæque scholæ oppositus, tanquam hujus scholæ opus evangelium Joannis duxerit, illudque inter libros retulerit, quos minori æstimatione dignos habere videtur.

Denique recensendum est opus Petri Corssen *Monarchianische*

(1) *Six leçons sur les Evangiles* 1897. — Cfr *R. B.* 1897, p. 479 ss.

(2) *R. B.* 1898, p. 621 ss. — « Si l'on entend par auteur le rédacteur du livre, on est en droit d'affirmer que le dernier évangile a pour auteur Jean l'apôtre. Mais, si l'on entend par auteur à la fois le rédacteur et l'éditeur, c'est-à-dire non seulement celui qui a écrit l'ouvrage, mais aussi celui qui en a disposé toutes les parties et qui y a mis la dernière main, alors l'authenticité du quatrième évangile est difficilement soutenable. »

(3) *o. c.* p. 622 : « Le quatrième évangile a été écrit par saint Jean; mais ce sont les disciples de l'apôtre qui ont pris l'initiative de la rédaction et qui se portent garants du contenu, *recognoscentibus cunctis* (fragm., ll. 14-15), comme il est dit dans l'évangile même : *c'est ce même disciple qui atteste ces choses et qui les a écrites, et nous savons que son témoignage est véridique* (21, 24). »

Prologe zu den vier Evangelien 1896 (*T. U.* XV, 1), quod a præcedentibus quoad conclusiones non parum discrepat, quod tamen etiam ope traditionis joanneam quæstionem explicare conatur ; Corssen Alogorum præsertim aliorumque virorum cum Alogis connexorum oppositione contra quartum evangelium nititur, et cum hoc evangelium contra Leucii acta a 140 circiter confecta scriptum teneat, quarti evangelii origo non ante 150 ponenda foret. Unde S. Irenæi in joannea quæstione testimonio valorem denegare debet. Huic — hodie saltem — singulari sententiæ Ad. Hilgenfeld calculum adjicere videtur (1).

Hanc igitur de controversiæ historia expositionem — quam inviti truncatam incompletamque tradidimus — jam hic abrumpere liceat. Hanc saltem, ut speramus, utilitatem præstabit, ut quæstionis joanneæ momentum controversiæque hodiernæ statum generatim manifestet. Consulto ab exponendis sententiarum argumentis abstinuimus, persuasi opportunius fore ut hæc singulis quæstionibus pertractandis annectantur.

*
* *

In procœmio de præsentis quæstionis opportunitate agentes, fassi sumus nos impulsos fuisse ut rem toties pertractatam denuo investigaremus, hoc speciatim motivo quod post acres et diuturnas in scholis acatholicis controversias, de quibusdam jam punctis inter criticos hodiernos satis convenit, quæ igitur jam præsupponere et summatim indicare liceat, ut *quæstionis status* magis definiatur.

1° De controversia paschali.

Magna olim cum fiducia schola tubingensis ad controversiam paschalem appellabat ut stringens inde argumentum contra quarti evangelii apostolicam originem deduceret. Sed hodie jam, ii etiam qui Joannem apostolum ut evangelii auctorem recusant vix ullam huic quæstioni attentionem tribuunt (2).

(1) *ZW Th.* 1897, Heft 3.

(2) Pauci omnino ex hoc capite adhuc argumentantur; MANGOLD tamen (apud BLEEK, *Einl.* p. 315, 318 ss.). HILGENFELD (*Der Passahstreit der alten Kirche* 1860, *ZW Th. passim*, et *Einl.* p. 698) et H. J. HOLTZMANN (*Einl.*, p. 461 ss.) huic argumento non omnino valedixerunt.

Aiebant Tubingenses quartum evangelium utpote quartodecimanæ praxi contradicens ab apostolo Joanne minime scriptum fuisse, cum ecclesiæ asiaticæ earumque antistites (excepto Apolinario Hierapolitano) ad quartodecimanam suam praxin contra occidentalem ecclesiam defendendam explicite et confidenter ad Joannem apostolum appellaverint, tanquam qui juxta præscriptionem Legis (1) die 14ª mensis Nisan Pascha olim celebrasset. Joanni igitur evangelium potius suppositum fuerit ab anti-quartodecimanis.

Jamvero, difficultas illa toto ruit fundamento. Dato autem auctorum hodiernorum (2) circa hanc questionem consensu, pauca jam notare sufficiat.

1° In nulla controversiæ epocha, de natura festi sive de ejus objecto disceptatio fuit (Zahn, l. c.).

2° Inepto plane modo quartum evangelium in favorem anti-quartodecimanæ praxis scriptum dicitur, cum ad S. Eucharistiæ institutionem, ad chronologiam passionis relate ad judaïcum Pascha vix alludat et ipsis Quartodecimanis acceptum esset.

3° Nunquam fuit controversia de die quo juxta evangelia S. Eucharistiam Christus instituerit. Nunquam enim de die 13ª vel 14ª disputarunt, neque anti-Quartodecimani ad chronologicam controversiam finiendam ad Joannis evangelium provocarunt.

Ex hoc fundamentali apud plures auctores admisso errore evenit ut multi omnino textus a contextu suo avulsi, et unice *diem* institutionis S. Eucharistiæ respicientes, immerito a criticis allati fuerint.

(1) Plane immerito inde Joannem « judaïsmo » favisse concludebatur. Nam S. Paulus (1 *Cor.* 5, 7) eodem modo ac Joannes (19, 36) Christum ut verum Pascha exhibet, et tamen optime noverat (1 *Cor.* 11, 23 ss.) Christum « in qua nocte tradebatur » agnum paschalem manducasse et Sacram Eucharistiam instituisse. Unde designatio Christi ut veri paschalis agni plane independens est habenda a plurium sententia juxta quam teste Joanne Christus die 14 Nisan ante judaïci Paschatis celebrationem mortem subierit. Et si Paulus celebrationi Paschatis significationem proprie christianam tribuere potuit, cur id non potuisset Joannes?

(2) Cfr B. Weiss, *Einl.* p. 567 s.—J. Drummond, *The American Journal of Theology*, 1897, p. 657. *The Fourth Gospel and the Quartodecimans.* — A. Harnack, *Chron. ACL.* I, p. 670 n. — Zahn, *G. N. K.*, I, p. 180 ss. — et præsertim *Einl.* II, 509 ss.

4° Controversia vigebat utrum die 14ª mensis Nisan an vero die prima sequentis hebdomadis Pascha celebrandum esset, adeoque tantummodo *celebrationis tempus* attingebat, tempus scil. quo a jejunio (1) ad ipsum Paschatis festum erat transeundum. Τεσσαρεσκαιδεκατῖται, ut nomen recte indicat, festum celebrandum dicebant die 14ª mensis fixa, quemadmodum Judæi suum Pascha celebrabant. Consuetudo quartodecimana exinde sane orta fuerit quod Christus festum paschale juxta ritum mosaïcum cum discipulis observaverat et occasione hujus festi S. Eucharistiam instituerat et postera die mortuus fuerit. Facile autem concipitur in primævis communitatibus christianis præsertim in judæo-christianis (2) tempus judaïcum servatum fuisse, etsi novæ statim festivitatis significatio ac natura apparuerint. Quando igitur scriptores festum dicunt celebrari vel non celebrari modo judaico, unice de *celebrationis tempore* loqui intendunt (3).

(1) In illo jejunio festum præcedente, teste S. Irenæo, iterum varietas obtinebat *(Ep. ad Victorem* apud Eus. H. E. V, 24).

(2) Ecclesiam ephesinam multos Judæos numerasse satis constat.

(3) Quæstio autem oritur utrum etiam in priore de Paschate disputatione quæ Polycarpi tempore vigebat et Romæ sub Xysto et Aniceto agitata fuit, idem omnino ac Irenæi tempore, objectum fuerit controversiæ. Revera idem fuit. Nam omnes textus circa hoc disputationis punctum servati non tantum oppositæ sententiæ non favent, sed identitatem non obscure innuunt. Consulendi sunt præ cæteris Irenæus et Eusebius quibus fontes hodie deperditi patebant, quique optime controversiam notam habebant, cum uterque de ea tractatum scripserit (Drummond, l. c.). Irenæus autem (Eus. H. E. V, 24) loquitur de præcedenti illa disputatione eamque disceptationi suo tempore vigenti eo modo annectit ut eadem utrobique controversia fuisse appareat. Indicat suo tempore non tantum « de die » controversiam esse, sed etiam de forma jejunii (περὶ τοῦ εἴδους αὐτοῦ τῆς νηστείας), quod ut ipse statim explicat de jejunii *duratione* est intelligendum. Tunc ait « Καὶ τοιαύτη μὲν ποικιλία τῶν ἐπιτηρούντων, οὐ νῦν ἐφ' ἡμῶν γεγονυῖα, ἀλλὰ καὶ πολὺ πρότερον ἐπὶ τῶν πρὸ ἡμῶν, τῶν παρὰ τὸ ἀκριβὲς, ὡς εἰκὸς, κρατούντων, τὴν καθ' ἁπλότητα καὶ ἰδιωτισμὸν συνήθειαν εἰς τὸ μετέπειτα πεποιηκότων. καὶ οὐδὲν ἔλαττον πάντες οὗτοι εἰρήνευσάν τε, καὶ εἰρηνεύομεν πρὸς ἀλλήλους καὶ ἡ διαφωνία τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι. » His igitur Irenæus affirmat discrepantiam de qua *nunc* agitur antea jam ortam esse, eamque circa jejunii formam seu durationem in utraque periodo agitatam fuisse, circa diem scil. qua a jejunio ad paschale festum transeundum esset, et de præparatorii jejunii istius duratione. Verba Ἐτήρησαν, μὴ τηροῦντες nullum objectum expressum habent, sed diem 14ᵐ subintelligendam esse satis innuit contextus. Eusebius H. E. V, 23 et 24 pari modo loquitur. Cfr Eus. *de Paschate* apud Mai, *Nova Patrum bibliotheca* IV, p. 209-216.

5° Cum quæstio de die quo juxta Joannis evangelium Christus Pascha celebraverit et S. Eucharistiam instituerit indifferens foret in controversia paschali, ideo videmus Quartodecimanos initio de passionis Christi chronologia minime sollicitos fuisse, et ad suam opinionem stabiliendam τὸ εὐαγγέλιον, id est (1), quatuor evangelia appellasse. Unde eos quatuor evangeliorum consensum in hac quæstione præsupposuisse rite deducitur. Ex alia autem parte praxis occidentalis cum joannea chronologia minime conjungebatur (2), ita ut occidentalem ritum paschalem Irenæus, Origenes aliique observarent, licet Christum die 14ª Nisan Pascha celebrasse æque ac Quartodecimani admitterent. Quæ si rite perspiciantur, traditioni de apostolica Joannis evangelii origine, nedum obstent, potius omnino favere dicendum apparet (3).

* * *

2° De Identitate auctoris omnium scriptorum Joanneorum.

Diu repugnantia inter quartum evangelium et Apocalypsin tanquam axioma in variis acatholicorum scholis viguit; plures etiam auctores de origine joannearum epistolarum dubia moverunt, eas varii variis auctoribus tribuerunt, vel etiam nonnunquam ab evangelio et Apocalypsi separandas existimarunt. Harum controversiarum diversas epochas exponere ad nos non spectat (4), eo vel magis quod jam ab aliquo tempore consensus fere unanimis auctorum (5) omnia scripta Joannis nomine insi-

(1) Ità Polycrates ut Zahn (*G. N. K.* I, p. 185) demonstravit (Cfr Eus. H. E. V, 24).

(2) Apollinarius et Clemens quartodecimani jam argumenta ex quarto evangelio deprompserunt, at *quatuor evangeliorum agnitione et consensu apud adversarios præsuppositis.*

(3) Insuper, quomodo quartum evangelium quoad quæstionem de die mortis Christi a synopticis discrepans dici debeat, non videmus.

(4) Cfr præsertim H. Holtzmann, *Einl.* p. 422 ss., 458 ss., et B. Weiss, *Einl.* p. 342 ss., 443 ss., 449.

(5) Cfr v. g. Godet, *Commentaire*, I, 1886, p. 310 ss., 370 ss. — Evans, *St John, The author of the fourth gospel* 1888. — Westcott, *The Epistles of St John*, 3ª ed., 1892, p. XXX, « The writing is so closely connected with

gnita ab eodem auctore profecta esse declarat. Breviter hanc rem contrahere liceat.

1° Imprimis ad externam traditionem quod spectat, revera non videmus quomodo joanneis scriptis diversa origo cum quadam fundata probabilitate adscribi possit. Indicia enim illorum existentiæ apud eosdem scriptores apparent : omnia Asiam provinciam tanquam eorum patriam indicant et in duobus prioribus sæculis concordia inveniuntur varia testimonia. Alogi quidem contradixerunt; at omnia illa scripta simul repudiabant, quemadmodum de eis S. Epiphanius loquitur (Hær. 51, 3). Εἶχον μὲν γὰρ τὴν αἵρεσιν καλουμένην ἀποβάλλουσαν Ἰωάννου τὰς βίβλους. Jam vero Alogos omnia « Joannea scripta » eadem aversione rejicientes eo ipso implicite probare unanimem fuisse anteriorem traditionem quis non videt? Quomodo autem dubia posteriori tempore exorta sint et quomodo sint dijudicanda, in priori dissertationis parte perpendemus.

2° Identitas auctoris quarti evangelii et prioris Joannis epistolæ ex interna utriusque scripti comparatione elucet. Magna enim tum idearum tum vocabulorum et styli convenientia (1) animadvertitur. Plura præterea in epistola occurrunt indicia quæ evidenter personam produnt summa auctoritate præditam, ita quidem ut etiam anonymo scribendi modo fidere potuerit. Hoc autem in quarti evangelii auctorem optime quadrat. Idem

the fourth Gospel in vocabulary, style, thought, scope, that these two books cannot but be regarded as works of the same author ». — H. Holtzmann, *Einl.* 1892, p. 476 ss. — W. Bousset, *Die Offenbarung Johannis*, 1896, p. 206 ss. — Harnack, *Chron. ACL.*, I, p. 675 — fatetur se profiteri « criticam hæresin » de eodem Apocalypseos et evangelii auctore, et quoad epistolas etiam identitatem admittit. — B. Weiss, *Einl.*, 1897, passim, præs. p. 342 ss., 442 ss., 449 ss. — Th. Zahn, *Einl.* II, p. 449 ss., 575 ss., 612 ss. — Knabenbauer, *Commentarius in Evangelium secundum Joannem*, 1898, p. 38 ss.

(1) Cfr B. Weiss, *Einl.*, p. 442 : « Das der Brief und das Evangelium von demselben Verfasser herrühren, springt in der Augen. Es sind nicht nur zahlreiche auffallende Parallelen in Gedanken und Ausdruck, die beide mit einander verbinden, es ist die ganze Begriffswelt die sie theilen, die gesammte theologische Grundanschauung in ihren eigenthümlichsten Zügen, dieselbe Art der Gedankenentwickelung, dieselbe Ausdrucksweise ». Loca parallela videri possunt apud Weiss l. c. et Holtzmann, *Einl.* p. 477.

præterea utrique scripto, ut postea videbimus, scopus tribuendus apparet.

Quoad secundam et tertiam epistolam joanneam, eadem — proportione servata — affirmanda sunt, licet ex earum brevitate et materia, comparatio difficilior evadat, earumque existentiæ et usus apud antiquos scriptores pauciora reperiantur testimonia. Ceteroqui nisi magna scriptoris sui auctoritate commendabiles visæ fuissent, quomodo in canone mansissent (1)? Opinio illorum qui illas presbytero cuidam ab apostolo Joanne distincto tribuerunt ex ipsa epistolarum inscriptione orta est, ac cum integra Joannea quæstione manifeste cohæret. Ceterum quæstionem de duarum epistolarum origine et canonico usu magna cum eruditione ac scientia nuper H. Poggel tractavit ejusque conclusiones fere omnes amplectimur (2).

3° Quartum evangelium et Apocalypsis Joannis.

Apocalypseos auctor seipsum ut « Joannem » designat (1, 1, 4, 9; 22, 8) et quidem ita absolute ut cum quovis homonymo confusionem non timeat. Septem epistolæ initio traditæ talem nobis exhibent virum qui supremum in asiaticas ecclesias regimen jam ab aliquo tempore exerceat, et inconcussa auctoritate insignitus appareat. Præterea prima usus et existentiæ Apocalypseos vestigia iterum in Asia Minori occurrunt (3), et explicita de origine ejus testimonia pariter ex Asia oriunda apud S. Justinum et S. Irenæum reperiuntur. Diligentissime perpendendus est S. Irenæi textus ubi mediis in traditionibus ab asiaticis presbyteris acceptis distincte ait (adv. hær. II, 30, 3 : « εἰ γὰρ ἔδει ἀναφανδὸν τῷ νῦν καιρῷ κηρύττεσθαι τοὔνομα αὐτοῦ (Antichristi scil.), δι' ἐκείνου ἂν ἐῤῥέθη τοῦ καὶ τὴν Ἀποκάλυψιν ἑωρακότος. Οὐδὲ γὰρ πρὸ πολλοῦ χρόνου ἑωράθη, ἀλλὰ σχεδὸν ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς, πρὸς τῷ τέλει τῆς Δομετιανοῦ ἀρχῆς. » Apocalypsin a S. Irenæo Joanni apostolo pluribus in locis tributam fuisse omnibus notum est.

(1) Hæc ulterius evoluta videsis in *Introductionibus ad N. T.*

(2) *Der zweite und dritte Brief des Apostels Johannes*, 1896. Cfr etiam A. Harnack, de 3a ep. Jo. disserentem in *T. U.*, XV, 3, 1897.

(3) Cfr infra ubi de traditione ecclesiastica circa Joannem ephesinum sermo erit.

Cæteroqui traditio de Apocalypseos origine cum quarti evangelii ortu tam arcte cohæret ut in dissertatione necessario examinanda appareat.

At, præter traditionis testimonium, ipsa doctrinæ ac idearum cognatio, et — quidquid in contrarium allatum fuerit — quædam styli ac linguæ communes proprietates sententiam de identitate auctoris commendant.

Discrimina evangelium inter et Apocalypsin tum quoad ideas tum etiam quoad linguam existere, nemo negabit. At quid apud eumdem auctorem argumenti ac materiæ necnon scopi circumstantiarumque diversitas præstare valeat nec tiro ignorat (1). Et quis mirabitur diversitates observari librum historicum inter et librum propheticum symbolicis visionibus constantem?

Etenim quomodo apud quemcumque auctorem inter se non notabiliter differrent ex una parte scriptum quoddam mediis in tribulationibus exaratum, propheticis visionibus et biblicis imaginibus futurum inimicorum interitum ac Dei vindictam necnon ecclesiæ nunc oppressæ venturum triumphum vivido ac offenso animo depingens, christianosque afflictos ferventi oratione ad constantiam adhortans — et ex alia parte expositio historico-didactica vitæ et doctrinæ Christi, placida ac tranquilla mente concepta atque conscripta (2)?

Sed ad ipsam potius similitudinem veniamus, inprimis ad similitudinem doctrinalem quod attinet. Utrumque scriptum (necnon prima ep. Jo.) in doctrina christologica jam ideo convenire dicendum est quod in solis joanneis scriptis Christus tanquam « Ὁ Λόγος » designatur. Nec mera habetur appellationis seu vocis identitas, sed perfectus idem conceptus reperitur et Christo incarnato applicatur (Jo. 1, 1, 17; 1, Jo. 1, 1-3; Apoc. 19, 13) (3). Pari modo appellatio « τὸ ἀρνίον » Christo tributa in

(1) Cfr auctores p. 17 s. enumeratos *ll. cc.*

(2) Optime Zahn *Einl.* II, p. 614 : « Jesus in seinen Fleischetagen redet anders und sagt Anderes zu den Genossen seines Erdenlebens, als der erhöhte Herr in Gesichten zu seinem Knecht und Propheten. — Cfr B. Weiss, *Einl.* p. 444 ss.

(3) Cfr Weizsæcker, *Ap. ZA*, p. 484 s. — Holtzmann, *Einl.*, p. 459. — Ac præ cæteris cfr Zahn, *Einl.* II, p. 535 ss., 544 ss. et 614. « Die einzige.. Tatsache dass in allen drei Schriften, und zwar, abgesehen von den Schrif-

quarto evangelio tantum (Jo. 1, 29, 36, 21, 15) et in Apocalypsi occurrit (1). In omnibus scriptis joanneis occurrit idea de intimo Christi cum discipulis suis vitæ commercio, de Christi apud fideles mansione et inhabitatione; in omnibus etiam occurrit imago « aquæ vivæ », doctrina de dilectione ac de bonis operibus, quæ omnia si ut joanneis scriptis non exclusive propria, saltem in eis modo vere proprio proponuntur (2).

Generales hæ notationes jam sufficiunt (3) ut ostendatur quantum Dionysius Alexandrinus (Eus. H. E. VII, 25) discrepantiam doctrinalem inter joannea scripta adauxerit. Pari modo styli et linguæ differentiam æquo majorem jactavit. Iterum discrepantiam non negamus, attamen eam minime talem ac tantam censemus ut aut evangelium aut Apocalypsis Joanni auctori denegari debeat aut queat.

Etenim ex una parte ipsa materiæ differentia styli diversitatem explicat. Inde enim non tantum ratio invenitur discrepantiæ in verborum delectu, sed præterea in styli colore ac indole necnon in ipsa elocutionis forma. Nam in Apocalypsi exaranda veteris Testamenti vaticinia, præsertim Ezechielis atque Danielis prophetias, continuo in mente volvebat, ità ut orationis color ex illo concipiendi modo magis hebraicus evaserit. Quæ dissimilitudinis ratio summam attentionem meretur. Exinde enim barbarismi atque solœcismi numero longe majores in Apocalypsi quam in quarto evangelio, originem duxerunt. Nam injustus esset qui eos auctoris ignorantiæ adscriberet; regulas enim græcæ linguæ ei

ten, die nachweislich von Jo abhängig sind, in der ganzen altchristlichen Literatur nur hier ὁ λόγος als umfassendste Benennung Christi gebraucht und als gebräuchlich vorausgesetzt wird, wiegt schwerer als Alles, was man von unversöhnlichen Widersprüchen zwischen den Vorstellungskreis der Ap und dem der übrigen Schriften des Jo gefunden zu haben meinte. » *Ibid.* p. 616, n. 5.

(1) Nempe 29 vicibus. Cfr tamen *I Pet.* 1, 19.

(2) Addas insuper cum ZAHNIO *(Einl.* II, p. 616, n. 5) « Ein Blick in die Konkordanz unter μαρτυρεῖν und μαρτυρία (nur noch *Mr* 14, 55-59 von den falschen Zeugen) lehrt die Identität des Vf aller Schriften des Jo..... Nur *Ap.* 21, 2, 9; 22, 17 und *Jo.* 3, 29 heisst die Gemeinde geradezu dívμφη Christi etc. »

(3) Reliqua videsis apud auctores indicatos. Quoad judaismum scriptoris cfr KNABENBAUER, *o. c.* p. 42 ss.

ignotas non fuisse multi alii textus demonstrant. Nam qui scripsit (1, 4), εἰρήνη ἀπὸ ὁ ὢν καὶ ὁ ἐρχόμενος καὶ ἀπο τῶν ἑπτα πνεύματων præpositionem ἀπὸ postulare genitivum procul dubio non ignoravit, siquidem in altero phraseos membro eum adhibuit. Non paucis in locis appositionem suo substantivo recte apponit eumdem casum idemque genus adhibens; quare si 1, 5 scripsit « ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ μάρτυς ὁ πιστός κτλ » ob certam rationem a regula ei optime cognita deflexisse dicendus est (1). Hujus igitur rudioris atque impurioris græcæ dictionis causa in hoc præsertim reponenda videtur quod Apocalypsis — non ita evangelium, — in veteri præsertim Testamento radicatur.

Insuper alio stylo utitur propheta (2) ἐν πνεύματι (1, 10) scribens, alio autem historicus tali impetu non proreptus, sed placido animo Christi dicta et gesta enarrans.

Cæterum ut in dissertationis decursu ostendetur, licet minus frequentes in quarto evangelio occurrant hebraismi, evangelii tamen stylus vere hebraisans nuncupandus est, et omnium consensu hebræus auctor assignandus venit. Præterea utriusque scripti stylum in multis consonare vix non omnes fatentur moderni auctores (3), ii etiam qui alium esse evangelii alium Apocalypseos auctorem statuant (4).

(1) Ita fere CORNELY, *Introd. spec.* III, p. 701. Cfr alios auctores enumeratos ll. cc. — CORNELY, l. c. addit quoad *Apoc.* 1, 4 « tota expressio ὁ ὢν ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος ei erat nomen proprium correspondens hebraico יהוה. »

(2) ZAHN, *Einl.* II. p. 614 notat : « Die mündliche wie die schriftliche Prophetie der apostolischen Kirche hat ihren eigenen, besonders eng an die atl Muster sich anschliessenden Stil gehabt, sogut wie der auf Meditation beruhende Lehrvortrag und die geschichtliche Erzählung und der Psalm. »

(3) Præ cæteris videsis, KOLTHOFF, *Apocalypsis Joanni apostolo vindicata*, 1833, p. 86 ss. — DANNEMANN, *Wer ist der Verfasser der Offenbarung*, 1851, p. 2 ss. — MAIER, *Einl.*, p. 468. — EVANS, St-JOHN, *The author of the fourth Gospel*, 1888. — B. WEISS, *Einl.*, p 447 « Dennoch fehlt es nicht an frappanten Uebereinstimmungen » quas laudatus auctor, l. c. concinne exponit, *Comm. z. Apok.*, 1891. — LUTHARDT, o. c. — W. BOUSSET, *Die Offenbarung Joh.*, p. 206 ss.

(4) H. HOLTZMANN, *Einl.*, p. 458 ss. «Was dagegen Eichkorn, Hug, etc... eingewandt haben enstreckt sich auf gewisse Coïncidenzpunkte im Detail des Wortvorraths und Sprachgebrauchs, *auf etwa* 200 *Phrasen verwandten Characters.* »

Diversum igitur Apocalypseos ab aliis joanneis scriptis dicendi modum et linguam non magis negamus quam utriusque scripti alia existere discrimina ultro fatemur. At, jure merito moderni critici fere omnes nihil in diverso illorum scriptorum charactere et indole reperiri quod diversos ostendat auctores, proclamant.

Immerito auctores quidam ad styli et linguæ differentiam in joanneis scriptis explicandam temporis lapsum invocant qui inter variorum scriptorum ortum intercesserit, quasi asiatica commoratio auctorem in usu græci idiomatis perfecerit. Etenim nulla nobis indicia præstare videntur ad scriptionis tempus — sola Apocalypsi excepta — eorum scriptorum presse determinandum. Licet positivæ rationes deficiant, quædam tamen suadere videntur ut evangelium intra a. 85-95 adeoque ante Apocalypsin exaratum dicamus. Hanc autem juxta S. Irenæi testimonium πρὸς τῷ τέλει Δομετιανοῦ ἀρχῇ († sept. 96) conscriptam censemus, hancque sententiam tum ex interno libri examine, tum a traditione egregie commendatam arbitramur, ita ut traditio posterior S. Irenæo contradicens nullam fidem mereatur.

***

3° Omnes fere quæstiones cum disquisitione de quarti evangelii origine connexæ a pluribus auctoribus sedulo jam exploratæ fuerunt, unde et horum studia sæpissime nos plurimum adjuvarunt. Ut quædam puncta attingamus : quarti evangelii vestigia apud primævos scriptores diligenter perpensa fuerunt, nostro præsertim tempore (1), ita ut *quæstionem existentiæ et*

(1) Assignanda sunt præ cæteris duo egregia opera, Th. Zahn, *Geschichte des neutestamentlichen Kanons*, 1888-1892, passim. — A. Resch, *Aussercanonische Paralleltexte zu den vier Evangelien, viertes Heft, Paralleltexte zu Johannes (T U*, X, 4), 1896. — Cfr etiam C. E. Luthardt, *Der Johanneische Ursprung des vierten Evangeliums*, 1874, p. 34 ss. — F. Godet, *Commentaire sur l'évangile de St-Jean*, 1881, T. I, p. 285 ss. — C. J. Riggenbach, *Die Zeugnisse für das Evangelium Joh.*, 1886. — O. Holtzmann, *Das Johannes Evangelium*, 1887, p. 171 ss. — Ezra Abbot, *The authorship of the fourth Gospel and other critical essays*, 1888, p. 7 ss. — Chastand, *l'Apôtre Jean et le quatrième Evangile*, 1888, p. 47 ss. — P. Ewald, *Das Hauptproblem der Evangelienfrage*, 1890, p. 152 ss. — Usi sumus versione neerlandica, A. Joncker, *De voornaamste vraag van het onderzoek betreffende de Evangeliën*, 1892. — Lightfoot, *Biblical essays*, 1893, p. 1 ss.

usus quarti evangelii fere totaliter intactam relinquere possimus. Quædam tantummodo dubia nuperrime mota ab E. von der Goltz (1) præsertim et Petro Corssen (2), examinabimus.

Præterea plures jam auctores (3) quæstioni perplexæ de « *presbyteris* » *apud S. Irenæum* dilucidandæ operam navarunt, atque recentiori tempore A. Harnack (4) novam solutionem proposuit. Jam a pluribus annis eruditissimus Th. Zahn (*G. N. K.* II, 2 p. IV) se idem problema enodaturum promisit; at ejus tractatio nondum edita fuit. Interim Harnackii hypothesis in quibusdam punctis haud probanda apparuit, licet quoad quædam saltem S. Irenæi loca nihil certi affirmare ausi simus.

Pari modo, *Alogorum* adversus quartum evangelium repugnantia præsertim a Zahnio recte dijudicata fuit, cujus conclusiones plane probandas, re denuo investigata, vidimus. Nec recentiorum quorumdam difficultates contra eas valere ostendere voluimus. S. Epiphanii testimonium (*Hær.* LI) caute omnino adhibendum experti sumus. Præterea Petrum Corssen nuperrime (o. c.) Asiaticorum Alogorum in Occidentales influxum plus æquo æstimasse compertum habuimus.

In his autem omnibus quæstionibus tractandis, data occasione, Adolphi Harnack de quarti evangelii origine sententiam pro viribus expendimus atque libravimus; nonnumquam ipsius eruditissimi auctoris verba ejusque criticum apparatum adduximus, ut tum materiæ momentum tum scientifica Harnackii argumentatio clarius appareant, textibus prælaudati ejus operis : *Die Chronologie der altchristlichen Literatur*, I, sæpe vernacula lingua adductis.

Neque hanc methodum, ut confidimus, aliquis ex eo nobis vitio vertet, quod in ipso sagaci illo auctore quasi insectando inhæreamus. Tempus oleumque deperdita censeremus, si negativam hanc methodum-licet illius viri scriptis tributam-unice

(1) *Ignatius von Antiochien als Christ und Theologe* 1894 (*T. U.* XII, 3).
(2) *Monarchianische Prologe zu den vier Evangelien* 1896 (*T. U.* XV, 1).
(3) Lightfoot, *C. R.* 1878. — Zahn, *Theol. St. u. Kr.*, 1866-1867; *Acta Joannis*, p. CLIV-CLXXII. G. N. K, I, p. 155, 901 et II, p. 33. — Abbot, *The Expositor*, 1895.
(4) *Chron. ACL.*, I, p. 333 ss. n.

secuti fuissemus. At positivo insuper modo thesin quæ nobis præ Harnackii sententia verior visa est, fulcire nisi sumus. Hujus tamen critici argumenta atque consectaria examinanda eo libentius suscipimus quo lucidiori atque magis consentanea methodo exponuntur. Nam ex hoc præsertim capite ejus systema sibi laudem promeritum videtur, quod, Tubingensium præjudicia atque quæstioni extraneas rationes amputaverit, necnon externum traditionis testimonium novæ crisi subjecerit. Ex scientifica ista crisi non parum simplicior atque expeditior « joannea quæstio » evaserit.

Summa tamen in Harnackii sententia difficultas remanet : Joannis scil. ephesini presbyteri in apostolum mutatio ; huicque commutationi multi jam auctores — licet tamen nullus hucusque Harnackii de joannea quæstione opinionem minutim examinaverit — contradixerunt (1), quorum omnium referre judicium longius nos duceret.

* * *

Nihil autem nos quod aliquid conducere videatur ad tanti momenti quæstionem solvendam neglexisse confidimus. Omnes enim rationes librandæ sunt, antequam in re tam momentosa prudens judicium feratur. Ita pluribus auctoribus id vitio vertendum videtur, quod scil. non integram quæstionem considerantes, singulari quodam argumento nixi sententiam tulerint.

Internam etiam evangelii indolem atque characterem respiciendos duximus, tum quia sana methodus interna criteria magni facere tenetur, tum etiam quia plura quæ pertinent ad hæc criteria ita exposita fuerunt ut joanneam quæstionem magis

(1) Omnium nomine audiatur C. R. Gregory in *The American Journal of Theology*, July 1898, p. 593. » Harnack says that Irenaeus must be ruled out as a witness for the johannean question because he seems to have confounded what Polycarp said about another John with the twelve-apostle John ; for my part I do not think that the conclusion is a necessary one... Nothing prevents us from holding to the authorship of John the apostle ». et p. 594 : « No one of the arguments against John the apostle is of a compelling character, nor is any one of those for his pupil's authorship. »

intricatam reddiderint. Etenim ex vario capite heic criticæ quæstiones exortæ sunt.

Nam quarti evangelii comparatio cum synopticorum narratione libertatem quamdam et independentiam quarti evangelistæ revelavit : de factis ab aliis evangelistis narratis ac de methodo ab eis usitata parum sollicitus videtur : nova facta, novas personas, nova miracula introducit, et scopum dogmaticum se prosequi fatetur. Attamen Christi vitam et doctrinam diligentissime exponere contendit, multas minutas circumstantias locorum, temporum atque personarum narrationi interjicit. Ita ex proprio atque inexhausto fonte narrationem depromere videtur. Quomodo igitur subjectiva apparens libertas cum accurata historica diligentia conciliari debeat inquiremus.

Præterea orationis forma ac species non præcise eædem sunt apud synopticos auctores ac apud quartum evangelistam : illic enim sententiæ potius breves, parabolicæ, simplices atque præsertim morales, heic autem sermones longiores, sublimiores præcipue dogmatici ac mystici occurrunt; illic magna styli orationisque varietas, heic potius solemnis quidam ac constans dicendi modus reperitur. Undenam ejusmodi dissimilitudines et quid ex eis relate ad quarti evangelii originem concludendum?

Insuper dogmatica quarti evangelistæ de Christo conceptio doctrina synopticorum sublimior apparet, dogmaticus prologus narrationi præfixus fuit, et in ipso evangelii corpore talia occurrunt symbola atque imagines quas apud synopticos frustra quæreres, quæque christologiam magis excultam patefaciunt. Undenam iterum talis diversitas? Undenam ὁ Λόγος qui in solis joanneis scriptis apparet?

Imprudenter ex his cum synopticis differentiis — quas tamen antea prius definire oportet — joannea quæstio statim dirimeretur. Quæstio de peculiari charactere quarti evangelii ex ipso ejus textu attente et rite cognito solvenda est. Unde prius in ipso evangelio exquirendæ sunt causæ quæ ad peculiarem quarti evangelii indolem gignendam conspiraverint. Unde et his causis statuendis atque exponendis in altera dissertationis parte allaboravimus.

Præmatura quæstionis solutio e talibus discrepantiis eo vel

magis vitanda apparet quod, multa occurrant indicia quæ testem oculatum produnt (1), et, attento integri evangelii charactere, plurium scriptorum hypothesis non magnam sibi conciliare auctoritatem nata est.

Demum omnia illa indicia in quarto evangelio colligenda veniunt quæ ad auctorem pressiori modo determinandum inservire valent. Tales enim plures textus obviam habebimus e quibus si non ipsum auctoris nomen (2) saltem conditio ejus atque subjectivæ ejus dispositiones erui possunt. Unde anonyma auctoris designatio perscrutanda manet, et videndum an et quousque de se ipso testimonium in scripto suo auctor reliquerit.

Unum adhuc præmonendum censemus. Disquisitio de Joanne quarti evangelii auctore utique testimonium traditionis ante omnia explorare debet; immerito tamen interna libri criteria negligeret, immerito etiam aliorum Joannis scriptorum testimo-

(1) Excepto juxta quosdam ultimo capite, licet sententia de hujus cum reliquo evangelio communi origine, definitivo judicio (EBERHARDT *o. c.* vindicata sit (cfr H. HOLTZMANN *Th. Lz.* 1897, p. 457). Nuperrime tamen TH. ZAHN (*Einl.* II, p. 483 ss.), novam proposuit opinionem quæ ad hæc reducitur. Appendix seu potius juxta Zahn additamentum (non *Anhang* sed *Nachtrag*) c. 21 scriptum fuit aliquo tempore post Petri mortem vivente tamen apostolo Joanne. Discipuli quidam, permittente et suadente apostolo illud ultimum caput juxta ipsius Joannis narrationem scripserunt, simulque Joannem integri evangelii scriptorem esse testificati sunt, quin tamen vel expresse affirmaverint vel occultaverint mediatam tantum c. 21 joanneam originem. Nostra autem dissertatio jam prelo commendanda erat quando eruditissimi auctoris opus ad nos pervenit. Unde ut jam supra animadvertimus, varias Zahnii sententias respicere præ tempore impossibile evadebat. Ut autem circa hanc de c. 21 opinionem summarie dicamus, ad evidentiam usque auctor c. 21 ante Joannis obitum scriptum fuisse demonstravit. Attamen quæ ex v. 24 (c. 21) eruit minime rem demonstrant. Verba « ὁ γράψας ταῦτα » enim expresse immediatam joanneam c. 21 originem ostendere videntur, manusque aliena omni dolo expers (Zahn, p. 487 s.) talem æquivocationem — dato cc. 1-20 diverso ortu — vitasset. Illud indicium in scripto mystico ac anonymo apparens nimis infirmum videtur quam ut inde Zahnii sententia probari possit. Cur mysticus ille auctor qui ex una parte numero plurali se includit (1 *Jo.* 1, 1 ss., 1, 14) ex alia parte modo omnino objectivo de se ipso loquitur (19, 35), utrumque designationis modum conjungere non posset? Dein, cur discipuli « quem diligebat Jesus » nomen etiam in c. 21 tacetur?

(2) Ipsum tamen auctoris nomen e scripto suo erui posse ut omnino probabilius ducimus.

nium silentio præteriret. Unde disquisitio quævis de quarti evangelii auctore cum epistolarum et Apocalypseos testificatione concorditer congruat necesse est. Ex sanæ hujus methodi neglectu joannea quæstio apud plures nedum soluta, e contra magis obscura atque intricata evasit. Et ut jam in antecessum declaremus, attentis atque perscrutatis illis omnibus. solam solutionem ab antiquioris ecclesiæ christianæ traditione propositam, solide probatam perspeximus.

PARS I.

Antiqua Traditio de origine Evangelii S. Joannis.

—

CAPUT I.

EXAMEN QUORUMDAM ANTIQUIORUM DE EXISTENTIA ET USU EVANGELII JOANNIS TESTIMONIORUM.

Supervacaneum sane foret, attento studiorum circa quarti evangelii originem statu hodierno, longum producere agmen testimoniorum quibus olim auctores evangelium nostrum initio sæculi secundi *exstitisse* (1), et secundo sæculo ineunte a scriptoribus tum ecclesiasticis tum gnosticis et profanis *citatum fuisse*, demonstrabant. Eruditissimus vir A. Resch in opere jam allegato illorum scriptorum a quarto evangelio dependentiam abunde ostendit, unde totam fere quæstionem de usu evangelii S. Joannis intactam relinquimus. Quædam solummodo puncta obiter attingimus, vel quia testimonium postea allegandum corroborant, vel quia ad tempus quo scriptum fuit evangelium pressius determinandum præ cæteris inserviunt.

Articulus I. — Evodius (70-100 post Ch.).

Autumat Resch (o. c. p. 6 s.) Evodium antecessorem S. Ignatii in sede antiochena, scriptum evangelium Joannis cogno-

(1) Cfr tamen W. Bousset, *Th. LZ.* 1897, p. 75.

visse, atque indicium literariæ dependentiæ Evodii respectu quarti evangelii nobis servatum fuisse apud Nicephorum Callisti (*Hist. eccles.* II, 3), ubi hæc habentur verba :

« Εὐώδιος, τῶν ἱερῶν δώδεκα ἀποστόλων καὶ αὐτὸς διάδοχος, ἐν τοῖς αὐτοῦ συγγράμμασι, μάλιστα δὲ ἐν τῇ ἐπιστολῇ, ἣν « φῶς » ἐπέγραφε, καὶ ταῦτα προστίθησιν· ἀπό τοῦ βαπτίσματος ἕως τοῦ πάθους Χριστοῦ ἔτη διελθεῖν τρία· ἀπὸ δὲ τοῦ πάθους καὶ τῆς ἀναστάσεως καὶ ἀναλήψεως εἰς οὐρανοὺς μέχρι τῆς λιθοβολίας Στεφάνου ἔτη εἶναι ἑπτά ».

Textus hujus fontem connexum dicit Harnack (1) cum alio textu quem F. Rossi ex papyro coptico publici juris fecit (2) quique « sermonem » quemdam ejusdem Evodii continet, attamen eruditissimi professoris Berolinensis judicio epochæ anteeusebianæ difficile adjudicari potest.

Dependentia illa a Resch adstructa, quæque sententiæ ejus de compositione evangelii circa annum 70 favere posset, omni serio fundamento destituta nobis videtur. Etenim, in casu — cæteroqui maxime improbabili, — quo revera ministerium trium annorum docuerit Evodius, illud e traditione apostolica (quæ, ut in secunda dissertationis parte videbimus, præter synopticorum materiam plura alia tradidit elementa) didicerit. At vero quominus textui illi fidamus obstat Nicephorum duodecimo post Evodium sæculo scripsisse, nec ullum antea auctorem « scripta » Evodii commemorasse : unde potius dicendum nomen Evodii alii cuidam substitutum fuisse. Insistit præterea Resch titulo « φῶς » epistolæ Evodii præfixo quem etiam ex Joannis evangelio desumptum dicit. Sed, ipse ille titulus ei errorem detegere debuisset, cum pro epocha de qua agitur, indicium sit flagrantis anachronismi, nam tituli ejusmodi ut ait Batiffol (3) non ante quintum sæculum scriptis affigebantur.

(1) *Gesch. A. C. L.* II, 784 s.

(2) In « *Memorie della Reale Accademia delle Scienze di Torino* » (ser. II, T. 42, 1892). Incipit textus iste sequenti modo : « Sermone pronunziato dal beato abba Evodio, patriarca ed arcivescovo della grande citta di Roma (mutatio cum civitate Antiochena), il secondo dopo Pietro, il grande apostolo. »

(3) *R. B.* 1897, p. 480. Ceterum Nicephorus II, 42 tradit evangelium a Joanne in Patmo insula relegato scriptum fuisse.

Articulus II. — Doctrina duodecim Apostolorum.

Relatio quæ quartum evangelium inter et Doctrinam XII apostolorum intercedit, varie adhuc hodierno die dijudicatur (1). Et sane quæstio est magni momenti cum plerique auctores (Funk, Schaff aliique) Didachen inter a 80-100 scriptam dicant et quidam (Minasi, Jacquier, Batiffol, Sabatier, Cornely, München) eam antiquiorem adhuc velint (2).

Resch dependentiam *Doctrinæ* ab evangelio adstruit, quod jam a. 70-80 exstitisse necessaria consequentia deducit, nixus præterea singulari Muratoriani fragmenti (l. 9-16) interpretatione et posthabito S. Irenæi explicito testimonio.

Conclusioni autem huic subscribere nullo modo possumus. Et nunc quidem de mutua utriusque scripti relatione loquamur, textum Muratorianum et testimonium lugdunensis episcopi loco opportuno fusius tractaturi.

Luce meridiana clarior apparet connexio evangelium inter et *Doctrinam* (3). Affinitas quidem cum Joanne deprehenditur tantum in c. IX et X *Doctrinæ*, in precibus scil. eucharisticis. At, in duobus his capitibus valde intimus est nexus ita ut fortuitus dici plane nequeat. Etenim verba atque locutiones utrim-

(1) Ut tantum omnino recentiores adducamus, cfr A. Harnack, *T. U.* II, 2, p. 79 s. — P. Ewald, *o. c.* p. 178 s. — H. Holtzmann, *Einl.*, p. 467 s. — A. Resch, *o. c.* p. 2 ss. — T. Zahn, *G.N.K.* I, p. 909 ss. — Marshall, *Critical Review*, 1897, p. 58. — W. Bousset, *Th. LZ.* 1897, p. 75. — Batiffol, *R. B.* 1897, p. 480.

(2) Cfr tamen A. Harnack, *Chron. ACL*, I, p. 428-438; p. 432 : « es lässt sich zeigen, dass, die Schrift nicht wohl vor 130 abgefasst sein kann. » — Th. Zahn, *Einl.* II, p. 446 Didachen circa a. 110 scriptam ait, eamque a quarto evangelio probabiliter dependentem habet. *G. N. K.* I, p. 909-912; 915.

(3) Cfr A. Harnack, *Die Apostellehre und die jüdischen beiden Wege* 1886, p. 79 ss. — G. Wohlenberg, *Die Lehre der 12 Apostel in ihrem Verhältniss zum neutest. Schrifttum*, 1888, p. 56 ss. — A. Resch, *o. c.* p. 2, sequentia tradit loca : Cfr *Jo.* 1,14a = Did. 10,2; 4,14 = Did. 10,3; 11. 12 = Did. 10,1; 6,54-55 = Did. 10,3; 6,69 = Did. 10,2; 11,25-26 = Did. 10,2; 11, 41-42 = Did. 9, 2-3; 10,2; 11, 51-52 = Did. 9,4; 15,1 = Did. 9,4; 15,1 = Did 9,2; 17,3 = Did. 9,3; X, 2; 17,11 = Did. 10,2; 17, 15-17 = Did. 10,5; 17,19 = Did. 10,5; 17,23 = Did. 10,5; 17,26 = Did. 9, 2-3; X, 2. — Cfr etiam I Joh. 4, 12, 17.

que identica reperiuntur, et cœna utrimque exhibetur tanquam præstans cibum spiritualem ducentem in vitam æternam.

Impossibile tamen est proprie dictam dependentiam *Doctrinæ* ab evangelio ostendere, neque evangelista *Doctrinam* respexisse dicendus est (1). Restat igitur ut preces eucharisticas c. IX et X in Didache et c. VI et XVII Jo. communem quemdam fontem habuisse teneamus. Post Zahn (G. N. K. I, p. 912) nostram facimus solutionem a Wohlenberg propositam : in precibus eucharisticis antiquioris ecclesiæ palestinensis, quales in *Didache* servatæ fuerunt, sermocinationes et preces commemorantur quas Christus post institutam Eucharistiam in ultima cœna recitavit, quasque Joannes postea in evangelio conscripsit.

Neque hæc solutio opinioni illorum (2) contradicit qui putant judaicum esse fundamentum precum eucharisticarum in *Didache* servatarum. E contra, nam nihil magis naturale est quam quod Christus in ultima cœna et primæva ecclesia judæo-christiana post ipsum ritus quosdam judaicos benedictionum et gratiarum actionum novæ liturgicæ institutioni accommodaverit. Plurium judicio analogia quædam inter gratiarum actiones in *Didache* traditas et benedictiones ritualis judaici reperitur. Qua ex similitudine haud parum confirmatur thesis Bickell qui ante plures annos jam missæ præcipuam partem quæ anaphora appellatur quodammodo gratiarum actiones ritualis judæorum circa festum Paschatis, referre putabat (3). Teste igitur *Didache* exstiterit apud judæo-christianos lingua liturgica « εὐχαριστίας » (4).

(1) Funk, *Doctrina duodecim apostolorum*. Tubingæ, 1887, p. xliii : « Neque vero indicia invenio satis luculenta, ut certum judicium ferre audeam. » — A. Harnack, *Chron. A. C. L.* I, p. 435 : « Die eucharistischen Gebete zeigen eine merkwürdige Verwandtschaft mit der johanneischen Auffassung vom Abendmahl und mit johanneischen Formeln und Wendungen; allein eine litterarische Abhängigkeit zu constatiren ist nicht möglich. »

(2) Cfr W. Bousset, *Th.LZ.* 1897, p. 75.

(3) Cfr Jacquier, *La Doctrine des douze Apôtres et ses enseignements*, 1891, p. 200 ss.

(4) *Did.* c. 9, 1 : « Περὶ δὲ τῆς εὐχαριστίας, οὕτως εὐχαριστήσατε. » Tales cæteroquin locutiones « eucharisticæ » etiam in prima epistola S. Clementis Romani habentur, quæ multorum judicio a quarto evangelio independens est. Cfr P. Ewald, *o. c.* p. 176 ss.

Existentia talis styli eucharistici modo satis congruo consonantiam explicat evangelii cum Didache, et quoad hoc evangelii punctum in specie demonstrat præter synopticorum materiam alia eaque authentica primævæ traditionis christianæ exstare elementa.

Articulus III. — S. Ignatius Antiochenus.

Quæstio de dependentia seu relatione quartum evangelium inter et epistolas S. Ignatii non est levis momenti neque obvia ejus solutio. Th. Zahn et A. Resch literariam Ignatii erga Joannis evangelium dependentiam omnino certam habent; Lightfoot, attenta brevitate epistolarum earumque charactere epigrammatico eamdem relationem affirmat. Von der Goltz autem in opere eruditissimo et summa cura confecto dependentiam ne quidem probabilem habet 1), etsi possibilitatem cognitionis illius evangelii a parte Ignatii non neget. Huic autem conclusioni A. Harnack calculum adjecit.

Cum ex una parte longum foret comparationes ab illis auctoribus institutas heic novo examini subjicere, ex alia vero parte ad *existentiam* evangelii Joannis initio sæculi II demonstrandam testimonium Ignatii jam attento criticis statu hodierno superfluum videri possit, quædam generales observationes jam sufficientes erunt.

Sententiæ breves quibus illæ epistolæ constant impedimento esse videntur quominus unquam plena cum certitudine laudata dependentia ostendatur. Certum est totam illarum doctrinam tum veteris tum novi Testamenti Scripturis niti quin tamen ad hunc scripturisticum usum probandum longæ citationes adduci possint. Attamen recte ait von der Goltz dependentiam erga epis-

(1) Cfr von der Goltz, *Ignatius von Antiochien als Christ und Theologe. T. U.*, XII, 3, 1891, p. 118-144 et 197-206. — A. Harnack *(Chron. A C L.* I, p. 396 s. et 674, n. 1). — A Resch, *o. c.* p. 11-12. — Th. Zahn, *G. N. K.* II, p. 903 ss. — Cfr. Lightfoot, *Biblical Essays*, 1893, p. 81 ss. — Antea jam plures auctores inter quos Lipsius, Hilgenfeld, Volkmar, Luthardt, Godet, etc. dependentiam Ignatii a scripto evangelio agnoverant.

tolas S. Pauli probari posse (1), nec tantam esse quoad locutiones similitudinem cum scriptis joanneis. Dicimus : *quoad locutiones seu quoad formam verborum*. Etenim ad ideas quod attinet seu doctrinam, connexionem Ignatii cum scriptis joanneis nemo negabit. Christologia Ignatii quæ in omnibus ejus epistolis proeminet ità ut centrum totius ejus theologiæ constituat, christologiam Joannis presse sequitur, unde inter singula fere puncta intimus nexus apparet : utriusque scripta inspicienti connexio satis patet et ab ipso Harnack et von der Goltz qui literariam dependentiam improbabilem dicunt, ultro admittitur. Ex hac necessitudine autem concludit von der Goltz exstitisse in Asia Minori expressionem christianismi excultam quam « asiaticam theologiam » (Kleinasiatische Theologie) vocari posse putat (2) quæque in ep. ad Ephesios apparet, cui etiam epistolæ Pastorales et I Petri consonant, quæque in Apocalypsi vestigia expressit, in evangelio autem Joannis hujusque epistolis « classicam expressionem » obtinuit (p. 129 s.). Inquirit dein von der Goltz utrum Ignatius hanc conceptionem lectione quarti evangelii acquisiverit, an vero tanquam hujus theologiæ testis independens habendus sit. Ut probabilius autem omnino admittit convenientiam Ignatium inter et Joannem non cognitioni evangelii Joannis esse tribuendam etsi inter utrumque auctorem connexionem tum historicam tum localem admittendam dicat (3), imo S. Ignatium probabiliter apostoli Joannis discipulum fuisse affirmet (p. 173). Præcipua loca quæ Zahn, Lightfoot aliique ad literariam Ignatii dependentiam probandam attulerunt, eruditus auctor novo examini subjicit (p. 131 ss.) et adversus illam filiationem plerumque discrimen *in forma* locutionis, sæpe etiam idearum discrimen allegat.

(1) Cfr tabulas summa cum cura confectas quas auctor in fine operis edidit.

(2) A. HARNACK, *Chron. A C L.* I, p. 396 s. n. 3 hanc denominationem rejicit, etsi factum connexionis doctrinæ ignatianæ cum joannea concedat cfr *Dogmengeschichte*, I p. 210 et p. 515, n. 1.

(3) *o c.* p. 174 : « Bei Ign. ist die Verwandtschaft zu den jedenfalls kleinasiatischen sog johanneischen Schriften eine so enge, dass ein bestimmter *direkter geschichtlicher und lokaler* Zusammenhang angenommen werden muss ».

At, illa methodus magna cum cautela adhibenda est. Etenim perfecta utrobique formularum identitas tanquam unica atque exclusiva dependentiæ norma adhiberi nequit, neque ut dependentiam clare manifestet auctor semper et ubique requiritur. Ità eamdem methodum Justini operibus applicat et usum quarti evangelii apud apologetam negat, qui tamen usus post investigationes A. Reschii jam negari non posse videtur, eo vel magis quod Justinus certo admittebat evangelium Joannis, ut infra dicetur. Nimis etiam huic facto insistit von der Goltz, quod scil. Ignatius synopticorum relationem satis presse sequitur (p. 137). Rectius postea hoc punctum dijudicat ubi scribit (p. 172) « aliquatenus hujus circumstantiæ rationem esse habendam », quod scil. forma narrationis synopticorum partim jam in communitatis stylo accepta seu trita erat, unde et apud illos perseverabat qui alias etiam circa Christi vitam historicas relationes noverant. Eodem modo major illa quæ cum paulinis epistolis quoad formam habetur convenientia rationabili modo explicari posse videtur. Discrepantia igitur *formalis* S. Ignatii epistolarum a scriptis joanneis, attenta publicationis tardiori epocha, plus æquo nos sollicitos habere non debet; attendere insuper idearum et doctrinæ connexioni magis oportet. Cæterum nec deest semper ipsa verborum similitudo. Pauca tantum exempla adducamus :

Ign. Phil. 7 : Εἰ γὰρ καὶ κατὰ σάρκα μέ τινες ἠθέλησαν πλανῆσαι ἀλλὰ τὸ πνεῦμα οὐ πλανᾶται ἀπὸ Θεοῦ ὄν. Οἶδεν γὰρ, πόθεν ἔρχεται καὶ ποῦ ὑπάγει καὶ τὰ κρυπτὰ ἐλέγχει.	Jo. 3, 8 : Τὸ πνεῦμα ὅπου θέλει πνεῖ, καὶ τὴν φωνὴν αὐτοῦ ἀκούεις, ἀλλ' οὐκ οἶδας πόθεν ἔρχεται καὶ ποῦ ὑπάγει· οὕτως ἐστὶν πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ πνεύματος. Cfr Jo. 8, 14; 13, 3; 7, 24, 28; 9, 29; 14, 5; 12, 35; 15, 26.

At von der Goltz (p. 134 ss.) alia via quam dependentia stricte dicta similitudinem explicari posse contendit, admittendo v. g. λόγιον κυριακον quoddam quale est Jo. 8, 14 (οἶδα πόθεν ἦλθον καὶ ποῦ ὑπάγω) substratum præbuisse. Sed non in solis verbis πόθεν ἔρχεται καὶ ποῦ ὑπάγει allusio jacet (1), cum utrobique

(1) Ipse von der Goltz, p. 134-135 ait «Nur dass der Geist sich unmittelbar kund giebt und keines Beweises bedarf, sondern diesen in sich selbst trägt, kommt hier wie dort zum Ausdrucke. » — Cfr Zahn, *G. N. K.* I, p. 903 s.

in contextu (cfr Jo. 3, 5 ss.) oppositio utrique auctori familiaris σάρξ inter et πνεῦμα appareat. Unde hypothesis dependentiæ a quarto evangelio tanquam magis naturalis et obvia adeoque ut probabilior nobis arridet.

Rom. 7 : οὐχ ἥδομαι τροφῇ φθορᾶς δὲ ἡδοναῖς τοῦ βίου τούτου; ἄρτον θεοῦ θέλω, ὅ ἐστιν σὰρξ Ἰησοῦ Χριστοῦ... καὶ πόμα θέλω τὸ αἷμα αὐτοῦ, ὅ ἐστιν ἀγάπη ἄφθαρτος, cfr. Phil. 4 εἰς ἕνωσιν τοῦ αἵματος αὐτοῦ.

Jo. 6, 27 : Ἐργάζεστε μὴ τὴν βρῶσιν τὴν ἀπολλυμένην, ἀλλὰ τὴν βρῶσιν τὴν μένουσαν εἰς ζωὴν αἰώνιον 33 ὁ γὰρ ἄρτος τοῦ Θεοῦ 35 ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς, 51 ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα καὶ πίνων μου τὸ αἷμα ἔχει ζωὴν αἰώνιον.

Iterum, differentiæ inter utrumque textum tum quoad ideas tum quoad verba ostendi possunt; sed, attenta ratione scribendi sententiosa Ignatii, numquid hic sanctus martyr caput VI Jo. tanquam fundamentum quod amplificat et excolit non assumere videtur? An non major hic habetur similitudo quam ut traditioni orali aut diuturnæ vel etiam repetitæ Ignatii cum Joanne ejusve discipulis conversationi tribui possit? Hæc duo exempla sufficere possunt, præsertim cum plenam hac in quæstione certitudinem obtinere valde difficile videatur : Joannis evangelium tamen ab Ignatio cognitum et adhibitum fuisse ut omnino probabilius accipimus.

Jam vero cum S. Ignatius certo sub Trajano (98-117) et valde probabiliter a. 107 (1) Romæ martyrium passus sit, ex ejus de quarto evangelio notitia non spernendum ad hujus scriptionis epocham determinandam indicium desumendum apparet.

Articulus IV. — S. Justinus martyr.

Propter intrinsecum rei momentum necnon ad penitiorem intelligentiam S. Justini testimonii infra allegandi, quædam de

(1) Cfr P. Allard, *Histoire des Persécutions*, *T.* I (Paris, 1885), p. 179, et *Bulletin Critique T.* VII (1887), p. 124. — Von Gebhardt et Harnack, *Gesch. A C L.* II, p. 405.

hujus apologetæ erga Joannis evangelium dependentia, breviter tradere juvabit.

Quæstio illius dependentiæ acri olim disputationi obnoxia fuit. At, post eruditas investigationes a Th. Zahn (G. N. K. I, p. 463 ss.) et Resch (o. c. p. 17 ss.) factas definitivo judicio soluta apparet, ità ut ii ipsi qui antea dubitabant utrum scripto evangelio Joannis usus fuerit Justinus, negabantque quartum evangelium in ejus scriptis inter ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων connumerari, sententiæ Zahnii et Reschii jam calculum adjicere parati sint (1).

Non vacat singula loca citare quæ ad utrumque probandum afferri possunt. Sed, quicumque citationes quas Resch ex Justino desumptas ad Jo. 1, 13-18; 31; 3, 4; 4, 14; V, 22; 6, 69; 9, 13; 14, 29; 16, 3 etc. affert, in contextu examinabit et conferet cum joanneo textu, utriusque asserti probationem pluries obviam habebit.

Liceat tamen paucis rem illustrare exemplis (2) :

1) Jo. 1, 18 : Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακεν πώποτε· ὁ μονογενὴς υἱὸς ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός, ἐκεῖνος ἐξηγήσατο.

(1) Ita v. g. W. Bousset, *Th. Lz.*, 1897, p. 75. « Dass Justin das vierte Evangelium ebenso wie die Synoptiker benutzt hat, scheint mir jetzt vollkommen gesichert zu sein. Namentlich liegt Apol. I, 61. s. 94. A, eine unzweifelhafte Beziehung auf Joh. 3, 4, f. vor Auch, das Justin das vierte Evangelium zu den ἀπομνημονεύματα rechnet, scheint mir im Widerspruch mit meinen früheren Ausführungen im höchsten Grade wahrscheinlich zu sein. »

(2) Cfr insuper Zahn, *G. N. K.* I, p. 916 ss. — Thoma, *Z W Th.* 1875, p. 383 ss, 490 ss. M. von Engelhardt, *Christenthum Just. des Märt.* Erlangen 1878, p. 347 ss. Cfr etiam von der Goltz, *Ignatius von Antiochien als Christ und Theologe, T. U.* XII. 3, qui negat (p. 143). «Bei Justin bleibt auch die schwache Möglichkeit, dass er das 4 Ev. doch gelesen hat, aber es sind dann nur ganz wenige Stellen, welche Frucht dieser Lektüre sein könnten, von der seine Verwandtschaft mit Joh. im Ganzen jedenfalls unabhängig ist.» Huic sententiæ ipse Harnack (*Chron. A C L.* I, p. 674, n. 1) calculum adjicit, immerito tamen ut ex allatis exemplis patet, et accurato operis Resch jam citati examine cuique constare potest. Dependentiam illam jam antea Thoma et Zahn clare demonstraverant. Cfr Zahn (*G. N. K.* I, B. 2 Hälfte 1889) et Thoma, *Z W Th.* 1875, 3 et 4 et : *Die Genesis des Johannes-Evangeliums* 1882, p. 823 : « s Justin... kennt und benutzt das Johannes-Evangelium sehr eingehend, aber in gar eigenthümlicher Weise ». Hoc tamen evangelium inter ἀπομνημονεύματα computari paulo infra negat.

Just. Dial. c. Tryph. c. 105 : Μονογενὴς γὰρ ὅτι ἦν τῷ πατρὶ τῶν ὅλων οὗτος, ἰδίως ἐξ αὐτοῦ λόγος καὶ δύναμις γέγεννημένος καὶ ὕστερον ἄνθρωπος διὰ τῆς παρθένου γενόμενος, ὡς ἀπὸ τῶν ἀπομνημονευμάτων ἐμάθομεν, προεδήλωσα.

2) Jo. 3, 4 : Λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ Νικόδημος· Πῶς δύναται ἄνθρωπος γεννηθῆναι γέρων ὤν; μὴ δύναται εἰς τὴν κοιλίαν τῆς μητρὸς αὐτοῦ δεύτερον εἰσελθεῖν καὶ γεννηθῆναι.

Just. Apol. I, 61 : ὅτι δὲ καὶ ἀδύνατον εἰς τὰς μήτρας τῶν τεκουσῶν τοὺς ἅπαξ γεννωμένους εμβῆναι, φανερὸν πᾶσιν ἐστι.

3) Jo. 6, 69 : Καὶ ἡμεῖς πεπιστεύκαμεν καὶ ἐγνώκαμεν ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ.

Just. Dial. c. Tryph. c. 109 (coll. c. 139) καὶ υἱὸν Θεοῦ γεγραμμένον αὐτὸν ἐν τοῖς ἀπομνημονεύμασι τῶν ἀποστόλων αὐτοῦ ἔχοντες καὶ υἱὸν αὐτοῦ λέγοντες νενοήκαμεν.

c. Tryph. c. 139 : πιστεύοντες ἐπὶ τὸν Χριστὸν καὶ ἐγνωκότες τὴν ἐν τοῖς λόγοις αὐτοῦ καὶ τῶν προφητῶν αὐτοῦ ἀλήθειαν.

Hæc pro tempore sufficiant de Justino : illud tantum ostendere volebamus, nempe evangelium Joannis a Justino cognitum et usitatum fuisse, adeoque, prout formula tam frequens apud eum ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων (1) jam indigitat, *plures* Justinum *apostolos* tanquam evangeliorum scriptores (2) reputasse. Huic consequentiæ, usu quatuor evangeliorum in Justini operibus solide stabilito, nedum obstet, potius favet apologetam juxta « apostolos » semel eorum « discipulos » tanquam evangelistas numerasse, nempe Dial. c. Tryph. 103 : ἐν γὰρ τοῖς ἀπομνημονεύμασιν, ἃ φημι ὑπὸ τῶν ἀποστόλων αὐτοῦ καὶ τῶν ἐκείνοις παρακολουθησάντων συνετάχθαι, γέγραπται... Ut hæc enim unica formula illaque frequentissima τῶν ἀποστόλων verificetur, requiritur ut præter Matthæum alium apostolum Justinus cognoverit auctorem scripti ejusmodi quod inter ἀπομνημονεύματα connumerabat. Quod ut vidimus de quarto evangelio plane verificatur (3).

(1) Cfr Zahn, *G. N. K.* I. p. 469, n. 2.

(2) *Apol.* I. 66 : « οἱ γὰρ ἀπόστολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν, ἃ καλεῖται εὐαγγέλια, οὕτως παρέδωκαν ἐντετάλθαι αὐτοῖς ».

(3) Cfr B. Weiss. *Einl.* p. 45 qui de opere Thoma jam dicebat : « Seit

Nec obstat quod Harnack objicit evangelium Petri a Justino etiam citari. Etenim, cum in hoc evangelio (si ad illud non vero ad Marci evangelium provocaverit Justinus), doctrinæ docetistæ non clare appareant, auctoritate quadam historica saltem frui poterat etiam apud orthodoxos scriptores. Sed, ut probatio illa quæ in quarti evangelii favorem ex titulo ἀπομνημονεύματα apostolorum deducitur valore suo destituatur, Petri evangelium inter illa ἀπομνημονεύματα connumerari ostendere oporteret. Hæc autem probatio nondum allata fuit nec afferri potest. Data tamen hac probatione — non concessa — integra manet Justini a quarto evangelio dependentiæ quæstio, eamque dependentiam ad præsentem scopum requiri et sufficere nemo non videt.

Articulus V. — Presbyteri apud S. Irenæum (adv. Hær. II, 22, 5 et V, 36, 2) et Papiam.

De Presbyteris quos Irenæus tam sæpe appellat alibi longius investigaturi, duo tantum loca hic attingimus, nempe adv. H. II, 22, 5 et V, 36, 2 (1).

In epistola ad Florinum (Eus. H. E. V, 20, 6) modo omnino generali affirmat Irenæus Polycarpum, omnia quæ de Domino audiverat a Joanne ac reliquis qui Dominum viderant accepisse; cuncta retulisse scripturis consona : πάντα σύμφωνα ταῖς γραφαῖς (2). In opere autem adv. H. II, 22, 5 testimonium « seniorum » invocat ad probandam chronologiam vitæ Domini quam etiam

den Untersuchungen von Thoma über Justin's literarisches Verhältniss zum Johannesev. (Ztschr. f. wiss Theol. 1875, 3. 4.) muss die einst von der Tübinger Schule so hartnäckig festgehaltene Behauptung dass Justin das vierte Ev. noch nicht kenne, als definitif beseitigt gelten. Seine ganze Logoslehre stammt ohne Frage aus dem Johannesevangelium, und manche der seiner Erzählung eigenthümlichen Züge hat Justin aufbewahrt. »

(1) Cfr Lightfoot, *Cont. R.* Febr. 1876. — Holtzmann, *Einl.* p. 468. — Harnack, *Chron. A C L.* p. 333 ss. *n.* — Funk, *O P A.* 1887, II p. 310 ss. — Corssen, *Monarchianische Prologe* (*T. U.* XV, 1) 1896 p. 106 s. — Zahn, *G. N. K*, I p. 781 s.

(2) In opusculo : *S. Irénée et le Canon du Nouveau Testament.* Louvain, 1896, p. 66 s. conati sumus probare hæc verba de Novo Testamento intelligi debere.

ex evangelio Joannis stabilire conatur. Arguit in hoc loco Irenæus Valentinianos qui in Scripturis analogias quærebant systemati suo triginta æonum applicandas. Talem autem analogiam in duratione vitæ Domini latitare putabant, quatenus juxta ipsos Dominus trigesimum annum agens ad baptisma venisset et unius tantum anni ministerium implevisset. — Quibus Irenæus respondet (II, 22, 3) « Est autem valde admirari, quonam modo profunda Dei adinvenisse se dicentes, non scrutati sunt in evangeliis, quoties secundum tempus Paschæ Dominus post baptisma ascenderit in Hierusalem », deinde exponit tria festa Paschatis in Joannis evangelio commemorata. Aliud dein argumentum *a priori* tradit : II, 22, 4 « (Christus) omnem ætatem sanctificavit per illam quæ ad ipsum erat similitudinem. Omnes enim venit per semetipsum salvare : omnes inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes et parvulos, et pueros, et juvenes et seniores... Quia autem triginta annorum ætas prima indolis est juvenis, et extenditur usque ad quadragesimum annum, omnis quilibet confitebitur ; a quadragesimo autem et quinquagesimo anno declinat jam in ætatem seniorem, quam habens Dominus noster docebat, sicut Evangelium et omnes seniores testantur, qui in Asia apud Joannem discipulum Domini convenerunt, id ipsum tradidisse eis Joannem. Permansit autem cum eis usque ad Trajani tempora. (καὶ πάντες οἱ πρεσβύτεροι μαρτυροῦσιν, οἱ κατὰ τὴν Ἀσίαν Ἰωάννῃ τῷ τοῦ Κυρίου μαθητῇ συμβεβληκότες, παραδεδωκέναι ταῦτα τὸν Ἰωάννην. Παρέμεινε γὰρ αὐτοῖς μέχρι τῶν Τραϊανου χρόνων). Quidam autem eorum non solum Joannem, sed et alios Apostolos viderunt, et hæc eadem ab ipsis audierunt, et testantur de hujusmodi relatione, »

Varias opiniones quæ circa miram hanc Irenæi sententiam propositæ fuerunt, sigillatim examinare non juvat, nec ad rem præsentem multum refert. Liceat tamen observare interpretationem quam Corssen (o. c. p. 106 ss.) proponit nimis arbitrariam esse, nosque non multum apologetica ejus (1) atque Har-

(1) *O. c.* p. 109 n. 1 : ... « an diesem einen Beispiel zeigt sich die Anhistoresie des Mannes (Irenaeus) mit erschreckender Deutlichkeit. »

nackii (1) animadversione qua auctoritatem Irenæi hac occasione impugnant, commoveri, cum conclusionem quam uterque auctor quoad chronologiam deducit, Irenæus minime statuerit; nam nunquam de anno mortis Domini determinando vel de ordine chronologico consequenter immutando cogitavit. Exaggeratio quam statim apud Presbyteros et Irenæum novimus, orta videtur tum ex polemica necessitate adversus Docetas *plenam* Christi humanitatem demonstrandi, tum ex persuasione qua Joannis testimonium Presbyteri adversus Docetas, Irenæus contra Valentinianos procedere sciebant. Cæterum, si contextus attente inspiciatur, directe probat tantum Christum eam habuisse ætatem qua *magister* appellari poterat. Insuper etiam observemus nos postea examinaturos esse utrum, uti Harnack autumat, locus hic in *Papiæ* opus tanquam in scriptum fontem reducendus sit. — Interim pro tempore sufficiat notare magna cum fiducia Irenæum testimonium adduxisse Presbyterorum in chronologia vitæ Domini stabilienda qualem triplicis Paschatis explicita mentione solus quartus evangelista construxit.

Alius locus habetur V, 36, 2 Ὡς οἱ πρεσβύτεροι λέγουσι καὶ διὰ τοῦτο εἰρηκέναι τὸν Κύριον, ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου μονὰς εἶναι πολλάς (Jo. 14,2). Cum Lightfoot (2) et Harnack (3) hanc citationem desumptam esse ex opere Papiæ arbitramur. Unde Papias quartum evangelium cognoverit (4), et eodem modo ac

(1) *O. c.* p. 335 n. « Was sollen wir von jenen Presbytern und von ihrem Verkehr mit dem Apostel Johannes und den andern Aposteln halten, wenn sie als einstimmige Ueberlieferung des Johannes und der andern Apostel bezeugten Jesus sei unter Claudius oder gar unter Nero gestorben! und welcher Werth kommt den Zeugnissen des Irenäus für die Urzeit der Kirche zu, wenn er den Tod Jesu unter Claudius verlegen konnte. » Præterquam quod Irenaeus annum mortis Christi non determinaverit, annon satius est uniuscujusque asserti argumenta examinare, abstinendo a quacumque exaggeratione? An forsan omnia rejicienda ut erronea, quia in uno deliquit vetus auctor?

(2) *Cont. R.* October 1875.

(3) *Chron. A C L.* p. 336 s. n.

(4) Cfr Harnack, *l. c.* « Die geringe Abweichung (ἐν τοῖς vielleicht nach Luc. 2, 49 für ἐν τῇ οἰκίᾳ Joh. 14, 2) gestattet nicht, eine besondere Quelle zu vermuthen, und dass das Wort in einem anderen Sinne verwerthet wird als im 4 Ev., kommt erst recht nicht im Betracht (gegen Abbot) ». Identicum

ex aliis evangeliis logia Domini ex eo desumpserit, quod a pluribus tamen etiam hodie cum pertinacia negatur. Hæc maximi momenti quæstio cæterum recurret ubi Papiæ testimonium examinabitur.

Ex hoc testimonio Presbyterorum sequitur evangelium Joannis (et Apocalypsin uti aliunde scimus) tempore quo Papias scripsit et jam antea in Asia cognitum fuisse. Notari liceat jure etiam concludi Papiam quartum evangelium cognovisse ex verbis Eusebii H. E. III 39 : κέχρηται (sc. Papias) αὐτὸς μαρτυρίαις ἀπὸ τῆς Ἰωάννου προτέρας ἐπιστολῆς : nam utriusque scripti eumdem esse auctorem tot exstant indicia et testimonia ut omnis probatio nobis superflua videatur.

Ac ope citationum ex operibus — quorum epocha scriptionis satis est determinata — adhuc altius evangelium Joannis deducere licet. Eodem modo ac pro Papia a prima Joannis epistola ad evangelium concludere possumus, Polycarpum evangelium cognovisse, cum c. 7 indubie I Jo. 4, 2, 3 adducat : « Πᾶς γὰρ, ὃς ἂν μὴ ὑμολογῇ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθέναι, ἀντίχριστός ἐστιν ».

Unde tempore Trajani (1) evangelium Joannis in Asia jam cognitum et lectum fuisse jure merito concludimus.

Articulus VI. — Actus Leucii et evangelium Joannis.

Quæstioni de relatione quæ inter ignoti Leucii Acta apocrypha et quartum evangelium existit, satis diu immorandum erit, tum propter tractandæ materiæ momentum quod eis tribuitur, tum quia plures eruditos hæc quæstio attentos reddidit, postquam scilicet P. Corssen in opere suo sæpius jam citato « *Monarchianische Prologe zu den vier Evangelien* » dependentiam Actuum illorum ab evangelio negavit totamque quæstionem novo examini subjecit, novaque produxit argu-

dubium Corssen, *o. c.* p. 109-110 movet mutando sensum ipsius dicti. Sed quot tunc signa dependentiæ hucusque admissa rejicere deberemus, huic methodo si alligaremur ?

(1) Cfr Harnack, *Chron. A C L.* I, p. 406 et 658.

menta (1). Sententiæ Petri Corssen, A. Hilgenfeld (2) favere videtur.

Corssen igitur, dependentia Leucii a Joannis evangelio, quam Lipsius (o. c. I p. 515) et Zahn (3) agnoverant, penitus rejecta, tanquam certum omnino ducit « auctorem evangelii (Joannis) si non ipsum Leucii opus, traditiones saltem cognovisse quas Leucius ipse non excogitavit quidem, verum accepit et excoluit (p. 131) ». Si thesis ista fundata esset, ortus evangelii nostri non ante annum 150 certe ponendus foret : quam logicam consequentiam ex positis præmissis Corssen expressis quidem verbis non deducit, non obscure tamen insinuat dum dicit evangelium scriptum fuisse ad refellendum docetismum quem apostolo in « actibus » Leucius tribuerat.

Sed scripta ipsa Leucii (4) adeamus, videamusque argumenta a Corssen allata.

Antequam ad ipsum *Actorum Joannis* textum veniamus, indirectum nec tamen spernendum argumentum proponere volumus, quod Corssen certe respicere debuisset, cum non parum ad solutionem quæstionis conferat, quippe quod ex intima connexione *Acta* aliorum apostolorum inter et *Acta Joannis* deductum sit.

Post eruditas investigationes quas Th. Zahn (5), R. A. Lip-

(1) Cfr Corssen *o. c.* p. 118-134; — Zahn *G. N. K.* II Band, Zweite Hälfte, II Abtheilung 1892, p. 832-891. — Lipsius, *Apocr. A G. A L* præs. I, 515-James *T. St.*, V. 1. — Harnack, *Chron. A C L.*, p. 541 ss.

(2) *Z W Th.* 1897, p. 472 s. « Corssen darf seine Ansicht durch vollständigere Kenntniss der Leucius' Schrift bestätigt finden ».

(3) *Acta Joannis*, Erlangen, 1880, p. 253 s. et *G. N. K.* II, 856-865. — Cfr James, *T. St.*, V. 1., p. 145.

(4) Quænam scripta sub communi et consueta hac denominatione veniant vide apud Harnack, *Gesch. A C L.* I, p. 541 ss.; Zahn, *G. N. K.* II, p. 832 ss.; Batiffol, *Anciennes Littératures chrétiennes, la littérature grecque*, Paris 1897, p. 41 ss. — Textus videsis apud : R. A. Lipsius und M. Bonnet : *Acta apostolorum apocrypha*, t. I (Lipsiæ 1891), T. II, Pars prior (Lipsiæ 1898.)

(5) *G. N. K.* II, p. 838-842, 850 n. 2, 860 s. Ita p. 840 s. « Die innige Verwandtschaft dieser Petrusakten mit den Johannesakten nöthigt zu der Annahme, dass sie, wenn nicht von demselben Verfasser, dann jedenfalls von einem völlig einverstandenen Mitarbeiter jenes « Leucius » geschrieben sind. »

sius (1) et M. R. James (2) instituerunt, nullum nisi imprudens omnino dubium remanere potest quin *Acta Petri* et *Acta Joannis* intime cohæreant, imo ab eodem auctore conscripta fuerint. Argumenta comparationisque elementa a tribus his criticis proposita omnem intellectum præconcepta opinione vacuum convincent.

Jamvero, si de tali connexione constet (nec revera videmus quonam jure negari possit), ulterius asserimus auctorem *Actorum Petri* Joannis evangelium cognovisse. Brevem autem hic subjungimus probationem, præcipua adducendo loca quæ dependentiam indigitant (3).

Actus Petri (ed. R. A. Lipsius 1891).	Ev. Joannis.
p. 46, l. 5. Abrelinquere vos tanquam parvulos sine matre.	14, 18 : οὐκ ἀφήσω ὑμᾶς ὀρφανούς.
l. 22. Fidelis est qui possit peccata tua delere.	I Jo. 1, 9 : πιστός ἐστιν καὶ δίκαιος, ἵνα ἀφῇ ἡμῖν τὰς ἁμαρτίας.
p. 53 l. 22 et 26 Deus omnipotens misit filium suum in sæculo.	Jo. 3, 17 : ἀπέστειλεν ὁ θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ εἰς τὸν κόσμον.
p. 54 l. 20. Filius perditionis.	17, 12 : ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας.
l. 22. Patrem.,. quem nemo vidit unquam.	1, 18 : θεὸν οὐδεὶς ἑώρακεν πώποτε.
p. 66. l. 26. lumen... quod non operiunt tenebræ.	I Jo. 1, 5 : καὶ σκοτία οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ οὐδεμία.
p. 67. l. 24. Ipse est in patre et pater in eo.	17, 21 : καθὼς σύ, πάτερ ἐν ἐμοὶ κἀγὼ ἐν σοί. Id. 10, 38.

p. 68, l. 11 ss. hunc Jesum habetis fratrem, januam (Jo. 10, 7), lumen (3, 19; 8, 12), viam (14, 6), panem (6, 35-51), aquam (4, 10; 7, 37), vitam (14, 6), resurrectionem (11, 25),... gratiam, fidem, verbum (1, 1-14) : quæ omnia epitheta Christo

(1) *Apocr. A. G. A. L.* II, 1, p. 264 ss. 272 etc.

(2) *T. St.* V, 1 p. X. « But of the Acts of Peter and John it may be said with the utmost confidence that they are the work of one and the same hand. The tables of parallels which I have collected will amply demonstrate this point. » cfr p. XXIV ss.

(3) Cfr Zahn, *G. N. K.* I, p. 784 ss. II, 848 ss. 863. — James, *o. c.* p, 152 s. ubi alia etiam loca indicantur.

applicata specifice joannea sunt. Hæc loca parallela jam sufficere possunt (1).

Veniamus nunc ad ipsa *Joannis Acta*, et utrum auctor quartum evangelium cognoverit inquiramus (2).

Dependentiam Actorum Joannis a quarto evangelio post Zahn, Lipsius aperte agnoverat, licet librum non ut Zahn (3) versus a. 150 (probabilius post mortem Polycarpi, versus 160; G.N.K. II 864 s.), sed potius secundo sæculo exeunte conscriptum fuisse dicat.

Cum igitur Petri Corssen citatus liber relationes Joannis acta inter et quartum evangelium rursus in quæstionem vocaverit, mutuam horum scriptorum dependentiam iterum indigitandam suscepimus. Maximiliani Bonnet opus quod inscriptum est « *Passio Andreæ ex Actis Andreæ, Martyria Andreæ et Matthiæ, Acta Petri et Andreæ, Passio Bartholomæi, Acta Joannis, martyrium Matthæi* ». Lipsiæ 1898 editum, postea tantum quam hanc dependentiam inquisieram legi. Ut quæstionem retractarem tempus defuit, novaque fragmenta a Bonnet edita examinare non potui (4), adeoque quoad loca antea notata, textum ab hoc erudito auctore publici juris factum cum quarti evangelii et Joannis epistolarum textu comparavi. Facilitatis gratia hanc comparationem lectori judici ostendere volui.

Bonnet. p. 194, l. 4 : οὔτε γράψαι χωρῶ ἅ τε εἶδον ἅ τε ἤκουσα.	Jo. 21, 25... οὐδ' αὐτὸν οἶμαι τὸν κόσμον χωρήσειν τὰ γραφόμενα βιβλία.

(1) Qui plura desiderant opera Zahnii et James ll. cc. adeant. Hanc ratiocinationem pro aliis forsan Actis (Thomæ-Andreæ) prosequi possemus, sed talis inquisitio longius nos duceret. — Cfr Lipsius, Zahn, James, *oo. cc.* Eumdem auctorem etiam *Acta Andreæ* habuisse affirmat James, quoad *Acta Thomæ* vero negat.

(2) Examen igitur tantum instituere potui circa fragmenta a Zahn edita, addito fragmento a James publici juris facto. — Usus sum tabellis a Zahn (*Acta Joannis*, p. 353-354) et James (p. 145 et 147) confectis, coll. Lipsius, I, p. 515.

(3) Harnack, *Chron. A C L.* I, p. 541. utramque epocham a Zahn assignatam ut penitus incertam habet : « schweben einstweile völlig in der Luft. »

(4) In novis illis fragmentis unicus tantum comparativus locus a Bonnet notatus est, nempe p. 171, Jo. 17, 3.

	1 Jo. 1, 1... ὃ ἀκηκόαμεν ὃ ἑωράκαμεν...
p. 194, l. 11 ss.: τὸ παιδίον τοῦτο ἐπὶ τοῦ αἰγιαλοῦ καλέσαν ἡμας.	Jo. 21, 4 : ἔστη Ἰησοῦς εἰς τὸν αἰγιαλόν.
p. 194, l. 19 : οὕτως σιγῇ τὸ πλοῖον ἀγαγόντες.	Jo. 6, 21 : τὸ πλοῖον ἐγένετο ἐπὶ τῆς γῆς εἰς ἣν ὑπῆγον.
r. 195, l. 3 : ἀνακείμενον ἐμὲ ἐπὶ τὰ ἴδια στήθη ἐδέχεται.	Jo. 13, 23 : Ἦν δὲ ἀνακείμενος εἷς ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ ἐντῷ κόλπῳ τοῦ Ἰησοῦ... 25 Ἐπιπεσὼν οὖν ἐκεῖνος ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Ἰησοῦ...
p. 195, l. 23 : Ἰωάννη μὴ γίνου ἄπιστος ἀλλὰ πιστὸς.	Jo. 20, 27 : μὴ γίνου ἄπιστος ἀλλὰ πιστός.
p. 196, l. 3 s.: ὁ δὲ Πέτρου καὶ Ἰακώβου ἐμοῦ... ἡγηνάκτων διανενόμενοί μοι.	Jo. 13, 23 : Νεύει οὖν τούτῳ Σίμων Πέτρος.
p. 197, l. 1 ss.: τὸν δὲ αὐτοῦ εὐλογῶν διεμέριζεν ἡμῖν· καὶ ἐκ τοῦ βραχέος ἕκαστος ἐχορτάζετο καὶ οἱ ἡμῶν ἄρτοι ὁλόκληροι ἐφυλάσσοντο, ὥστε ἐκπλήτεσθαι τοὺς καλοῦντας αὐτόν.	Jo. 6, 7 ss. præsertim 7 : ἵνα ἕκαστος βραχύ τι λάβῃ.
p. 197, l. 11 s.: Πρὶν δὲ συλληφθῆναι αὐτὸν ὑπό τῶν ἀνόμων καὶ ὑπό ἀνόμου ὄφεως νομοθετουμένων Ἰουδαίων.	Jo. 8, 44 : Ὑμεῖς ἐκ τοῦ πατρὸς τοῦ διαβόλου ἐστὲ.
p. 197, l. 19 coll. p. 217, l. 14 : Λόξα σοι λόγε δόξα σοι χάρις.	Io. 1, 1, 14.
p. 197, l. 21 : φῶς ἐν ᾧ σκότος οὐκ οικεῖ.	1 Jo. 1, 5 : ὁ Θεὸς φῶς ἐστὶν καὶ σκοτία ἐν αὐτῳ οὐκ ἔστιν οὐδεμία
p. 198, l. 2 : Λούσασθαι θέλω καὶ λούειν θέλω.	Jo. 13, 8.
p. 198. l. 11 : Λύχνος εἰμί σοι τῷ βλέποντί με.	Apoc. 21, 23; Jo. 12, 35 (8. 12).
p. 198, l. 14 : ἴδε σεαυτὸν ἐν ἐμοὶ λαλοῦντι.	Jo. 17, 21 : καθὼς σύ, πάτερ, ἐν ἐμοὶ κἀγὼ ἐν σοί ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐν ἡμῖν.
p. 198, l. 18 : λόγος ὑπὸ πατρὸς ἐστάλην.	1 Jo. 4, 14 : ὁ πατὴρ ἀπέσταλκεν τὸν υἱόν. cfr Jo. 1, 1.
p. 198, l. 12 : θύρα εἰμί σοι κρούοντί με.	Jo. 10, 7 : ἐγώ εἰμι ἡ θύρα τῶν προβάτων; 10. 9 Ἐγώ εἰμι ἡ θύρα.

p. 198, l. 20 ss.: τίς εἰμι ἐγώ ὅταν ἀπέλθω... ὅ σὺ μὴ οἶδας αὐτός σε διδάξω.

Jo. 13, 7 : ὃ ἐγὼ ποιῶ σὺ οὐκ οἶδας ἄρτι, γνώσῃ δὲ μετὰ ταῦτα. 16, 7 : συμφέρει ὑμῖν ἵνα ἐγὼ ἀπέλθω.

p. 199, l. 8 ss. : καὶ ἡμεῖς ὥσπερ πλανηθέντες ἤ καὶ ἀποκοιμηθέντες ἄλλος ἀλλαχόσε πεφεύγειμεν. ἐγὼ μεν οὖν ἰδὼν αὐτὸν πάσχοντα οὐδὲ προσέμεινα αὐτοῦ τῷ πάθει, ἀλλ' ἔφυγον εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν κλαίων ἐπὶ τῷ συμβεβηκότι. καὶ ὅτε τῷ ἀρουβάτῳ ἀπεκρεμάσθη, ὥρας ἕκτης ἡμερινῆς σκότος ἐφ' ὅλης τῆς γῆς ἐγεγόνει. καὶ στὰς ὁ κύριός μου ἐν μέσῳ τοῦ σπηλαίου καὶ φωτίσας αὐτὸ εἶπεν· Ἰωάννη, τῷ κάτω ὄχλῳ ἐν Ἱεροσολύμοις σταυροῦμαι καὶ λόγχαις νύσσομαι καὶ καλάμοις καὶ ὄξος τε καὶ χολὴν ποτίζομαι.

(Mt. 26, 56; Mc. 14, 50 ss.; Jo. 16 32). Jo. 19, 26 ss.

Jo. 19, 15 : Οἱ δὲ ἐκραύγαζον, Ἆρον ἆρον, σταύρωσον αὐτόν.

Jo. 19, 14 (non Mc. 14, 25) : ὥρα ἦν ὡς ἕκτη.

Jo. 19, 34 : Ἀλλ' εἷς τῶν στρατιωτῶν λόγχῃ αὐτοῦ τὴν πλευρὰν ἔνυξεν,

(Mc. 15, 19, 36. Mt. 27, 34).

p. 200, l. 5 ss.: ὁ σταυρός οὗτος ὁ τοῦ φωτὸς ποτὲ μὲν λόγος καλεῖται ὑπ' ἐμοῦ δι' ὑμᾶς, ποτὲ δὲ νοῦς, ποτὲ δὲ Ἰησοῦς ποτὲ Χριστός, ποτὲ θύρα, ποτὲ ὁδός, ποτὲ ἄρτος, ποτὲ σπόρος, ποτὲ ἀνάστασις, ποτὲ υἱός, ποτὲ πατήρ, ποτὲ πνεῦμα, ποτὲ ζωή, ποτὲ ἀλήθεια, ποτὲ πίστις, πατὲ χάρις.

Jo. 1, 1; 10, 9, 7; 14, 6; 6, 35, 48; 11, 25 : Ἐγώ εἰμι ἡ ἀνάστασις καὶ ἡ ζωή. 14, 6; 1, 14 : πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας.

p. 201, l. 4 s.: ὅταν δὲ ἀναληφθῇ ἄνθρωποι φύσις καὶ γένος προσχωροῦν ἐπ' ἐμὲ φωνῇ τῇ ἐμῇ πειθόμενον.

Jo. 10, 16 : κἀκεῖνα (scil. πρόβατα) δεῖ με ἀγαγεῖν καὶ τῆς φωνῆς μου ἀκούσουσιν.

p. 201, l. 10 : γίνωσκε γὰρ με ὅλον παρὰ τῷ πατρὶ καὶ τὸν πατέρα παρ' ἐμοί.

Jo. 14, 10 : Οὐ πιστεύεις ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί ἐστιν.

p. 201, l. 21 : νυγέντα καὶ οὐκ ἐπλήγην·... αἷμα ἐξ ἐμοῦ ῥεύσαντα καὶ οὐκ ἔρευσεν.

Jo. 19, 34 : λόγχῃ αὐτοῦ τὴν πλευρὰν ἔνυξεν, καὶ εὐθὺς ἐξῆλθεν αἷμα καὶ ὕδωρ.

p. 202, l. 11 ss.: θεασάμενοι οὖν

Jo. 1, 14.

ἀδελφοὶ τὴν τοῦ κυρίου χάριν... προσκυνοῦμεν αὐτοῦ ἐλεηθέντες ὑπ' αὐτοῦ, μὴ δακτύλοις, μηδὲ στόμασιν, μηδὲ γλώσσῃ, μηδ'ἑνὶ ὅλως σωματικῷ ὀργάνῳ, ἀλλὰ τῇ ψυχῇ τῇ διαθέσει.	1 Jo. 3, 18 : μὴ ἀγαπῶμεν λόγῳ μηδὲ τῇ γλώσσῃ ἀλλ' ἐν ἔργῳ καὶ ἀληθείᾳ.
p. 202, l. 20 : ὡς πάντῃ ὢν πάντων ἡμῶν ἀκούειν.	Jo. 11, 42 : ὅτι πάντοτέ μου ἀκούεις. 1 Jo. 5, 14 : ὅτι ἐάν τι αἰτώμεθα κατὰ τὸ θέλημα αὐτοῦ, ἀκούει ἡμῶν.
p. 205, l. 9 ss.: ταῦτα ὑμῖν ἀδελφοὶ ὁμιλῶ νῦν ἐπειγόμενος πρὸς τὸ προκείμενόν μοι ἔργον ἤδη τελειούμενον ὑπο τοῦ κυρίου.	Jo. 17, 4 : τὸ ἔργον ἐτελείωσα ὃ δέδωκάς μοι ἵνα ποιήσω. 1 Jo. 2, 4 : Ὁ λέγων ὅτι ἔγνωκα αὐτον.
p. 207, l. 11 ss.: δοξάζομέν σου τὴν εἴσοδον τῆς θύρας. δόξάζομέν σου τὴν δειχθεῖσαν ἡμῖν διὰ σοῦ ἀνάστασιν, δοξάζομέν σου τὴν ὁδόν. δοξάζομεν σου τὸν σπόρον, τὸν λόγον, τὴν χάριν, τὴν πίστιν... τὸν δι' ἡμας λεχθέντα υἱον ἀνθρώπου, τὸν χαρισάμενον ἡμῖν τὴν αλήθειαν.	Jo. 1, 1; 10, 9, 7 etc. v. suprà. Jo. 12, 24 (Mc. 4. 26; Lc. 8, 5, 11). Jo. 5, 27 : ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστίν. — Jo. 1, 14 : πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας.
p. 212, l. 4 : τῶν ἰδίων χάρις.	Jo. 1, 11 : Εἰς τὰ ἴδια ἦλθεν καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον.

Hæc omnia loca adducimus ut ipse lector comparationem instituere ac de mutua dependentia judicare possit.

Observat quidem Corssen (1) nullum hucusque in Leucii opere locum a quarto evangelio immediate dependentem ostensum fuisse, postulatam dependentiæ probationem locorum parallelorum indicatione non produci; ex alia autem parte apertis inter utrumque textum contradictionibus non satis attendisse criticos arbitratur.

Sane, loca citata si quis attente inspiciat, scripta joannea a gnostico auctore cognita fuisse facile concedet : loca parallela sunt frequentiora et nimis typica, ut ita dicam, quam ut alio modo ac per proprie dictam dependentiam consonantia explicari possit.

(1) *O. c.* p. 118.

At, ut statim difficultatibus a Corssen propositis via præcludatur ejusque in hac dependentia inquirenda methodi vitium indigitetur, non in eo solum casu dependentia asseri potest quo auctores hanc dependentiam expresse ostendunt. Pariter contradictiones sive doctrinales sive etiam historicæ inter auctores quorum mutua ad invicem relatio inquiritur, non statim dependentiæ possibilitatem e medio tollunt. Hoc autem vel eo magis in casu attendendum est, quod de opere, fabulis referto necnon gnosticismo ac docetismo favente agitur, in quo igitur — quod cæteroqui Corssen ipse implicite confitetur (1). — non tam historicæ veritatis quam theosophici systematis propugnandi studium expectandum est. Hujus autem veritatis historicæ perversionis exempla complura in gnosticis sæculi secundi scriptis invenire est, quorum tamen a canonicis scriptis dependentia vix dubia esse potest. Tendentia dogmatica in Joannis Actis clare elucet et huic imprimis scopo propugnans incuria et summa libertas erga canonica scripta, in specie erga quartum evangelium, tribuendæ apparent.

Cæteroqui methodi suæ Joannis Actorum auctor indicium quoddam in ipso suo opere ostendit (2). Hæc enim Joannes loqui exordiens ait : « ἐγὼ μὲν ὑμῖν προσομιλῶν οὔτε γράψαι χωρῶ ἅ τε εἶδον ἅ τε ἤκουσα. καὶ νῦν μὴ δεῖ με πρὸς τὰς ἀκοὰς ὑμῶν ἁρμόσασθαι, καὶ καθ' ἃ χωρεῖ ἕκαστος ἐκείνω ὑμῖν κοινωνήσω ὧν ἀκροαταὶ δύνασθε γενέσθαι, ὅπως ἴδητε τὴν περὶ αὐτὸν δόξαν ἥτις καὶ ἔστιν καὶ νῦν καὶ εἰς ἀεί » (3). — Uti supra notavimus (4), distincta in hoc loco ad Jo. 21, 25 et ad Jo. 1, 1 allusio invenitur. Sed præterea ad apostoli Joannis *scripta* alludere videtur auctor, quasi diceret apostolus « *In scriptis meis* mysteria quidem quæ vobis proponere in animo habeo non invenietis; etenim altiora sunt quam ut scripto consignari

(1) Etenim p. 132 Leucii opus appellare non dubitat : « den wundersüchtigen platten Roman, der der Unterhaltung der grossen Menge dienen will».

(2) Cfr James, *T. St.* vol. V, n. 1, p. 150. « I venture to think that the opening words of St John's speech (§ I of the fragment) contain a hint of Leucius' method of procedure in relation to the Johannine writings as well as an intimation that he knows of their existence ».

(3) M. Bonnet, *o. c.*, p. 194.

(4) Cfr p. 45-46.

possint; at ut ea *nunc* auditui vestro accommodem necesse est, et illa vobis, qui ut ea audiatis digni facti estis, in quantum unus quisque ferre potest, exponam. » Unde jam in antecessum eos monitos vult auctor, non esse cur mirentur in Joannis *scriptis* non inveniri mysteria (1).

Quantum igitur a differentiis sive dogmaticis sive etiam historicis quæ Acta Joannis inter et quartum evangelium intercedunt diffidendum sit, quando de utriusque scripti relatione determinanda agitur, ex dictis satis apparet. Conformitatem cum scriptis canonicis neque intendebant gnostici theosophi, neque ut ad destinatum scopum pervenirent, intendere poterant; in specie apocryphorum Actorum auctor, quemadmodum apocryphi scriptores generatim, neglectis potius canonicis scriptis, proprium se habere fontem contendit, unde fabulas atque fictas traditiones quibus dogmata sua stabiliat depromit.

His autem præmissis, non spernendum argumentum in favorem dependentiæ Actorum a quarto evangelio deducitur ex variis illis attributis quibus Christus apud Joannem designatur, quibusque Leucii narratio hinc inde conspersa apparet. At immerito Corssen (p. 120 ss.) hujus argumenti vim enervari putat ex eo quod apud Leucium alia insuper prædicata quarto evangelio ignota occurrant, atque joannea attributa aliam applicationem obtineant. Quid enim mirum si apud Leucium epitheta illa non jam Christo sed potius igneæ cruci (p. 200 l. 5, ss.) applicentur (2)? Nam, præ doctrina sua gnostica — licet ab aliis

(1) Jure merito opinatur James *l. c.* eumdem auctorem simili modo methodum suam in *Actis Petri* (R. A. Lipsius, *Acta Petri* etc. Lipsiæ 1891, p. 66 s.) exponere ubi ait sermonem exordiens : « Introivit autem Petrus in triclinio et vidit evangelium legi. Involvens eum dixit : Viri, qui in Christo creditis et speratis, scitote qualiter debeat sancta Scriptura domini nostri pronuntiari, quæ gratia ipsius quod capimus, scripsimus (gr. ap. Isid. Pelus. ἃ ἐχωρήσαμεν ἐγράψαμεν), etsi adhuc vobis infirma videntur, capaciter tamen quæ perferuntur in humana carne inferre ». Addit James *l. c.* « The phrase is at the beginning of a speech of Peter's which follows upon the reading of the account of the Transfiguration from » the Gospel ». « Probably (as an early annotator of the Vercelli MS. of the Acts has suggested) St. Mark's Gospel may be meant » (certe non Petri evangelium utpote quod doceticam interpretationem non postulabat). Paritas igitur cum nostro textu habetur.

(2) Cfr tamen M. Bonnet, *o. c.*, p. 207, l. 7 ss., coll. Zahn, *Acta Joannis*, p. 243, n. 5. — Corssen, *o. c.*, p. 121.

gnosticis systematibus discrepante — applicationem undequaque perfectam potius impugnare debebat Leucius. Cæterum, ut satis monuimus, de tali accommodatione, ipso teste, parum sollicitus erat, ita ut potius invitus quarti evangelii propriam terminologiam ac proinde cognitionem profiteretur. Non obstante igitur essentiali in doctrina discrepantia, vere sufficientia remanent indicia unde ad Actorum a quarto evangelio dependentiam concludamus (1).

Leucius igitur joannea scripta cognoscens eaque auctoritate frui perspiciens, doctrinam tamen illorum doctrinæ e diametro oppositam proponere, quomodo confidit? Præcise eorum cognitionem apud lectores supponendo, eorumque terminologiam quasi assumendo, sed doctrinam illorum quasi exotericam atque omnibus modo obvio propositam esoterica atque soli discipulorum intimiori cœtui proposita doctrina explanaturus (2).

Unde optime intelligimus — quod tamen Hilgenfeld miratur (3) — auctorem gnosticum narrationem de transfixione lateris Christi et de fluxu sanguinis et aquæ cognitam eamque ut a teste oculato scriptam habuisse et nihilominus scripsisse sequentia tamquam a Christo Joanni dicta : « ἀκούεις με παθόντα καὶ οὐκ ἔπαθον, μὴ παθόντα καὶ ἔπαθον· νυγέντα καὶ οὐκ ἐπλήγην· κρεμασθέντα καὶ οὐκ ἐκρεμάσθην· αἷμα ἐξ ἐμοῦ ῥεύσαντα καὶ οὐκ ἔρευσεν » (4). — Etenim auctor, utpote docetismo aperte favens, crucifixionem, lateris transfixionem ac Christi mortem ut phænomena vere visibilia exhibet, quæ tamen realiter et de facto Christus non est expertus. Joannes igitur in evangelio ea referre poterat, sed tamen ex intimiori cum Christo commercio noverat hæc omnia tantum *symbolice* fieri, quod Actorum auctor totidem verbis declarat « τοῦτο μόνον κρατύνων ἐν ἑαυτῷ ὅτι

(1) Dependentiam etiam admittit Zahn. Etenim ait *Einl.*, II, 1899, p. 447 : « Der unbekannte Verfasser des Petrusev. um 150 und der angebliche Johannesschüler Leucius in den Akten des Johannes und des Petrus um 160-170, haben nicht Weniges aus dem 4 Ev. sich angeignet. »

(2) Cfr James, *o. c.*, p. 149.

(3) *Z. WTh.* 1897, p. 472 s. Hic auctor Petri Corssen sententiam de Leucii Actorum a quarto evangelio independentia aliquatenus approbare videtur.

(4) Bonnet, *o. c.*, p. 201 l. 19 ss.

συμβολικῶς πάντα ὁ κύριος ἐπραματεύσατο καὶ οἰκονομικῶς εἰς ἀνθρώπους ἐπιστροφὴν καὶ σωτηρίαν » (1).

Ex his jam sufficienter apparet, quartum evangelium gnostico auctori non magnæ fuisse auctoritatis, ita ut Leucius non tam evangelii testimonio quam secreta quadam et fictitia traditione doctrinam suam stabilire conatus sit.

Insuper, Petri Corssen sententiæ improbabilitas jam ex hoc apparet quod in hypothesi prioritatis traditionum leucianarum, quarti evangelii conscriptio usque ad annum 150 circiter retardanda sit : hæc autem opinio quovis fundamento solido destituta apparet.

Neque quartum evangelium contra leucianas traditiones pugnare dicendum est : nulla ibi tendentia antidocetica reperitur (2).

CAPUT II.

COMMORATIO EPHESINA JOANNIS APOSTOLI. — JOANNES PRESBYTER.

§ I. — Commoratio ephesina Joannis Apostoli.

Prænota. — Usque ad finem S. XVII concors fuerat traditio christiana in asserendo S. Joannem apostolum auctorem esse

(1) Bonnet, *o. c.*, p. 202, l. 6 ss. — Coll. James, *o. c.*, p. 149-150. — Quoad contradictiones quas in historia passionis Acta inter et quartum evangelium reperire putaverat Corssen, James jam p. 147 ss. respondit. Lectio « τὸ Ἄρον ἐβοᾶτο » unde convenientiam cum Petri evangelio deducebat Corssen, neque a Bonnet fuit recepta, qui ita legit : « καὶ ὅτε τῷ ἀρουβάτῳ ἀπεκρεμάσθη, ὥρας ἕκτης ἡμερίνης σκότος ἐφ' ὅλης τῆς γῆς ἐγεγόνει. » Bonnet *o. c.*, p. 199 l. 11 s. — Lectionem « ἐν Ἱεροσολύμοις σταυροῦμαι » James l. c. ex male intellecto versu Jo. 19, 20 ortam suspicatur, « ὅτι ἐγγὺς ἦν ὁ τόπος τῆς πόλεως ὅπου ἐσταυρώθη ὁ Ἰησοῦς ». Immerito Leucius vocem ὅπου ad verbum πόλεως retulerit.

(2) Cæterum ipse Corssen alibi tendentiam talem evangelio nostro fere denegare videtur; ait scil. p. 132 : « Ueber den wundersüchtigen platten Roman der der Unterhaltung der grosse Menge dienen will, ist das von einen einheitliche Gedanken straff zusammengehaltene Evangelium hoch erhaben. So deutlich es im einzelnen sich gegen die doketische Lehre richtet (!) *so ist es doch keine Tendenzschrift, sondern in einem weit höheren Sinne verfasst.* » Utinam aurea hæc verba decursu tractationis suæ melius perpendisset auctor.

quarti evangelii illudque Ephesi Asiæ scripsisse. Soli excipiendi sunt Alogi quorum negatio coævos rarum commovit, quorumque dubia speciali capiti examinanda reservantur. Relicta traditione ecclesiastica, variæ hoc sæculo de origine evangelii propositæ fuerunt sententiæ, quemadmodum historia controversiæ nobis revelavit.

Traditio ecclesiastica, cujus valor a multis criticis hujus sæculi penitus negatus fuit, in dies magis magisque in pristina jura redintegratur (1), adeo ut ipse A. Harnack, criticum examen circa « hypotheses tubingenses » et theses novissimas « scholæ neerlandicæ », superfluum judicaverit. Quoad originem nostri evangelii in specie, major in dies fit numerus eorum qui ad traditionem pristinam redeundum esse censent. Multum abest tamen ut omnes difficultates jam expeditæ omniaque dubia soluta videantur.

Multi auctores hodie, sive omnia scripta joannea unico scriptori tribuentes (2), sive inter plures ea dividentes (3), Joannem quemdam revera scriptorem fuisse evangelii affirmant, negant tamen eum apostolum fuisse ; fuerit potens « presbyter » ille Joannes, quem posterior traditio satis cito cum apostolo ejusdem nominis confuderit, quique tamen juxta quosdam speciali modo cum apostolo connexus fuerit, adeo ut quartum evangelium, juxta Harnack, vocandum sit : « εὐαγγέλιον Ἰωάννου (τοῦ πρεσβυτέρου) κατὰ Ἰωάννην (τὸν Ζεβεδαίου) » (4).

Eruditissimi illius professoris systema conclusionesque compendiose exponere opportunum erit, tum ut ejus methodus aperiatur, tum ut difficultates quæ ei aliisque auctoribus impedimento sunt quominus integrum de quarti evangelii origine traditionis testimonium accipiant, magis patefiant.

(1) Cfr Harnack, *Chron. ACL.* I. Vorrede.— *Theologische Rundschau*, 1897, Heft I, p. 5 s.

(2) Cfr Harnack, *Chron. ACL.* p. 658, n. 2 (pro evangelio et epistolis) p. 675, ns. (pro Apocalypsi). — Cfr nomina auctorum apud Holtzmann, *Einl.*, p. 458 s.

(3) Zuellig, Baur, Schwegler, Köstlin, Zeller, Hilgenfeld, Krenkel, Davidson, Luecke, Credner, Bleek, Mangold, Reuss, Ewald, Duesterdieck, Wieseler.

(4) Harnack, *Chron. ACL.* p. 677.

P. 659 operis sui *Chron. ACL.* ita scribit Harnack : « Quisnam evangelium et epistolas (Joannis) scripsit? Ut huic quæstioni respondeamus præter ipsum joanneorum scriptorum testimonium, Papiam, veteres ecclesiæ asiaticæ doctores, Clementem Alexandrinum atque Alogos interrogemus oportet; seponendus est Irenæus, nam quod de antiquiori ecclesiastica Asiæ historia sciebat vel scire putabat, per Papiam præcipue (hauptsächlich) cognoverat. Sed etiam Polycarpi testimonium excidit, nam in epistola sua non invocat Joannem quemdam, et per Irenæum tantum Polycarpum tanquam Joannis et apostolorum discipulum cognoscimus. Quisnam autem ille Joannes fuerit ab ipso Polycarpo non discimus : de hac autem quæstione agitur ». Singula dein testimonia in textu indicato percurrit Harnack, addita Justini et Apollinaris Hierapolitani testificatione. Hi omnes unum Joannem pro Asia nominant : apostolum. « Testificantur Irenæus, ecclesia Asiæ Minoris (Polycrates) et Clemens apostolum Joannem auctorem esse quarti evangelii, eum usque ad Trajani tempora Ephesi vixisse, et de alio Joanne in Asia se nihil audivisse » (p. 673). Ex Justino possibilitas, imo certa quædam probabilitas (eine gewisse Wahrscheinlichkeit) relucet quartum evangelium tanquam opus apostoli c. a. 155-160 denominatum fuisse (p. 674).

Prologus apud Papiam ita interpretandus est ut de duplici Joanne loquatur. — Attamen desinit apud Papiam quæstio joannea in « non liquet ». — Certissime scriptis joanneis usus est et Joanni Apocalypsin tribuit, cuinam autem ex duplici Joanne non liquet. — Apostolum Joannem in Asiam Minorem venisse ex Papiæ opere non probatur; e contra, modus quo de eo loquitur Papias potius oppositæ thesi favet.

Testimonium igitur Justini de Joanne apostolo in Asia vitam degente et scripta edente propter testimonium Papiæ incertum fit. — Existentia autem duplicis Joannis, amborum Domini discipulorum, simultanee ecclesiam regentium, est valde incerta, præsertim cum unum tantum Joannem pro Asia, presbyterum Papias, Patres catholici in fine II sæculi solum apostolum, cognoverint. Sæculo tantum tertio oritur incerto modo traditio de duplici Joanne. — Apostolum in presbyterum mutatum

fuisse nemo admittet : locum presbyteri igitur obtinuit apostolus, solusque presbyter in Asia vixit atque evangelium scripsit (1).

Sed quomodo testimonium Irenæi tam explicitum eliminatur? Quæstionem prout eam Harnack exponit breviter tantum indicamus infra plura tradituri. Irenæus cum tantum intra a. 135-142 natus sit, non fuerit discipulus proprie dictus Polycarpi qui obiit a. 155. — Nec fuerit discipulus Presbyterorum illorum quorum testimonium sæpe invocat in scriptis, quosque ut tales exhibet qui Joannem apostolum vel etiam alios apostolos cognoverint : dicta horum Presbyterorum ex opere Papiæ desumpsit. Papias revera discipulus fuit Joannis sed presbyteri, non apostoli, sicut et Polycarpus. Irenæus autem Joannem a quo Papias dicta acceperat cum apostolo Joanne inscius identificaverit (p. 656-657).

Versus a. 160 Alogi originem apostolicam quarti evangelii rejecerunt : huic facto multum insistit Harnack (p. 670) : quæstio fit nempe utrum ipsi an vero ecclesiæ antiquiores omnes quibus contradixerunt veram traditionem servaverint (2).

Unde ut summa rei capita huic nostræ dissertationi includamus, hoc et sequentibus capitibus agemus :

De commoratione ephesina Joannis Apostoli ;

De Joanne Presbytero ;

De testimonio S. Irenæi ;

De Alogorum erga quartum evangelium habitudine ;

De variis circa evangelii Joannis originem testimoniis et traditionibus.

De Commoratione ephesina Joannis Apostoli.

Quanti sit momenti accurata omnium quos de hoc facto habemus testium interrogatio ex suprà traditis abunde elucet. Uti

(1) Cfr Harnack, *o. c.* p. 674. — Argumenta ex ipso evangelio desumpta in secunda dissertationis parte obviam habebimus.

(2) Thesis Harnackii non est plane nova (cfr Holtzmann, *Einl.* p. 464) ut ex historia controversiæ constat, sed nullus hucusque tanta cum eruditione ac methodo tam objectiva, sibi tam constanti et consequenti eam proposuit. — Recentius adhuc Zahn, G. N. K. et Poggel *(Der zweite und der dritte Brief des Apostels Johannes*, 1896) quæstionem tractarunt, quin tamen opus Harnackii *(Chron. ACL.)* et Corssenii *(Monarchianische Prologe)* adhibere potuerint.

diximus, impossibile esse duos in Asia Minori simultanee exstitisse eosque notissimos discipulos Domini Joannes vocatos eamdem habentes historicam vitam, omnes ultro confitentur. — Impossibilitas illa adhuc augetur ex longævitate quam plures testes Joanni Ephesino tribuunt. Sed hac impossibilitate admissa et ex allatis fontibus uberius demonstrata, quæstio non multum procedit, cum inter alterutrum Joannem sit eligendum, eaque electio scientifice sit comprobanda.

Unumquodque igitur testimonium accurate exponendum est atque juxta varia personarum, temporis et loci etc. adjuncta æstimandum; relatio inter varia testimonia in quantum fieri potest determinanda, ne cujusvis imprudentiæ ferendum judicium argui possit. Insuper ab iis qui commutationem apostoli loco presbyteri defendunt contra positiva traditionis testimonia, gravia et momentosa expostulantur argumenta.

Unanimis erat sententia omnium auctorum qui ante exortum sæculum XIX de quæstione nostra tractarunt, Joannem filium Zebedæi et Salome (Mt. 4, 21; 27, 56; Mc. 15, 40; 16, 1) fratrem Jacobi jussu Herodis Agrippæ I occisi (Act. XII, 1-3), probabiliter post mortem S. Pauli apostoli (1) in Asiam provinciam venisse, ephesinæ ecclesiæ præfuisse eamque usque ad summam senectutem rexisse. Plures etiam eorum qui evangelium alii quam apostolo adjudicabant, apostolum tamen in Asia commorasse docebant (2).

Articulus I. — Apocalypsis Joannis.

Antequam testimonium quod Apocalypsis commorationi ephesinæ Joannis *apostoli* tribuere hucusque visa fuit exploremus, quædam animadvertere opportunum judicavimus.

(1) Quod tempore S. Pauli nondum Ephesi esset Joannes apostolus jure concluditur ex silentio S. Pauli in oratione ephesina ad « majores natu ecclesiæ » habita, atque ex absentia nominis Joannis in epp. ad Ephesios, Colossenses et Timotheum. — Epistolæ S. Petri etiam apostolatu asiatico Joannis anteriores sunt.

(2) Cfr B. Weiss, *Einl.* p. 340, n. 1.

Inde a secundo sæculo historia Apocalypseos indissolubili nexu cum traditione de quarti evangelii origine conjuncta fuit; imo occasione prophetici hujus libri ejusque doctrinæ, præcipuæ circa scriptorum joanneorum auctorem controversiæ ortæ sunt. Septem Asiæ provinciæ ecclesiis sese scriptam exhibet Apocalypsis : jam vero in iis præcise communitatibus christianis, eæ sæculo II vixerunt personæ, quæ tanquam præcipui testes in quæstione joannea adducuntur. Insuper cum in tot et tantas difficultates ii impingant qui duobus distinctis auctoribus Apocalypsin et quartum tribuunt evangelium (1), cum ex alia parte utriusque scripti communis originis indicia interna in dies magis animadvertantur (2), quanti momenti sit in quæstione nostra omnia ea attingere puncta quæ originem Apocalypseos respiciunt, satis apparet.

Sed et sola traditione externa inspecta, necnon attento nexu illo intimo qui a primordiis quarti evangelii et Apocalypseos fata conjunxit, non videmus quomodo sententiæ de diverso utriusque libri auctore solidum inveniri queat fundamentum. Verum, utriusque scripti auctoris identitate supposita (3), quomodo Apocalypseos testimonium in quæstione joannea usuveniat, statim inquiramus.

Solus autem modus quo auctor Apocalypseos se designat (Apoc. 1, 1, 4, 9; 22, 8), impossibilitatem illam de qua jam locuti sumus, duos eosque notissimos in Asia proconsulari exeunte sæculo primo fuisse Joannes, clare patefacit. Etenim auctori Apocalypseos persuasum erat, solum illud nomen « Joannes » modo congruo personam suam atque opus commendare, quin ullo modo possibilitatem erroris apud totius provinciæ

(1) Cfr B. Weiss, *Einl.* 1897, p. 593, n. 1. « Selbst die Apokalypse den Evangelien zu opfern, verscheint bei den früheren Bezeugung und der inneren Bewährung der Apostolicität derselben als höchst bedenklich, und die Frage nach der Vereinbarkeit des apostolischen Ursprungs beider Schriften wird daher immer wieder aufgenommen werden müssen. »

(2) W. Bousset, *Die Offenbarung Johannis*, p. 206 ss. — Cfr insuper Chr. E. Luthardt : *Der johanneische Ursprung des vierten Evangeliums*, 1874, p. 203 ss.

(3) Ut de statu quæstionis agentes præmonuimus, præcipua argumenta afferentes.

christianos quos alloquebatur, timeret. Sive authentica sive supposita sit Apocalypsis, res eodem redit, cum in hypothesi possibilitatis erroris, stupendum atque in tota litterariorum usuum historia unicum reliquisset falsarius ineptæ talis substitutionis exemplum. Insuper auctor manifeste se exhibet tanquam qui inconcussa auctoritate septem illas Asiæ ecclesias earumque episcopos alloquatur, et ex satis longo jam commercio statum communitatum illius regionis cognoscat. Unus igitur profecto fuerit tunc temporis in Asia apostolicus vir nomine Joannes (1), et ad eum tota traditio posterior referenda est. Vel apostolus Joannes igitur Apocalypsin (et evangelium) scripsit, vel nunquam in Asia proconsulari vixit : nam si « presbyter » Joannes auctor Apocalypseos declaratur, in eum eo ipso exsilium in insulam Patmos atque omnia ea elementa quibus traditio de Joannis commoratione ephesina nititur, referenda sunt. — Neque obliviscamur tanquam scriptorem Apocalypseos talem postulari personam quæ, ut ex ipso libro constat, summa in totam Asiam pollebat auctoritate (2), ita ut memoria missionum S. Pauli apostoli antea in hac provincia susceptarum, in documentis ætatis posterioris fere penitus oblivioni tradita fuerit.

Quibus expositis, examinemus jam utrum ipse liber nulla contineat indicia quæ in favorem alterutrius Joannis loquuntur (3). Sane, imprimis nomen Joannis tanta cum fiducia initio scripti proponitur ut nullo modo possibilitas erroris timeri videatur. Si alius Joannes præter apostolum scriptum hoc composuisset, magis forsan, ævo apostolorum tempore adhuc tam

(1) Casu quo apostolus presbyterum præcessisset (et, cum Apocalypsis juxta longe probabiliorem sententiam a. 93-96 conscripta sit, est sola hypothesis possibilis), sive pro apostolo reputari voluisset Joannes sive id non intendisset, nulla congrua explicatio illius generalis designationis « Joannes » excogitari potest.

(2) Merito ait Zahn, *Einl.* II, 1899, p. 612 « Ohne die Voraussetzung einer hervorragenden Stellung des in diesem ganzen Kreise, und seiner Vertrautheit mit den Verhältnissen denselben, wäre 1, 4 — 3, 22 unbegreiflich ».

(3) Apostoli auctoris imaginem relucere in Apocalypsi præter catholicos multi protestantes autumarunt et v. g. Zuellig, Baur, Schwegler, Koestlin, Zeller, Davidson etc. Indicia apostolicæ origini repugnantia inter alios se detexisse putarunt : Luecke, Credner, Bleek, Ewald, Neander, Duesterdieck, Thoma, Pfleiderer, etc.

vicino, de confusione vitanda sollicitus fuisset. Unde probabilitas quædam exsurgit auctorem Joannem nullum homonymum auctoritate et dignitate « discipuli Domini » sibi parem, cognovisse. Secus enim, si quominus pro apostolo traduceretur impedire voluisset, modo magis determinato quam 1, 1, 4, 9; 22, 8 sese designare debuisset.

Supra autem vidimus generalem illam subscriptionem omnem suppositionis et fraudis probabilitatem arcere. Nolumus quidem multum huic indicio insistere quod confirmationem tamen accipere videtur ex v. 2°, c. I : Ὃς ἐμαρτύρησεν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ καὶ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅσα εἶδεν. An non habetur hic allusio ad munus *apostolatus* quo functus erat Joannes?

Quidquid sit de his indiciis, ex alia parte nihil contra originem apostolicam libri deduci potest ex eo quod duobus in locis 18, 20 et 21, 14 objectivo quasi modo de apostolis scriptor loquatur : huic loquendi modo plus æquo Harnack nobis insistere videtur (1), quatenus omnes apostoli tempore quo scripta fuit Apocalypsis defuncti fuissent. Etenim c. 18, 20 eodem objectivo modo Prophetæ citantur : Εὐφραίνου ἐπ' αὐτῇ οὐρανέ, καὶ οἱ ἅγιοι καὶ οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ προφῆται, ὅτι ἔκρινεν ὁ Θεὸς τὸ κρίμα ὑμῶν ἐξ αὐτῆς. Attamen sæpius auctor seipsum in Prophetarum numerum explicite collocat : 1, 1, 3, 10; 22, 9, 10, 18, 19. — Modo omnino cum 21, 14 parallelo apostolus Paulus apostolos fundamentum Ecclesiæ vocat (I Cor. 12, 28 coll. I Cor. 3, 10-11; Eph. 2, 20; 3, 5; 4, 11) (2). Modus ille loquendi eo minus nos commovere debet quod stylus in utroque loco propheticus sit et visionibus rerum futurarum describendis inserviat.

Plures auctores insuper, inter quos Renan (3), characterem

(1) *Chron. ACL.* p. 675 : « Der Verf. der Apokalypse nennt sich einfach Johannes und spricht von den Aposteln in einer so objectiven Weise, das man sich nicht wohl davon überzeugen kann, er selbst gehöre zu den Zwölfaposteln ».

(2) Alium adhuc parallelismum indicat Zahn *Einl.* II, p. 616 : « Dann müssten Worte, wie Lc. 22, 30; Mt. 19, 28, welche doch nur Apostel gehört und weitererzählt haben können, Erfindungen von Nichtaposteln sein ».

(3) *L'Antéchrist*, 1873, p. XXIX ss. Quædam tamen cum exaggeratione dicta sunt. — Addit Renan, p. XXX : « Il semble qu'il a vu Rome, ses temples, ses statues, la grande idolâtrie impériale. Or un voyage de Jean à Rome, à la suite de Pierre, se laisse facilement supposer ».

Joannis filii Zebedæi qualis in evangeliis depingitur (Mc. 3, 17, 9, 37; 38; L. 9, 54, etc.), in Apocalypsi expressum volunt; et revera, in quantum comparatio institui potest, convenientia observatur. Ne diutius tamen his immoremur, sed hoc saltem examen internum revelat scriptorem Apocalypseos Joannem fuisse, qui intime sibi conscius erat nullum esse periculum quominus cum homonymo quodam confunderetur, qui summa in ecclesias Asiæ pollebat potestate, qui earum necessitates spirituales notas habebat, qui se fratrem et participem vocabat in tribulatione et regno et patientia in Christo Jesu, qui fuit in insula quæ appellatur Patmos (Epheso vicina) propter verbum Dei et testimonium Jesu. — Nullum insuper est dubium quin talis supremus episcopus apud illas ecclesias vividam reliquerit memoriam.

Necessarium igitur omnino est ut traditionem sæculo apostolico magis propinquam circa originem Apocalypseos interrogemus, cujus testis præ cæteris nobilis est S. Justinus, quippe qui primus explicite prophetici libri ortum tradit. Justinus, ethnicus incircumcisus, Palæstina oriundus versus a. 133 (Harnack, *Chron. ACL.* I, p. 274 ss.) religioni christianæ Ephesi nomen dedit. Uti constat ex *Dialogo* suo *cum Tryphone* quem a. circiter 155-160 (Harnack, *o. c.* p. 284) inter duas quas Romæ habuit commorationes exaravit, Justinus, vir in græcis litteris et judaismo valde eruditus, Ephesi per plures annos vixit (1) ibique ad religionem christianam conversus est. Dialogus ille cum judæo Tryphone lectorem transfert in illud tempus a. 130-135, quatenus scil. in hoc libro conversio auctoris narratur, et occasione incredulitatis Tryphonis judæi (2) longo sermone religionem christianam exponit, ita ut quasi vitam quam Ephesi degit, describat.

Jam vero, in illo Dialogo Ephesi habito, Justinus expressis verbis Apocalypsin Joanni *apostolo* tribuit dum ait (c. 81) : καὶ παρ' ἡμῖν ἀνήρ τις ᾧ ὄνομα Ἰωάννης, εἷς τῶν ἀποστόλων τοῦ

(1) Juxta Harnack, *Chron. ACL.* I, p. 284, circa a. 135, juxta Zahn vero, *G. N. K.* II, p. 950, circa a. 130-135. — Cfr Zahn, *Einl.* II, p. 447.

(2) Cfr Zahn, *ZKG*, VII, 37 ss. — P. 52 ss. Zahn de identificatione Tryphonis illius cum Rabbi « Tarphon » agit.

Χριστοῦ, ἐν ἀποκαλύψει γενομένῃ αὐτῷ χίλια ἔτη ποιήσειν ἐν Ἱερουσαλὴμ τοὺς τῷ ἡμετέρῳ Χριστῷ πιστεύσαντες προεφήτευσε (1).

Testimonium hoc est summi momenti. Etenim, si *apostolus* Joannes ecclesiis Asiæ non præfuisset, commutatio Joannis *presbyteri* in *apostolum* saltem jam a. 150-160 consummata fuisse dicenda foret : unde et eodem tempore quartum evangelium quod apologeta, ut vidimus, bene novit et *apostolicum* dixit, Joanni *apostolo* tribuebatur. *Modus* præterea ipse quo Justinus hoc testificatur, satis innuere videtur nullum de origine horum scriptorum dubium tunc temporis exstitisse, nullamve de eorum auctore controversiam motam fuisse.

At, quæstio statim fit utrum pro a. 150-160 tantum, annon potius etiam pro tempore 130-135 testimonium Justini valeat. Harnack *(Chron. ACL.* p. 281) summa cum prudentia *Dialogum cum Tryphone* pro epocha anno 135 anteriori adhibendum esse et tanquam fontem pro a. 155-160 esse reputandum observat. Sane in quæstione tam momentosa omnibus omnino circumstantiis est attendendum, atque imprimis tempus scriptionis, præsertim cum locus quo scripsit Justinus certo determinari nequeat, præ oculis hic habendum est. Attamen, ne idcirco cætera adjuncta obliviscamur, scil. et eruditi auctoris ex paganismo ad religionem christianam conversionem *Ephesi* consummatam, satis diuturnam philosophi *in Epheso* urbe commorationem ejusque peregrinationes, nativitatem etiam in Judæa, operaque quæ ad nos usque pervenerunt eruditione referta. Quibus omnibus perpensis, temeritatis arguendus non est qui tenet Justinum traditionem de apostolica Apocalypseos origine, et consequenter de Joannis apostoli apostolatu asiatico *in ipsa Asia* proconsulari accepisse. Traditio igitur de *apostolo* Joanne Ephesi degente et scribente, jam anno 130 Ephesi exstiterit.

Cum Joannes ille Asiæ præpositus, teste traditione « usque ad Trajani tempora vixerit », cum ipsius Harnackii judicio Apocalypsis circa a. 95 scripta fuerit, fama apostolici illius viri qui

(1) Cfr Zahn, *G. N. K.* I, p. 560 ss. — *Zeits. für kirchl. Wissenschaft*, 1885, p. 523 ss.

christianismum a Paulo in Asia fundatum, tanto cum successu instauraverit, et diu summa cum auctoritate ecclesias asiaticas rexerit, a. 130 vivida adhuc erat sane et celebrabatur ab omnibus iis præsertim qui « discipulum Domini » vivum cognoverant. Plane improbabile nobis videtur ut, quæ de asiatico Joanne noverat Justinus et tradit, ea a. 130-135 *dum Ephesi viveret* non audiverit, attenta præsertim auctoritatis via, qua in prioribus sæculis depositum doctrinæ transmittebatur.

Longe igitur probabilius, imo moraliter certum censemus traditionem de commoratione ephesina *Apostoli,* necnon de *apostolica* joanneorum scriptorum origine jam a. 130 *Ephesi* viguisse.

At, si ita est, confusio inter duos Joannes in sententia Harnackii inter a. 100 et 130 orta est. Res autem si objective et independenter a quacumque alia consideratione inspiciatur, an valde probabile est triginta annis post mortem supremi Asiæ episcopi, in ipsa civitate in qua vixit et vita functus est, talem confusionem locum habuisse? Eo minus certe talis confusio est timenda quo nobilior ac celebrior exstitit persona de qua agitur.

Unde omnibus perspectis, hoc Justini testimonium summam contra systema Harnackii constituere difficultatem, cujus vel sagacissimum lateat solutio, nobis persuasum est.

Quæ difficultas adhuc augetur, quando ex una parte perpendimus nomen atque famam Joannis ephesini (quisquis fuerit sive apostolus, sive presbyter, idem est), præ magno quod inter illas communitates christianas jam tunc temporis vigebat vitæ commercio, simul ac præ magno Joannis illius influxu, non in ephesina solum ecclesia, sed in tota proconsulari Asia sparsa fuisse; quando ex alia parte omnia (1) quæ ex his ecclesiis nobis servata fuerunt testimonia, inde a medio sæculo II, solum *apostolum* Asiæ patriarcham nominare, nobiscum reputamus. Plura autem testimonia a se invicem independentia apparent.

Ita S. Polycarpus, quem traditio discipulum fuisse dicit Joannis ephesini, paulo post martyrium Ignatii in scripto nomine *smyrnensis* ecclesiæ exarato (a. 155, vel 156) et « ecclesiæ quæ Phi-

(1) De testimonio Papiæ in Paragr. sequenti agetur.

lomelii peregrinatur et omnibus ubique terrarum sanctæ et catholicæ ecclesiæ paroeciis » destinato, διδάσκαλος ἀποστολικὸς vocatur (Eus. H. E. IV, 15 — Funk, O. P. A. I, p. 300). Innuitur saltem his verbis Polycarpum cum *apostolo* esse conversatum. Joannem autem ephesinum magistrum ejus fuisse traditio ostendit. Cætera autem quæ testimonium Polycarpi, Papiæ presbyterorum et Irenæi respiciunt, tractabimus in c. IV ne bis eadem tradere cogamur.

Melito, episcopus ecclesiæ *sardensis* (Eus. H. E. IV, 26), scriptor fœcundus qui circa a. 160 floruit, qui proinde cum Papia et Polycarpo potuit conversari, scripsit inter alia opera « Περὶ τοῦ διαβόλου καὶ ἀποκαλύψεως Ἰωάννου ». Catalogum ejus operum Eusebius servavit, sed pauca tantum eaque minoris momenti fragmenta ad nos usque pervenerunt. Ut ait Harnack (*Chron. ACL.*, I, p. 668), nullum ex his fragmentis quidquam docet relate ad quæstionem joanneam. Attamen Eusebius, casu quo auctoritatem libri vel ejus a Joanne *apostolo* compositionem in dubium revocasset Melito, juxta methodum suam quam postea explorabimus (Eus. H. E. IV, 26), hoc notare non omisisset, ita ut ipso suo silentio loquatur.

Apollonius, teste Eusebio (Eus. H. E. V, 18, ed. Laemmer V, 21), in opere nunc deperdito « κέχρηται δὲ καὶ μαρτυρίαις ἀπὸ τῆς Ἰωάννου ἀποκαλύψεως· καὶ νεκρὸν δὲ δυνάμει θείᾳ πρὸς αὐτοῦ Ἰωάννου ἐν τῇ Ἐφέσῳ ἐγηγέρθαι ἱστορεῖ ». Scripsit probabiliter Ephesi contra Montanistas c. a. 196-197. Iterum, si Apocalypsin alii quam apostolo tribuisset, Eusebius hoc referre non omisisset.

Polycrates, episcopus *ephesinus* a. 125 circiter natus, ad Victorem Papam versus a. 190 scribens in controversia paschali ait (Eus. H. E. IV. 24) : « Καὶ γὰρ κατὰ τὴν Ἀσίαν μεγάλα στοιχεῖα κεκοίμηται, ἅτινα ἀναστήσεται τῇ ἡμέρᾳ τῆς παρουσίας... Φίλιππον τῶν δώδεκα ἀποστόλων ὃς κεκοίμηται ἐν Ἱεραπόλει καὶ δύο θυγατέρες αὐτοῦ γεγηρακυῖαι παρθένοι, καὶ ἡ ἑτέρα αὐτοῦ θυγάτηρ ἐν ἁγίῳ πνεύματι πολιτευσαμένη ἥ ἐν Ἐφέσῳ ἀναπαύεται· ἔτι δὲ καὶ Ἰωάννης ὁ ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Κυρίου ἀναπεσών, ὃς ἐγενήθη ἱερεὺς τὸ πέταλον πεφορηκὼς καὶ μάρτυς καὶ διδάσκαλος· οὗτος ἐν Ἐφέσῳ κεκοιμηταί. ἔτι δὲ καὶ Πολύκαρπος κτλ ».

Concedit quidem Harnack *(Chron. ACL.* p. 669) Joannem apostolum hic intelligi, sed confusionem duorum homonymorum jam tunc fuisse completam, cum alterius Joannis qui tamen juxta Papiam etiam inter « στοιχεῖα » Asiæ computabatur, nullam Polycrates faciat mentionem. Argumentatur dein a pari ex eo quod apud Polycraten evangelista Philippus (Act. 21, 8) cum Philippo apostolo commutatus fuerit.

Imprimis, confusio inter duos Philippos non ita certa omnibus apparet (1). Sed quidquid sit de illa identificatione duorum Philipporum, paritatem quoad duos Joannes omnino negamus (2). Etenim, dato non concesso Polycratem errasse quoad Philippum apostolum huicque quod de filiis evangelistæ qui Hierapoli mortuus erat applicasse, numquid eamdem ei quoad Joannem possibilitatem errandi adfuisse sequitur? In ipsa enim civitate ephesina in qua Polycrates sedem episcopalem habebat, diu vixerat Joannes sepultusque fuerat. Cæterum Joannis ephesini memoria tum traditioni tum scriptis monumentis adhærebat. Apocalypsis ad septem ecclesias scripta erat, evangelium satis cito usu ecclesiastico adhibebatur, et epistolæ Joannis auctorem itinera rerum ecclesiasticarum causa suscepisse (cfr Harnack *T. U.* XV Heft 3b p. 3 ss.) demonstrant. De Philippo autem parum vel nihil in Asia narrabatur. Nec insuper studio isto quo aliæ ecclesiæ incitabantur, apostolicam sibi originem comparandi, ephesina ecclesia ducebatur, cum in hunc finem Paulum apostolum tamquam antiquiorem fundatorem invocare debuisset. Dein, Polycrates etsi in fine sæculi secundi tantum scribens, ætate (H. E. V, 24, 7 ἐγὼ ἑξήκοντα πέντε ἔτη ἔχων ἐν κυρίῳ : ergo circa a. 125 natus fuerit) et consanguinitatis vinculis (ibid. ἑπτὰ μὲν ἦσαν συγγενεῖς μου ἐπίσκοποι, ἐγὼ δὲ ὄγδοος) in talibus versabatur adjunctis quæ peculiarem dictis ejus auctoritatem conciliare nata erant : in matura enim ætate Polycarpum ejusque coævos cognoscere potuerat apud quos memoria Joannis ephesini alto animo impressa remanere debebat (3). Cæterum ipsa

(1) Cfr Lightfoot, *The epistle at Colossians.* p. 45 ss.

(2) Cfr Weizsæcker, *Ap. ZA.*, 1892, p. 482.—B. Weiss, *Einl.* 1897, p. 346, n. 2.

(3) ἐγὼ... καὶ συμβεβληκὼς τοῖς ἀπὸ τῆς οἰκουμένης ἀδελφοῖς.

controversia paschalis quæ nuntium illud Polycratis ad romanum episcopum provocavit, ecclesiæ asiaticæ exemplo Polycarpi (Eus. H. E. IV, 14) traditionibus suis etiam liturgicis a majoribus acceptis adhærerent, luculenter ostendit quantum.

Alius demum testis consulendus est Claudius scil. Apollinaris (1) episcopus *Hierapolitanus*, immediatus forsan Papiæ successor, Melitoni Sardiano coævus. Scriptorem hunc evangelium Joannis cognovisse ab omnibus generatim conceditur. Imo, ipse Harnack Apollinarem hoc evangelium Joanni *filio Zebedæi* versus a. 170 tribuisse ut probabile habet. Obiit autem Apollinaris ut Melito Sardianus versus a. 180, ita ut ortu suo a Joannis ephesini obitu non longe distaret.

Habemus insuper testimonium Theophili Antiocheni episcopi. Scripsit ille initio regni Commodi (2) qui anno 180 solus regnare cœpit. In opere adhuc servato *ad Autolycum* II, 22, ait : « ὅθεν διδάσκουσιν ἡμᾶς αἱ ἅγιαι γραφαὶ καὶ πάντες οἱ πνευματόφοροι, ἐξ ὧν Ἰωάννης λέγει »; citatur dein Jo. I, 1-3. Dein Eusebius (H. E. IV, 24), de ipso ait : « Καὶ ἄλλο » προς τὴν αἵρεσιν Ἑρμογένους « τὴν ἐπιγραφὴν ἔχον, ἐν ᾧ ἐκ τῆς Ἀποκαλύψεως Ἰωάννου κέχρηται μαρτυρίαις ». Quemnam Joannem intenderit explicite non dicit Theophilus; attamen ut postea ex methodo Eusebii patebit, nihil hic auctor etiam quoad Apocalypsin unde ad Joannem *presbyterum* ab apostolo distinctum concludere potuisset, in scriptis Antiochensium episcopi invenit.

Traditionem independentem (3) a testibus præcedentibus apud Clementem Alexandrinum invenire est, quam Eusebius sequenti modo adducit (H. E. VI, 14) : « Αὖθις δ'ἐν τοῖς αὐτοῖς ὁ Κλήμης βιβλίοις περὶ τῆς τάξεως τῶν Εὐαγγελίων παράδοσιν τῶν ἀνέκα-

(1) Cfr Eus. H. E. IV, 21 et 1V, 26. — *Chronicon Paschale*. Migne, P. G. XCII, p. 79 ss. Cfr Lightfoot, *Cont. R.* 1876, February. *Biblical Essays*, 1893, p. 74 ss. Harnack, *Chron. ACL.* p. 673.

(2) Harnack. *Chron. ACL.* I, p. 319 s.

(3) Etenim quæ A. Harnack, *Chron. ACL.* I, p. 671 s. et 686 s. ut probet auctoritatem Clementis in presbyteros asiaticos esse refundendam tradit, nos minime convincunt. cum differentiam traditionis clementinæ circa ordinem (τάξιν) evangeliorum ab Irenæi traditione non explicet. — Nam cum evangelium Lucæ tempore Marci evangelio anteponat, tum ab Irenæo tum a Tertulliano discrepat.

ἓεν πρεσβυτέρων τέθειται » (1)... Jamvero, Clemens ille qui longas instituit peregrinationes, circa a. 189-190 successit Pantæno in schola Alexandrina catechetica, S. Joannem apostolum Ephesi usque ad summam senectutem vixisse testatur, eumque tum quarti evangelii tum Apocalypseos auctorem esse affirmat.

Locus non est hic S. Irenæi testimonium examinandi, cum in c. III longum de illo sermonem instituturi sumus.

Postquam autem varia de ephesino Joanne testimonia collegimus, examinandæ jam veniunt difficultates quædam quæ a pluribus criticis contra ephesinam Joannis *apostoli* commorationem moventur.

A longo jam tempore, omnes, qui Joannem apostolum in Asia vixisse negabant, silentio quod S. Ignatius circa hunc apostolum observat in epistolis quas ad Ephesios aliasque Asiæ Minoris ecclesias scripsit, multum institerunt. Eo vel magis huic silentio insistendum aiunt, quod Ephesiis scribens auctoritatem invocet S. Pauli. Nostro etiam tempore silentium illud multos commovit auctores, inter quos O. Pfleiderer (2), H. Holtzmann (3) et A. Harnack (4) citandi veniunt. Quanta autem cum prudentia illud argumentum adhibendum sit et quænam requirantur ad ejus usum conditiones unusquisque videt, eas autem conditiones in casu adimpletas esse minime censemus.

Etenim, ut statim argumentum ad hominem producamus quod hucusque non satis perpensum fuit, et contra theoriam de confusione inter duos Joannes qualis ab Harnack præsertim proponitur imprimis valet : silentium illud Ignatii (et Polycarpi in epistola ad Philippenses) etiam contra commorationem Joan-

(1) Cfr *Strom.* I, 1 : Clemens magistrum habuit græcum ionicum : ὁ μὲν ἐπὶ τῆς Ἑλλάδος ὁ Ἰωνικός. *Quis dives salv.* 42. (Eus. H. E III, 23, 5). — Quoad magistros Clementis cfr Eus. H. E. V, 11 et *ibid.* VI, 13 : Ἐν τῷ λόγῳ αὐτοῦ τῷ περὶ τοῦ πάσχα ἐκβιασθῆναι ὁμολογεῖ πρὸς τῶν ἑταίρων ὡς ἔτυχε παρὰ τῶν ἀρχαίων πρεσβυτέρων ἀκηκοὼς παραδόσεις γραφῇ τοῖς μετὰ ταῦτα παραδοῦναι. μέμνηται δὲ ἐν αὐτῷ Μελίτωνος καὶ Εἰρηναίου καὶ τινων ἑτέρων, ὧν καὶ τὰς διηγήσεις τέθειται. In *Eclog. proph.* (11, 27)bis loquitur de « presbyteris ».

(2) *Das Urchristenthum, seine Schriften und Lehren*, 1887, p. 353 ss.

(3) *Einleitung*, p. 470.

(4) *Chron. ACL.* I, p. 674-475, n.

nis « presbyteri » testificaretur. Nam in sententia illorum auctorum, nulla pro *asiaticis communitatibus* practice differentia Joannem apostolum inter et Joannem presbyterum admittenda videtur, cum juxta illos « presbyter » ille etiam supremus Asiæ episcopus, immediatus Christi discipulus, magnæ auctoritatis vir, et auctor scriptorum joanneorum fuerit, et simul cum S. Paulo apostolo ut ecclesiarum Asiæ fundator sit reputandus. Quomodo talis apostolici viri mentionem omittere potuit Ignatius?

Quomodo igitur *Joannis discipuli Domini* (sive apostoli sive presbyteri, res eodem redit) nomen tacere potuit Ignatius, qui tamen mentionem S. Pauli ingerit Ephesiis scribens (1)? Contextus hujus silentii rationem sufficientem reddit. Hæc enim scribit Ignatius c. XII : « Οἶδα, τίς εἰμι καὶ τίσιν γράφω. Ἐγὼ κατάκριτος, ὑμεῖς ἠλεημένοι· ἐγὼ ὑπὸ κίνδυνον, ὑμεῖς ἐστηριγμένοι. 2. Πάροδός ἐστε τῶν εἰς θεὸν ἀναιρουμένων· Παύλου συμμύσται, τοῦ ἡγιασμένου, τοῦ μεμαρτυρημένου, ἀξιομακαρίστου, οὗ γένοιτό μοι ὑπὸ τὰ ἴχνη εὑρεθῆναι, ὅταν θεοῦ ἐπιτύχω, ὃς ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ μνημονεύει ὑμῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ». Jamvero, ut patet ex duplici antithesi qua scriptor se Ephesiis opponit, et præsertim ex verbis immediate sequentibus quibus idea principalis exprimitur : « πάροδός ἐστὲ τῶν εἰς θεὸν αναιρουμένων », Ignatius ad martyrium ductus unice de S. Paulo *martyre* loqui intendit. Omnimoda adjunctorum similitudo, cum nempe Paulus etiam martyrio afficiendus ex Asia Romam ductus Ephesum transiverit (2), memoriam apostoli menti Ignatii modo valde naturali ingerit (3). Parallelismus ille, in textu tam explicite ex-

(1) Ex I *Tim.* 1, 3 et II *Tim.* 1, 18 eruitur S. Paulum Ephesi fuisse paulo ante martyrium suum.

(2) Lightfoot, *Apostolic Fathers*, Part II vol. II, p. 63, n. 8, ait « Their spiritual position, he seems to say, corresponds to their geographical position. As they conducted the marthyrs on their way in the body, so they animated their souls with fresh strength and courage ». — Cfr ejusdem auctoris opus posthumum : *Biblical Essays*, 1893, p. 82, n. 1. — Cfr Luthardt, *Joh. Urspr.*, p. 103.

(3) *Rom.*, IV. Ignatius supplicationes pro se postulans nomen Apostolorum Petri et Pauli adducit quibus Romani obedierant. Insuper *Smyrn.* III, ait : Καὶ ὅτε πρὸς τοὺς περὶ Πέτρον ἦλθεν, ἐφη (Christus scil.). His tantum locis apostolos nominatim designat.

pressus in Joannem (sive apostolum sive presbyterum) minime quadrabat, adeoque ejus mentio in hac pericopa non erat expectanda (1).

Dein, quod dicitur verbis immediate præcedentibus (c. XI)... « ἵνα ἐν κλήρῳ Ἐφεσίων εὑρεθῶ τῶν χριστιανῶν, οἱ καὶ τοῖς ἀποστόλοις πάντοτε συνήνεσαν ἐν δυνάμει Ἰησοῦ Χριστοῦ », sane hyperbolice seu rhetorice intelligi posset; attamen, data apostoli Joannis ephesina commoratione, ad litteram verificatur, et concesso nullum apostolum post Pauli mortem Ephesi degisse, saltem minus bene intelligitur. Quæ quum ita sint, Ignatii silentio traditionem de ephesino Joannis apostolatu minime everti arbitramur.

Traditio ecclesiastica testatur Joannem ephesinum usque post mortem Domitiani *(Clem. apud Eus. H. E.* III, 23) et adhuc tempore Trajani *(Ir. Adv. H.* II, 22 et III, 4) vixisse. Quominus Joannes ille *apostolus* fuerit, testimonia quædam obstare aliqui auctores autumant.

Ita Holtzmann *(Einl.* p. 471) locum quemdam ex Clem. Alex. *(Strom.* IV, 9, 27) invocat, in quo habetur « οὐ γὰρ πάντες οἱ σωζόμενοι ὡμολόγησαν διά τῆς φωνῆς ὁμολογίαν καὶ ἐξῆλθον ἐξ ὧν Ματθαῖος, Φίλιππος, Θῶμας, Λευεὶς καὶ ἄλλοι πολλοὶ ὡμολόγησαν τὴν διὰ φωνῆς ὁμολογίαν καὶ ἐξῆλθον », unde indirecte martyrium Joannis apostoli affirmaretur. Sed jam a. 1874

(1) Ita etiam VON DER GOLTZ opinatur : *Ignatius von Antiochien als Christ und Theologe. T. U.* XII, 3, 1894, p. 172 ss. qui tanquam probabile habet Ignatium Joannis *apostoli* fuisse discipulum. Probabiliter ad Joannem apostolum alludi dicit *Eph.* 11, 2 et Magn. 3, 1... καθὼς ἔγνων καὶ τοὺς ἁγίους πρεσβυτέρους οὐ προσειληφότας τὴν φαινομένην νεωτερικὴν τάξιν, ἀλλ' ὡς φρονίμους ἐν θεῷ συγχωροῦντας αὐτῷ, οὐκ αὐτῷ δὲ, ἀλλὰ τῷ πατρὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τῷ πάντων ἐπισκόπῳ. Ita scribit p. 173 : « Als direkte persönliche Erinnerung an Johannes könnte *Magn.* 3 aufgefasst werden, wenn Johannes als einer der heiligen Presbyter gelten darf, die, obwohl sie es vermöge ihres Ansehens und ihres Alters gekonnt hätten, doch den jügendlichen Bischöfen ihr Amt nicht erschwert, sondern ihnen die schuldige Achtung bezeugt hätten. » — Commorationem ephesinam *Apostoli* certissimam habet ille auctor. Ità p. 170 ait : « Wir halten es auf Grund der Angaben des Irenæus und seiner Gewährsmänner, der Notiz d. Polykr. v. Ephes. im Brief an Viktor von Rom, des Briefs an Florinus und des Zeugnisses der johanneischen Schriften für eine gesicherte Thatsache, dass der Apostel Johannes bis in die Zeit Trajans hinein in Ephesus gelebt hat. »

Grimm (*ZWTh.*, p. 21 ss.) non de martyrio proprie dicto verum de declaratione seu confessione in civili foro agi demonstravit. Cæterum Joannes apostolus coram judæos auctoritate præditos Christum confessus est (Act. IV), et tanquam martyr, propter traditionem de exsilio patmensi et de immersione in fervens oleum, reputari poterat. Difficultas hic revera nulla est.

Magis vero intricatam disputationem chronistæ cujusdam (S. IX) cui nomen *Georgios Hamartolos* (1) testimonium provocavit. Chronista iste, teste *codice Coisliniano* (S. X), ἐν τῷ δευτέρῳ λόγῳ τῶν κυριακῶν λογίων Papiæ legerit, quod *apostolus* Joannes ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων ἀνῃρέθη. Pronum erat asserere mutationem quamdam nominis locum habuisse. Ita revera Zahn (2) nomen Joannis *Baptistæ* proposuit, alii (3) *Jacobum filium Zebedæi* et apostoli fratrem cogitarunt : hæc solutio eo magis commendabatur, quod de tempore illius martyrii penitus taceat chronista illudque commorationi ephesinæ apostoli annectere videatur. Cæterum, solus codex Coislinianus notitiam de martyrio Joannis refert, sibique ipsi miro modo contradicit, cum in brevi contextu (4) ex una parte martyrium Joannis a Judæis

(1) Harnack, *Chron. ACL.*, I, p. 665 ss. — Hilgenfeld, *Einl.*, p. 390. — Lightfoot, *Cont. R.*, 1875 October. — Poggel, *o. c.*, p. 24 ss. — Godet, *o. c.*, I, p. 81 s. — Zahn, *G. N. K.* Beil. XV, 1.

(2) *Acta Joannis* 1880, p. cxviii s., n. 2. — Cfr. *Einl.* II, p. 465. — Schaefer, *Einleitung in das Neue Testament*, 1898, p. 257 s.

(3) Lightfoot, *l. c.* — Luthardt, *der joh. Urspr.*, p. 105. — Nolte, *Th. Qu.* 1862, 4.

(4) Coisl. Μετὰ δὲ Δομιτιανὸν ἐβασίλευσε Νερούας ἔτος ἓν ὃς ἀνακαλασάμενος, Ἰωάννην ἐκ τῆς νήσου ἀπέλυσεν οἰκεῖν ἐν Ἐφέσῳ. μόνος τότε περιὼν τῷ βίῳ ἐκ τῶν ιβ' μαθητῶν καὶ συγγραψάμενος τὸ κατ' αὐτὸν εὐαγγέλιον μαρτυρίου κατηξίωται. Παπίας γὰρ ὁ Ἱεραπόλεως ἐπίσκοπος αὐτόπτης τούτου γενόμενος ἐν τῷ δευτέρῳ λόγῳ τῶν κυριακῶν λογίων φάσκει, ὅτι ὑπὸ Ἰουδαίων ἀνῃρέθη, πληρώσας δηλαδὴ μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ τὴν τοῦ Χριστοῦ πρόρρησιν... Sequitur confirmatio ex Origene adducta, in qua contra mentem Origenis explicitam verbum μαρτυρεῖν de martyrio sanguinis adhibetur. Dein sequuntur verba : Καὶ μὲν δὴ καὶ ὁ πολυΐστωρ Εὐσέβειος ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ ἱστορίᾳ (III, 1) φασὶ : Θωμᾶς μὲν τὴν Παρθίαν εἴληχεν, Ἰωάννης δὲ τὴν Ἀσίαν, πρὸς οὓς καὶ διατρίψας ἐτελεύτησεν ἐν Ἐφέσῳ. — Notandum est alios codd. cum Coisliniano minime consonare : **B habet** : εὐαγγέλιον : ἱστωρ Εὐσέβειος etc. C. D. E. εὐαγγέλιον : ἐν εἰρήνῃ ἀνεπαύσατο, περὶ οὗ καὶ ὁ πολυΐστωρ Εὐσέβειος... etc. Sequuntur jam testimonia ex Eusebio, Hippolyto ac Caesario qui communem habent traditionem.

patratum, ex alia autem parte tranquillam ejusdem apostoli mortem in Epheso referat. Quæ duo argumenta probant codicem Coislinianum, etsi cæteris antiquiorem, interpolatum fuisse (1); interpolatorem autem verba codd. C E E ἐν εἰρήνῃ ἀνεπαύσατο mutasse in μαρτυρίου κατηξίωται, quibus citationes ex Papia, Origene etc. subjunxit ex aliis fontibus haustas (2).

At juxta Holtzmann *(Einl.* p. 471) omnis substitutionis seu commutationis possibilitas penitus evanescit, postquam jam De Boor (*T U.* V, 2, 1888, p. 170, 176 ss.) alia quædam fragmenta edidit. Fragmenta illa invenit in *codice Barocciano* (S. XIV, vel XV) ex epitome quadam historiæ ecclesiasticæ a. 600-800 scripta excerpta, cui probabiliter *historia ecclesiastica Philippi Sidetis* circa a. 430 originem dederit. Jam vero in fragmentis illis sequens textus qui citationi ex Georgio Hamartolo vim addit, invenitur (3) : Παπίας ἐν τῷ δευτέρῳ λόγῳ λέγει ὅτι Ἰωάννης ὁ θεολόγος καὶ Ἰακωβος ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ ὑπὸ Ἰουδαίων ἀνῃρέθησαν. Παπίας ὁ εἰρημένος ἱστόρησεν ὡς παραλαβὼν ἀπὸ των θυγατέρων Φιλίππου, etc. Putat De Boor (p. 177) nullum jam remanere dubium quin Papias Joannem *apostolum* martyrium a parte Judæorum subiisse tradiderit.

Attamen, eo ipso quod citatio illa et apud Georgium Hamartolum et apud epitomatorem reperiatur, eam in Papiæ opere revera repertam fuisse nondum certo constat.

De Boor dependentiam Georgii Chronistæ (seu interpolatoris) ab Epitome quoad citationem papianam demonstrare conatur (p. 178). Unde ecclesiastica historia Philippi Sidetis tanquam ultimus et unicus fons reputandus foret. Sed, dependentia illa admissa, ulterius illam notitiam de Joannis martyrio in Papiæ opere desumptam esse nequaquam admittere valemus. Etenim Irenæum, Eusebium et tot alios notitiam tanti momenti ignosse vel silentio præteriisse ne leviter quidem probabile est,

1) Holtzmann, *Einl.*, p. 471, rejicit interpolationem, et omnes alios codices ad normam traditionis Irenæi emendatos esse vult, quod sanæ critices regulis repugnare dicendum apparet.

(2) Cfr. De Boor, *T. U.* V, 2. 1888, p. 178 s.

(3) Citatus textus subsequitur fragmentum ex Eus. *H. E.*, III, 39, desumptum coll. III, 25.

cum ipsius Papiæ opus præ manibus haberent, gratisque omnino supponit Holtzmann Eusebium hoc historicum punctum inter « παράδοξα » et « μυθικώτερα » Papiæ computasse. Uti Poggel l. c. animadvertit, in illo casu Eusebius superfluum plane duxisset, ex operis papiani proœmio *demonstrare* Papiam se non apostoli Joannis discipulum dixisse, neque illis tergiversationibus et contradictionibus, quibus in joannea quæstione hæret, opus fuisset,

Cum autem reliqui quatuor codices operis Hamartoli, licet Coisliniano codice recentiores, contradictione careant, neque probabile sit quatuor illos emendatos fuisse, dicendum est eos primævam Georgii lectionem servasse, codicemque Coislinianum interpolatum fuisse. Ex ipso autem interpolato textu verba exciderint quæ Harnack post Lightfoot in primævo Georgii textu restituenda suspicatur « Παπίας... φάσκει ὅτι Ἰωάννης [μεν ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων βασιλέως κατεδικάσθη εἰς Πάτμον (1). Ἰάκωβος δὲ] ὑπὸ Ἰουδαίων ἀνῃρέθη. » Talis omissio vere probabilis videtur.

At quomodo Coisliniani codicis consonantia cum codice Barocciano explicanda est? Duplex hypothesis fieri potest : Vel codex Baroccianus utpote recentior a Coisliniano pendet (ut Harnack opinatur), et tunc auctor Barocciani mentionem Jacobi fratris Joannis, juxta contextam orationem supplendam duxerit illamque præpostere introduxerit. — Vel si (quod De Boor contendit) fragmentum codicis Barocciani ex historia ecclesiastica Philippi Sidetis (mediante epitome) desumptum fuerit, — attento Irenæi aliorumque silentio — merito conjicitur auctorem codicis Coisliniani et auctorem Barocciani ab eodem exemplari epitome pendere, quod solus codicis Barocciani auctor corrigere conatus sit, idque male præstiterit.

Unde ex præcedentibus elucet, nihil ex illis textibus tardiori tempore exortis, deduci posse contra apostoli Joannis ephesinam commorationem.

Majori attentione dignus, attamen a quacumque antiqua tradi-

(1) Vel ut Harnack brevius legit « Ἰωάννης μὲν ἐν Πάτμῳ ἐμαρτύρησεν ».

tione semotus, apparet textus quidam *Constitutionum Apostolorum* l. VII, c. 46. In hoc textu dicitur Timotheus constitutus episcopus a S. Paulo « Ἰωάννης ὃς ὑπ' ἐμοῦ Ἰωάννου ». Secunda hujus textus assertio apud nullum antiquum scriptorem reperitur (1).

Scriptor tamen monophysita (circa a. 1222) *Salomon Bassorensis* in *Libro Apis* refert Joannem apostolum post longam vitam Ephesi ductam, in ea urbe inhumatum fuisse a discipulo suo Joanne « in quem contulit sacerdotium et sedem episcopalem post ipsum », ibique duo exstare monumenta, unum Joannis evangelistæ alterum Joannis ejus discipuli (2). — Salomonem e constitutionibus apostolicis (vel et ex Eusebio) hausisse, vix dubium apparet.

§ II. — Joannes Presbyter.

In Paragr. præcedenti de iis testimoniis tractavimus quæ Joannem ephesinum *apostolum* fuisse vel expresse proclamant, vel saltem ex adjunctis innuunt. Si Papiæ textum pro tempore seponimus, nullum in duobus prioribus sæculis scriptorem invenimus qui, præter apostolum, in tertia sæculi primi parte alium Joannem in Asia Minori exstitisse suspicatus sit.

Postea tamen præter apostolum Joannem, alium, homonymum « presbyterum » dictum, iisdem ecclesiis præfuisse plures auctores opinati sunt. Unde et hanc posteriorem traditionem ejusque fundamenta perpendere oportet, quantique momenti sit illa investigatio neminem fugit.

Ingratum tamen est quæstionem toties jam tractatam rursus aggredi, variasque inspicere sententias quæ, ad operis Papiæ proœmium explanandum summamque hanc difficultatem resol-

(1) Harnackio *(Chron. ACL.*, I, p. 662) videtur probabiliter ex Eusebio derivata. — Quoad hujus c. 46 fontes cfr Funk, *Die apostolischen Konstitutionen, eine litterar-historische Untersuchung*, Rottenburg 1891. — Cfr Poggel, *o. c* , p. 17, n. 2.

(2) Cfr Harnack, *Gesch. ACL.*, I, p. 63, et Wallis Budge, *The Book of the Bee*, Oxonii 1886, p. 104-105.—Rubens Duval, *La littérature syriaque*, Paris 1899, p. 91 et 402.

vendam, propositæ fuerunt. Recentiori tamen tempore viam quadamtenus explanavit H. Poggel, qui claram et synopticam controversiæ confecit historiam, propriamque sententiam solide stabilivit (1). Unde, argumenta ejus probare, novaque si quæ sint, adducere, recentiorumque quorumdam auctorum theorias (2) examinare juvabit.

Præcipui antiquitatis scriptores (præter Papiam) quorum testimonium est consulendum, sunt Dionysius Alexandrinus, Eusebius et Hieronymus. At, quoniam hi auctores a se invicem non sunt independentes; quoniam insuper nomina Cerinthi et Caji presbyteri romani huic controversiæ introducta fuere, antequam ipsius Papiæ et Dionysii verba Eusebiique methodum exponamus, satius erit Cerinthi et Caji doctrinam investigare, quo subsequentium auctorum testificatio clarior appareat.

Articulus I. — De Cerintho ejusque doctrina (3).

Cerinthum personam fuisse historicam eumque in fine sæculi I vel initio sæculi II vixisse, fere omnes hodie consentiunt. Verum, ut de Cerintho ejusque doctrina æquum feratur judicium, non omne illud accipiendum est absque examine quod hæresiologi ei tribuerunt. Etenim non unum tantum exstat exemplum, quo scriptores illos in catalogis suis errores admisisse ostenditur, quatenus exempli gratia successoris doctrinam in antecessorem detulerint. Præstat igitur ut quoad Cerinthi doctrinam fontes nostros exploremus eorumque ad invicem relationes investigemus.

(1) In opere jam supra citato : *Der zweite und dritte Brief des Apostels Johannes*, Paderborn 1896, p. 27 ss. Ibi varias sententias cum respectivis argumentis summarie expositas invenire est.

(2) A. Harnack, *Chron. ACL.*, I, p. 656 ss., 673 ss., 690 ss — Abbott, *The Expositor*, 1895, I, p. 333 ss — Anonymus, *The Oracles adscribed to Matthew by Papias of Hierapolis*, London 1894, p. 15, n. 1, p. 33, 43, etc. — W. Bousset, *Die Offenbarung Johannis* (comm. Meyer) 1897, p. 37 ss. —H. Holtzmann, *Th. LZ.*, 1897, p. 357. — Haussleiter, *Th. LB.*, 25 Sept. 1896, cfr *Expository Times*, 1897, p. 416 ss.

(3) De Alogis quos quidam connexos volunt cum Cerintho postea agetur capite IV.

Animadvertere in antecessum liceat cum Kunze (1) : « Omnes viri docti Lipsii argumentis adducti sunt, ut et Pseudo-Tertullianum, Epiphanium, Philastrum eodem auctore usos esse, et eum Hippolytum fuisse ostendant ». Addit Kunze : « Nos quoque, re denuo investigata, Lipsii conjecturam talem esse experti sumus ut ei acquiescere et niti liceat ». Fons ille communis fuit Hippolyti σύνταγμα πρὸς ἁπάσας τὰς αἱρέσεις (2).

Quoad opus Hippolyti vero, statuerat Lipsius hunc ex opere Irenæi fere nihil percepisse, sed Justini syntagma maxima ex parte exscripsisse; Harnack eum ex Irenæo plurima hausisse pro verisimillimo statuit. — Kunze autem « singularum quæstionum anfractus denuo » ingressus ordinem hæreticorum, quem Hippolytus habet « cum Irenæo convenire » demonstravit. — Singulorum dein hæreticorum familias, quæ apud Hippolytum exstant, perlustrat Kunze (p. 54 ss.), et p. 60 ad Cerinthum devenit. Præter narratiunculam quam de Cerintho cum Joanne congresso tradidit (III, 3, 4), Irenæus extra catalogi fines (scil. Ir. I, 22, 2-27, 4 necnon 11, 12) « compluries de Cerintho agit, ita tamen ut cuncta inter se consonent ». In catalogo de eo scribit I, 26, 1, et tria tradit capita doctrinæ :

1° Ἔλεγεν οὐχ ὑπὸ τοῦ πρώτου (suppl. θεοῦ) γεγονέναι τὸν κόσμον, ἀλλ' ὑπὸ δυνάμεως τινὸς κεχωρισμένης (suppl. καὶ ἀπεχούσης) τῆς ὑπὲρ τὰ ὅλα ἐξουσίας, καὶ ἀγνοούσης τὸν ὑπὲρ πάντα θεόν·

2° Τὸν δὲ Ἰησοῦν ὑπέθετο μὴ ἐκ παρθένου γεγενῆσθαι, γεγονέναι δὲ αὐτὸν ἐξ Ἰωσὴφ καὶ Μαρίας οἷον (l. υἱὸν) ὁμοίως τοῖς λοιποῖς ἅπασιν ἀνθρώποις, καὶ δικαιότερον γεγονέναι (Int. καὶ φρονιμώτερον) καὶ σοφώτερον.

3° Καὶ μετὰ τὸ βάπτισμα κατελθεῖν εἰς αὐτὸν τὸν (l. ἀπὸ) τῆς ὑπὲρ τὰ ὅλα αὐθεντίας, τὸν Χριστὸν ἐν εἴδει περιστερᾶς· καὶ τότε κηρῦξαι τὸν γνωστὸν (l. ἄγνωστον) πατέρα, καὶ δυνάμεις ἐπιτελέσαι, πρὸς δὲ τῷ τέλει ἀποστῆναι τὸν Χριστὸν ἀπὸ τοῦ Ἰησοῦ, καὶ τὸν Ἰησοῦν πεπονθέναι καὶ ἐγηγέρθαι, τον δὲ Χριστὸν ἀπαθῆ διαμεμενηκέναι πατρικὸν (l. πνευματικὸν) ὑπάρχοντα.

(1) *De Historiæ Gnosticismi fontibus novæ quæstiones criticæ*, Lipsiæ 1894, p. 45. Hæc eruditissima disquisitio nobis perutilis fuit, eamque præcipue præ oculis habuimus in hac de Cerintho materia.

(2) A. Harnack, *Gesch. ACL.*, p. 46, coll. p. 623, sub 11. — Zahn, *G. N. K.*, I, p. 223.

Plura tamen indicia dantur e quibus concludere licet contra Hilgenfeld (1), non omnia quæ Irenæus III, 11, 1 tradit, de Cerintho esse accipienda. Hæc autem Irenæus III, 11, 1 habet : « Hanc fidem annuntians Joannes, Domini discipulus, volens per evangelii annuntiationem auferre eum, qui a Cerintho inseminatus erat hominibus, errorem, et multo prius ab his qui dicuntur Nicolaitæ, qui sunt vulsio ejus quæ falso cognominatur scientia ut confunderet eos et suaderet, quoniam unus Deus qui omnia fecit per Verbum suum ; et non quemadmodum illi dicunt alterum quidem fabricatorem, alium autem patrem Domini et alium quidem fabricatoris filium, alterum vero de superioribus Christum, quem et impassibilem perseverasse, descendentem in Jesum filium fabricatoris, et iterum revolasse in suum Pleroma : et initium quidem esse monogenem ; Logon autem verum filium unigeniti : et eam conditionem quæ est secundum nos, non a primo Deo factam, sed a virtute aliqua valde deorsum subjecta, et abscissa ab eorum communicatione quæ sunt invisibilia et innominabilia ». Deinde contra hanc doctrinam Joannem evangelium scripsisse tradit Irenæus. Jure ait Kunze (l. c.) : « At etiamsi illo loco Irenæus ad Cerinthum procul dubio alludit, tamen accuratius investiganti apparebit illum non tam semen a Cerintho sparsum, quam fructus a Valentinianis prolatos delere velle ». Argumenta ab auctore allata probantia nobis apparent (2).

Ipse cæteroquin Irenæus se doctrinas Cerintho posteriores hic respicere non obscure innuit quando ait III, 16, 5 « Joannes... *providens* has blasphemas regulas quæ dividunt Dominum, quantum ex ipsis attinet, et ex altera et altera substantia dicentes eum factum ». « Nec vero videtur dubium, quin Cerinthum

(1) *Die Ketzergeschichte des Urchristentums*. Leipzig, 1884, p. 412. *ZWTh*. 1890, p. 19, 54 ; 1895, p. 292 ss.

(2) Cfr E. Huempel, *De errore christologico in ep. Joannis impugnato*. Erlangen, 1897. — Völter, *Th. T.* 1889. *Cerinth in der Apokalypse*, p. 269, n. 1 : « Dass die Stelle *adv. haer. III*, 11, 1 sich nicht auf Cerinths Lehre bezieht, steht fest. » Contra hypothesin quam Völter in hoc articulo defendit, (Apocalypsin a Cerintho confectam (cfr XII, 1-10 et XIX, 11 — XXI. 8) apostolo fuisse supposítam), facit quod dualismus, fundamentum Cerinthianae doctrinae, in locis citatis non reperiatur.

respiciat Ir. dicens III, 11, 3 : « alii rursus Jesum quidem ex Joseph et Maria natum dicunt, et in hunc descendisse Christum qui de superioribus sit, sine carne et impassibilem existentem. » Præterea, si Irenæi tantum rationem habemus, hæc quoque de Cerintho intelligimus III, 11, 7 : « Qui autem Jesum separant a Christo et impassibilem perseverasse Christum, passum vero Jesum dicunt id quod secundum Marcum præferentes Evangelium, cum amore veritatis legentes illud, corrigi possunt ».

Etiam hoc notandum est, quod (III, 11, 1) Cerinthus Nicolaitarum successor fuisse et Joannes apostolus Cerinthi perversitatem evangelio suo impugnavisse dicitur.

Uti ex textibus allatis patet, Cerinthus fundamentale Gnosticismi dogma, dualismum scilicet, professus est ; « a primo deo, qui ἡ ὑπὲρ τά ὅλα αὐθεντία vocatur, vis quædam multo inferior distinguitur, quæ summi dei ignara istum mundum condiderit. Nec videtur a veritate abhorrere, Cerinthum illam vim pro deo Judæorum habuisse. »

Quæstio oritur acriter disputata : utrum nempe judaïsmo faverit Cerinthus.

Multi auctores, inter quos Lipsius (1), Duchesne (2), Hilgenfeld (3), Völter (4) Hirscht (5), etc., sine ulla hæsitatione affirmant. — De judaïsmo Cerinthi dubitat Weizsäcker (6), jamque confusionem fontium circa hanc doctrinam innuit. — Kunze autem (o. c. p. 62 ss.) Philastri, Epiphanio et Pseudo-Tertulliano judaïsmum Cerintho vindicantibus nullam fidem adhibendam esse censet, thesimque suam fontium attenta comparatione probare conatur. Ad hæc reducitur premens ejus argumentatio.

1) **Pseudo-Tertullianus** (C. 10 et 11) (qui satis accurate

(1) *Die Ketzergeschichte des Urchristentums*, Leipzig 1884, I, p. 116 : « Noch wichtiger ist, dass alle drei (Epiph. Philaster, Pseudotert.) den Judaismus Kerinths stark hervorheben. »

(2) *Les origines chrétiennes*, I, p. 51 : « Il est certain que Cérinthe se rattachait au judaïsme légal, maintenant la circoncision, le sabbat et certaines autres observances. »

(3) *Z. W. Th.*, 1890, p. 18; 1895, p. 292.

(4) *Das Problem der Apokalypse*, 1893.

(5) *Die Apokalypse und ihre neueste Kritik*, 1895, p. 93.

(6) *Ap. ZA.*, p. 510, cfr Zahn, *Einl.*, II, p. 362. n. 4 et II, p. 575, 8.

Hippolyti syntagma reddit), ordinem rerum sequitur qui apud Irenæum exstat, sed doctrina christologica quam Cerintho tribuit proprie Ebionitarum est, ut patet ex verbis « Christum ex semine Joseph natum proponit, hominem illum tantummodo sine divinitate contendens ». De lege et deo Judæorum hæc habet quæ contra Cerinthi in Judæos propensionem facere videntur : « ipsam quoque legem ab angelis datam perhibens, Judæorum Deum non dominum, sed angelum promens (l. ponens) » (1). Putat Kunze (p. 64) Hippolytum quoad christologiam Irenæo usum, quemadmodum in Carpocratem quædam de Cerintho, ita in hunc quædam de Ebionitis transtulisse... »; quæ vero de lege Hippolytus addit, cum Irenæo maxime consentanea sint, utrum ex fonte quodam deprompserit, an de suo addiderit, non liquet.»

2) **Epiphanius** *hær.* 28, plane inaudita de Cerinthi doctrina proponit. — Sed, quam parum Epiphanio hic fidere possimus jam ex eo patet quod contradictorias doctrinas Cerintho tribuat. Quomodo enim quis profiteri legem ab angelis esse profectam (et quidem, ut intelligit Epiphanius, ab angelis malis) et simul legem defendere potest? Quomodo igitur ad talem judaïsmum Cerintho tribuendum devenit Epiphanius, cum nihil hujusmodi in fontibus (Irenæo et Hippolyto) invenerit?

Lipsius (I, p. 121) jam Epiphanium forma plurali usum esse miratus erat. Kunze vero, locis attente comparatis (p. 65 s.), ad evidentiam conclusionem hanc demonstrasse videtur : « Epiphanium in Cerinthum ea transtulisse quæ de Ebionitis, quos Irenæus primus illi adjunxerat et is et Hippolytus prodiderant elucet. Successoris doctrina in antecessorem cessit ». Sequentia autem loca comparavit :

Ir. I, 26, 2 : de Ebionitis : solo autem eo quod est secundum Matthæum evangelio utuntur;	*Epiph.* de Cerintho, 26, 5 : χρῶνται γὰρ τῷ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγελίῳ·

(1) Ut notat Kunze, *o. c.* p. 63, n. 2 : etiam in *Refutat.* VII, 33, de judaïsmo Cerinthi nihil narratur, cum Irenæus totus describatur (M. P. G. V. 16c, c. 334).

Apostolum Paulum recusant, apostatam eum legis dicentes, circumciduntur.

Τὸν δὲ Παῦλον ἀθετοῦσι διὰ τὸ μὴ πείθεισθαι τῇ περιτομῇ.

Hippol.(Pseudo-Tert.) de Ebione: et quia scriptum sit : nemo discipulus super magistrum nec servus super dominum etiam legem proponit.

Καὶ ταύτην τὴν μαρτυρίαν φέρουσιν ἀπὸ τοῦ εὐαγγελίου, πάλιν λέγοντες ὅτι· ἀρκετὸν τῷ μαθητῇ', ἵνα γένηται ὡς διδάσκαλος.

3) **Philaster** deinde (*h.* 36) ulterius progrediens, et Epiphanium sequens « quæ Epiphanius de Ebionitis scripserat, Cerintho attribuit erroresque Ebionitarum in Cerinthum adeo integros transtulit, ut de Ebionis superstitione judaïca ne uno quidem verbo loquatur ». Quæ confusio dein apud Pseudo-Hieronymum (*h.* 10) (Kunze p. 67) ad summum pervenit, ubi ait : « Carpocras, Cerinthus et Ebion, hi tres sibi successerunt, dicentes omnia secundum legem, circumcidi, observare sabbatum et dies festos judaicos. » Ut supra jam diximus, hæc demonstratio a Kunze allata nobis omnino suasoria videtur.

Attamen Hilgenfeld (1) per eam non convincitur. Difficultates quas contra argumentationem Kunze proponit examinavimus, eam autem argumentationem per illas difficultates infirmari non censemus. Quæstionem enim præcipuam de variorum hæresiologorum fontium dependentia integram et intactam reliquit : in ea autem confusione cardo rei vertitur.

Ita quoad Pseudo-Tertullianum, legis judaïcæ sicut et mundi ab angelis fundationem minime pugnare cum temporaria legis obligatione quamdiu mundus exstiterit, autumat.

Sed imprimis, ex eo quod « Judæorum deum non dominum sed angelum » dixerit, « ipsam quoque legem ab angelis (malis) datam » perhibuerit, ad antinomismum logice devenire debebat. Animadvertit insuper Hilgenfeld Ebionem, Cerinthi successorem, judaïsmo favisse. Factum libenter concedimus, at ex eo judaïsmum ipsius Cerinthi consequi negamus. Etenim successio de qua apud hæresiologos agitur, sæpe lato sensu de chronologica

(1) *Z. W. Th.* 1895, p. 242 ss.

successione intelligenda est. Ceterum, ut Kunze ait (p. 63), ipse Pseudo-Tertullianus Ebionem in hac erga judaïsmum habitudine a Cerintho differre ostendit quando dicit : « Hujus successor Ebion fuit, *Cerinthi non in omni parte consentiens*, quod a deo dicat mundum, non ab angelis factum, et quia scriptum sit : nemo discipulus super magistrum, nec servus supra dominum, legem etiam proponit, scilicet ad excludendum evangelium. » Recte porro notat Kunze (ibid.) : « Ut enim ii, qui legem ab angelis inferioribus repetunt, dignitatem ejus abrogant, ita legis auctoritas firmatur ab iis qui docent deum ipsum et mundum creavisse et legem dedisse ».

Quoad Philastrum insistit Hilgenfeld in hoc quod de Cerintho dicatur eum solum evangelium secundum Matthæum recepisse, et Paulum apostolum rejecisse, ex quo sequeretur doctrinam Cerinthi partim judaïcam et plene antipaulinianam fuisse, quod utrumque ab Epiphanio confirmatur. At, quæstio est undenam hæc Philaster desumpserit. Putamus vero Philastrum ab Epiphanio pendere certo demonstrari, de confusione autem ab Epiphanio patrata satis constare.

Unde de judaïsmo Cerinthi non constare concludendum appareret. Notare ad nostram quæstionem hic maxime juvat, communi fere sententia millenarismum et quidem valde materialem tribui Cerintho. Hujus tamen doctrinæ fautorem nullus antiquus hæresiologus Cerinthum tradit (1). S. Augustinus *(hær.* 8) et Theodoretus *(hær. fab.* II, 3) primi de Cerinthi millenarismo loquuntur, ab Eusebio pendentes, qui solo Caji testimonio nititur (Eus. H. E. III, 28) (2). Cajus autem, ut melius infra patebit, non traditione quadam nixus, sed ratiocinio potius ad hanc devenit conclusionem. Millenarismum in Apocalypsi contineri æstimabat; cum autem chiliasmo valde adversaretur atque odio in Montanistas huic errori faventes flagraret, Apocalypsin non apostolo Joanni, sed Cerintho ejus coævo et adversario auctori adscripsit.

(1) Iren. *Adv. h.* 26, 1; III, 3, 4; 11, 1, 7. — Hippol. *Refut.* VII. 33; X, 21. — Pseudo-tert, *Hær.* 10; Phil. *Hær.* 36 coll. 59, Epiph. *Hær.* 28.
(2) Cfr. quoad Dionysium Alex. Eus. *H. E.* III, 29 et VII, 25.

Articulus II. — De Cajo Romano ejusque erga scripta joannea habitudine (1).

De Cajo pluribus in locis Eusebius loquitur (2), et excerpta quædam ex opere ejus quod tempore Zephyrini romanæ urbis episcopi (198/9-217/8) contra Proclum sectæ cataphrygarum patronum scripsit, nobis tradidit.

Erat, ait Eusebius, « ἐκκλησιαστικὸς ἀνὴρ » (II, 25, 6) ejusque διάλογον λογιωτάτου ἀνδρὸς dicit (VI, 20). Jam vero, teste Eusebio (III, 28), hæc de Cerintho affirmabat : « Ἀλλὰ καὶ Κήρινθος ὁ δι' ἀποκαλύψεων ὡς ὑπὸ ἀποστόλου μεγάλου γεγραμμένων τερατολογίας ἡμῖν ὡς δι' ἀγγέλων αὐτῷ δεδειγμένας ψευδόμενος, ἐπεισάγει λέγων, μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐπίγειον εἶναι τὸ βασίλειον τοῦ Χριστοῦ, καὶ πάλιν ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ τὴν σάρκα πολιτευομένην δουλεύειν. Καὶ ἐχθρὸς ὑπάρχων ταῖς Γραφαῖς τοῦ Θεοῦ, ἀριθμὸν χιλιονταετίας ἐν γάμῳ ἑορτῆς, θέλων πλανᾶν λέγει γίνεσθαι ».

Præter hunc textum ab ipso Eusebio ex opere Caji excerptum nova quinque fragmenta Gwynn in commentario inedito Dionysii Barsalibi in Apocalypsin, Actus apost. et epp. detexit : in quibus occasione Apoc. 8. 8; 8, 12; 9, 2-3; 9, 15; 20, 2-3, opinio Caji exponitur eique refutatio ab Hippolyto facta adjungitur. Certum est hæc fragmenta ex opere Hippolyti *Capita adversus Cajum* (κεφαλάια κατὰ Γαΐου) desumpta fuisse (3).

Ex paucis et brevibus illis textibus nobis Caji de Apocalypsi ejusque auctore opinio determinanda est. Jam vero ex iis sequitur :

(1) Cfr Harnack, *ACL. Gesch.* I, p. 601 s. *Das N. T um das Jahr* 200, p. 58 ss. — *T. U.*, VI, 3, p. 121 ss. *Th. Lz.* 1888, n. 26; 1889, n. 21. — Zahn, *G. N. K.*, I, p. 220-262; II, p. 973-991; 1021 s. — Völter, *Th. T.*, 1891, p. 259 ss. — Corssen, *T. U.*, XV, 1, p. 551. — Hilgenfeld, *Z. W. Th.*, 1889, p. 330-348; 1895, p. 292 ss. — Zisterer, *Th. QU.*, 1892, p. 129 ss. — Hirscht, *o. c.*, p. 149 s. — Kunze. *o. c.*, p. 78, n. 1. — Gwynn, *Hermathena*, VI, p. 397-418 (July 1888). — Cornely, *Introd. spec.*, III (1886), p. 694.

(2) *H. E.*, II, 25; III, 28; 31; VI, 20.

(3) Gwynn, *l. c.*, versionem anglicam confecit, Harnack (*T. U.* XII, 3) et Zahn (*G. N. K.*, II, 973-991) germanicam ediderunt.

1° Caium Apocalypsin Joannis ex critica interna rejecisse; ex incompossibilitate nempe quam inter eschatologicas hujus libri prophetias ex una parte, doctrinam Christi et Pauli universamque Scripturam ex alia parte reperire arbitrabatur.

Unde sententia a Zisterer *(Th. Qu.* 1892, p. 129 n.) proposita, juxta quam Cajus non ipsum Apocalypseos librum sed litteralem tantum ejus interpretationem materialem scilicet et chiliasticam impugnasset, rejicienda nobis videtur. Neque magis arridet explicatio a Cornely l. c. his verbis expressa : « Nihil aliud asserit Eusebius, nisi Cerinthum, teste Cajo, per revelationes (δι' ἀποκαλύψεων) [velut a magno Apostolo conscriptas, portenta quædam quasi ab angelis sibi ostensa de chiliasmo propagasse, *genuinæ igitur Apocalypsi joanneæ apocryphum apposuisse* ».

Etenim, unumquodque e fragmentis a Gwynn detectis, talem ostendit Cajum qui Apocalypseos textum uti jacet aperte pugnare cum doctrina Christi et apostolorum probare conatur. Absolutam impossibilitatem eorum quæ in Apocalypsi prænunciantur, ostendere vult : de interpretatione textus Apocalypseos nullibi agitur. Ex sacra Scriptura prophetias illas simpliciter falsas dicit.

Arguit Zisterer ex silentio Eusebii qui Cajum Apocalypsin rejecisse nullibi affirmat (1). — Sed, quæstio fit utrum silentium illud revera admittendum sit. — Nam,

2° Non videmus quonam jure negari possit Cajum Apocalypsin Cerintho tribuisse. Fatendum quidem est fragmenta nuper detecta neutri sententiæ præbere fundamentum, sed Eusebii textus illud non obscure indicat, præterquam quod directa illa Apocalypseos impugnatio a Cajo facta, Cajum librum ut apostolicum non habuisse satis innuit. — Verba autem ab Eusebio (III, 28) relata imprimis ostendunt Cajum docere Apocalypsin Joanni apostolo a Cerintho suppositam fuisse; talis enim est sensus verborum : « Κήρινθος ὁ δι' ἀποκαλύψεων ὡς ὑπὸ ἀποστόλου μεγάλου γεγραμμένων... ψευδόμενος... ἐπεισάγει λέγων »... Ce-

(1) Harnack, *T. U.* VI, 3, p. 128 : « Interressant ist, dass Eusebius die Polemik des Cajus gegen die Apokalypse verschwiegen hat. »

rinthus scilicet ipse Apocalypsin scripserit eique falso apostoli nomen apposuerit.

Objicit Ad. Harnack descriptionem millenarismi quæ apud Eusebium sequitur, in Joannis Apocalypsin minime quadrare (1). At, fragmenta ex Hippolyti opere servata Cajum Joannis Revelationem agressum esse ostendunt. Dein talem consonantiam non requiri exemplo Alogorum probari potest : hi enim et quartum evangelium Cerintho, quin illud vel minimum cerinthianæ doctrinæ faveat, tribuerunt. Ceterum Revelationis adversarii loca quædam ut v. g. 19, 7, 9; 20, 4-9 tanquam a carnali et materiali millenarismo haud satis aliena interpretari poterant.

Aliam difficultatem movet Harnack ex fragm. V apud Gwynn desumptam, quatenus scilicet Cajus Satanam jam ligatum esse dicat, Hippolytus autem eum multis locis biblicis refutet, affirmetque justos cum Domino epulaturos esse. Jam vero, si millenarismum Apocalypseos tanquam carnalem impugnasset Caius, hanc aggressionem Caii Hippolytus commemorare debuisset.

Sed, ne obliviscamur quæso, fragmenta tantum operis Hippolyti contra Caium ad nos pervenisse, illudque fragmentum quintum difficultates tantum quas contra Apoc. 20, 2-3 faciebat Caius, exponere. De *regno* millenario tantum vv. ss. agitur, speciatim v. 6 : unde hujus loci occasione agere poterat Cajus de carnali millenio, quem locum Hippolytus alibi etiam respexerit (Völter). Et in ipso fragmenti V textu indicium hujus millenii carnalis adesse videtur, quatenus nempe Hippolytus doctrinam Apocalypseos de regno mille annorum modo spirituali et allegorico explicat (2).

Nec verba « ὁ δι' ἀποκαλύψεων ὡς ὑπὸ ἀποστόλου μεγάλου γεγραμμένων, τερατολογίας ἡμῖν ὡς δι' ἀγγέλων αὐτῷ δεδειγμένας ψευδόμενος »... obstant quominus Caius Apocalypseos auctorem Cerinthum dixerit (3). Nam hoc alterum crimen quod

(1) Hanc incompossibilitatem notat Hirscht, *o. c.*, p. 149-150.

(2) Cfr Zahn, *G. N. K.* II, p. 979, n. 3.

(3) A. Harnack, *Das N. Test. um das Jahr* 200, p. 69, n. 2, ait : Cerinth soll einerseits « vorgeheben haben, ihm selbst und nicht etwa einem von ihm zu unterscheidenden Apostel seien die Wunderdinge, die er lügnerischer Weise in die Welt geschickt hat, durch Engel gezeigt worden. » andererseits soll er doch seine Apokalypse dem Johannes beigelegt haben. Wie reimt sich das?

Cajus Cerintho exprobrat primum supponit (nempe Cerinthum scriptum a seipso compositum tanquam magni apostoli opus edidisse), atque in hoc consistit quod scilicet ei formam dederit visionum quas ab angelis sibi monstratas simulaverit (1).

Deinde, thesis nostra confirmationem quamdam ex eo mutuari videtur, quod valde probabiliter, ut postea videbimus, Cajus ab Alogorum critica dependet : Alogi autem Apocalypsin Cerintho auctori adjudicabant.

Ita sententiam Caji Dionysius, alexandrinæ ecclesiæ episcopus, interpretari videtur *(Eus. H. E.* III, 28 et VII, 25) : putamus enim Dionysium dum sententiam « nonnullorum qui eum præcesserant et librum hunc repudiarunt penitus ac refutarunt » refert, Caii doctrinæ minime fuisse ignarum.

Jam vero ita Dionysius scribit :

III, 28 : Κήρινθον δὲ, τὸν καὶ τὴν ἀπ' ἐκείνου κληθεῖσαν Κηρινθιανὴν αἵρεσιν συστησάμενον, ἀξιόπιστον ἐπιφημίσαι θελήσαντα τῷ ἑαυτοῦ πλάσματι ὄνομα...

VII, 25 (Διονύσιος) περὶ τῆς Ἀποκαλύψεως Ἰωάννου ταῦτά φησι· « Τινὲς μὲν οὖν τῶν πρὸ ἡμῶν ἠθέτησαν καὶ ἀνεσκεύασαν πάντη τὸ βιβλίον καθ' ἕκαστον κεφάλαιον διευθύνοντες ἄγνωστόν τε καὶ ἀσυλλόγιστον ἀποφαίνοντες· Ψεύδεσθαί τε τὴν ἐπιγραφήν. Ἰωάννου γὰρ οὐκ εἶναι λέγουσιν · ἀλλ' οὐδ' ἀποκάλυψιν εἶναι τὴν σφοδρῷ καὶ παχεῖ κεκαλυμμένην τῷ τῆς ἀγνοίας παραπετάσματι καὶ οὐχ ὅπως τῶν ἀποστόλων τινά, ἀλλ' οὐδ' ὅλως τῶν ἁγίων ἢ τῶν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας τούτου γεγονέναι ποιητὴν τοῦ συγγράμματος, Κήρινθον δὲ τὸν καὶ τὴν ἀπ' ἐκείνου κληθεῖσαν Κηρινθιανὴν συστησάμενον αἵρεσιν ἀξιόπιστον ἐπιφημίσαι θελήσαντα τῷ ἑαυτοῦ πλάσματι ὄνομα. τοῦτο γὰρ εἶναι τῆς διδασκαλίας

H. E. III, 28 : Γάϊος ἐν τῇ φερομένῃ αὐτοῦ ζητήσει ταῦτα περὶ (τοῦ) αὐτοῦ γράφει· Ἀλλὰ καὶ Κήρινθος ὁ δι' ἀποκαλύψεων ὡς ὑπὸ ἀποστόλου μεγάλου γεγραμμένων τερατολογίας ἡμῖν ὡς δι' ἀγγέλων αὐτῷ δεδειγμένας ψευδόμενος ἐπεισάγει λέγων μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐπίγειον εἶναι τὸ βασίλειον τοῦ Χριστοῦ, καὶ πάλιν ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς

(1) Cfr Völter, *Th. T.* 1891, p. 289.

αὐτοῦ τὸ δόγμα ἐπίγειον ἔσεσθαι τὴν τοῦ Χριστοῦ βασιλείαν καὶ ὧν αὐτὸς ὠρέγετο φιλοσώματος ὢν καὶ πάνυ σαρκικός, ἐν τούτοις ὀνειροπολεῖν ἔσεσθαί γαστρὸς καὶ τῶν ὑπὸ γαστέρα πλησμοναῖς, τουτέστι σιτίοις καὶ ποτοῖς καὶ γάμοις καὶ δι' ὧν εὐφημότερον ταῦτα ᾠήθη πορίεῖσθαι ἑορταῖς καὶ θυσίαις καὶ ἱερείων σφαγαῖς. ἐν Ἱερουσαλὴμ τὴν σάρκα πολιτευομένην δουλεύειν. καὶ ἐχθρὸς ὑπάρχων ταῖς γραφαῖς τοῦ θεοῦ ἀριθμὸν χιλιονταετίας ἐν γάμῳ ἑορτῆς θέλων πλανᾶν λέγει γίνεσθαι.

Nonnullos suo tempore anteriores Apocalypsin Cerintho tribuisse Dionysius clarissimo modo affirmat. In specie Caium cogitari ex intima utriusque textus connexione probatur : Dionysius explicite tenet librum Apocalypseos a Cerintho Joanni apostolo fuisse suppositum, et in describendo Cerinthi millenarismo quoad verba plerumque cum Caii textu convenit (1). Illa autem convenientia eo vel magis attendenda apparet, quod parum historice probatam esse illam chiliasticam Cerinthi doctrinam aliunde compertum habemus. Uterque præterea illum librum non « revelationem » esse contendit. Insuper, modus quo juxta Dionysium Apocalypsis impugnata fuerit, in quinque operis Hippolyti fragmentis ad litteram verificatur, nempe « πάντη τὸ βιβλίον καθ' ἕκαστον κεφάλαιον διευθύνοντες ». Denique Cajus juxta Eus. III, 28, de auctore Apocalypseos dixerat : « ἐχθρὸς ὑπάρχων ταῖς Γραφαῖς τοῦ Θεοῦ »; atqui, in singulis fragmentis Cajus Apocalypseos sententiis textus scripturisticos opponit. Dionysius « ἄγνωστόν τε καὶ ἀσυλλόγιστον », veteribus testantibus, librum vocaverat, quod iterum methodo Caji in fragmentis latenti consonare videtur.

Dionysium igitur Caji opus cognovisse arbitramur.

Nec obstat quod Corssen (o. c. p. 55) ait : Dionysium ab Eusebio exhiberi ὡς ἐκ τῆς ἀνέκαθεν παραδόσεως (III, 28) haurientem, dein plurium testimonium invocantem : « τινὲς μὲν οὖν τῶν πρὸ ἡμῶν » (VII, 25).

(1) Cfr Zahn, *ll. cc.* et *Th. T.* 1891, p. 286 ss.

Nam, quæ ἐκ τῆς ἀνέκαθεν παραδόσεως tradit Dionysius in secundo περὶ τῶν ἐπαγγελιῶν libro (III, 28, VII, 24), videntur illa introductio esse quæ VII, 25 citationem (etiam III, 28 transcriptam) præcedit, quamque pag. præc. exscripsimus : « Τινὲς μὲν οὖν τῶν πρὸ ἡμῶν κτλ » (1). Quod autem numerus pluralis adhibeatur, non est cur dependentiam Dionysii a Cajo rejiciamus. Etenim Dionysium *scriptum* respicere fontem VII, 25, nemo negabit. Jam vero an plura ejusmodi opera præ manibus habuisse Dionysium admittemus? Possibile esse ut Dionysius scripta polemica Alogorum contra joanneos libros cognoverit, minime negamus. Attamen, solum Caji opus explicite respici hoc in loco, ut omnino probabilius habemus (2).

Præviam hanc inquisitionem concludamus notando Cajum evangelium Joannis recepisse, cum ex hoc evangelio Hippolytus in V fragmento contra Cajum argumentetur. Observemus insuper Cajum, cum *apostolicam* Apocalypseos (3) originem negaret, de alio quopiam Joanne præter apostolum nondum cogitasse, e contra, reliquam de Joanne apostolo, tanquam « joanneorum scriptorum » auctore, traditionem confirmasse dum scriberet « Κήρινθος, ὁ δι' ἀποκαλύψεων ὡς ὑπὸ ἀποστόλου μεγάλου κτλ ».

Articulus III. — Dionysius Alexandrinus de « Presbytero » Joanne.

Stabilita nunc Caji de Apocalypsi sententia, necnon Dionysii de Caji doctrina cognitione, facilior jam erit ipsius Dionysii circa

(1) Cfr Zahn, *G. N. K.* I, p. 228 s.

(2) Casu quo Alogorum scriptorum cognitio apud Dionysium præbaretur, illud τινὲς illorum Apocalypseos impugnationem respiceret; textus Caji præ caeteris respiceretur, praesertim cum Cajus valde probabiliter quaedam Alogorum argumenta assumpserit.

(3) Cfr Zahn, *G. N. K.* II, p. 978 s. 983. — Harnack, *T. U.* VI, 3, p. 128. — Zahn, *G, N. K.* II, 991, scribit : « Das Cajus auf die Urtheile und einzelne Argumente der Aloger zurückgriff, ohne sich ihrem Verdammungsurtheil über die sonstigen joh. Schriften anzuschliessen, beweist dass er wohl Kenntnis von der Richtung der Aloger hatte, aber nicht in direktem Zuzammenhang mit jener kleinasiatischen Partei stand. Es ist mindestens wahrscheinlich, dass er nur durch Hipp.s Apologie der joh. Schriften von den Alogern wusste. »

propheticum librum doctrinae investigatio, quacum de Joanne « presbytero » quæstio intimo nexu cohæret.

Sententiam suam de hac re aperiendi occasionem Dionysio Nepos, episcopus Ægypti, obtulit (1). Ille, teste Eusebio (H. E. VII, 24), propriam de millenarismo suo judaico et materiali doctrinam ex Joannis Revelatione se stabilire posse arbitrabatur. « Πρὸς ὃν ὁ Διονύσιος ἐν τοῖς περὶ ἐπαγγελιῶν ἐνίσταται, διὰ μὲν τοῦ προτέρου τὴν αὐτοῦ γνώμην ἣν εἶχε περὶ τοῦ δόγματος παρατιθέμενος, διὰ δὲ τοῦ δευτέρου περὶ τῆς Ἀποκαλύψεως Ἰωάννου διαλαμβάνων· ἔνθα τοῦ Νέπωτος κατὰ τὴν ἀρχὴν μνημονεύσας ταῦτα περι αὐτοῦ γραφεῖ... C. 25 : Εἶθ' ἑξῆς ὑποβὰς περὶ τῆς Ἀποκαλύψεως Ἰωάννου ταῦτά φησι· Τινὲς μὲν οὖν κτλ...» Textu dein supra examinato mentem suam aperit : Ἐγὼ δὲ ἀθετῆσαι μὲν οὐκ ἂν τολμήσαιμι τὸ βιβλίον, πολλῶν αὐτὸ διὰ σπουδῆς ἐχόντων ἀδελφῶν... Tum, integro Revelationis libro examinato, ut ait Eusebius, de auctore inquirit. » Καλεῖσθαι μὲν οὖν αὐτὸν Ἰωάννην, καὶ εἶναι τὴν γραφὴν Ἰωάννου ταύτην οὐκ ἀντερῶ· Ἁγίου μὲν γὰρ εἶναί τινος καὶ θεοπνεύστου συνσινῶ. Οὐ μὲν ῥαδίως ἂν συνθείμην τοῦτον εἶναι τὸν ἀπόστολον, τὸν υἱὸν Ζεβεδαίου, τὸν ἀδελφὸν Ἰακώβου, οὗ τὸ Εὐαγγέλιον τὸ κατὰ Ἰωάννην ἐπιγεγραμμένον, καὶ ἡ ἐπιστολὴ ἡ καθολική. Τεκμαίρομαι γὰρ ἔκ τε τοῦ ἤθους ἑκατέρων, καὶ τοῦ τῶν λόγων εἴδους, καὶ, τῆς τοῦ βιβλίου διεξαγωγῆς λεγομενῆς μὴ τὸν αὐτὸν εἶναι ». Insistit dein in hoc quod in apostoli epistolis nullibi nomen scriptoris inveniatur : « Ἀλλ' οὐδὲ ἐν τῇ δευτέρᾳ φερομένῃ Ἰωάννου καὶ τρίτῃ, καίτοι βραχείαις οὔσαις Ἐπιστολαῖς, ὁ Ἰωάννης ὀνομαστὶ πρόκειται, ἀλλὰ ἀνώνυμος ὁ πρεσβύτερος γέγραπται... Joannem tamen esse auctori affirmanti credendum esse dicit : ποῖος δὲ οὗτος, ἄδηλον... Πολλοὺς δὲ ὁμωνύμους Ἰωάννῃ τῷ ἀποστόλῳ νομίζω γεγονέναι... Ἔστι μὲν οὖν καὶ ἕτερος Ἰωάννης ἐν ταῖς Πράξεσι τῶν ἀποστόλων ὁ ἐπικληθεὶς Μάρκος· ὃν Βαρνάβας καὶ Παῦλος ἑαυτοῖς συμπαρέλαβον, περὶ οὗ καὶ πάλιν λέγει· « εἶχον

(1) Ad removendum chiliasmum materialem, Origenes præsertim allegoricam Apocalypseos interpretationem invexit. Novæ huic methodo Nepos episcopus in Ægypto restitit libro suo Ἔλεγχος ἀλληγοριστῶν. Dionysius, Origenis discipulus, ægre hanc contradictionem cum ferret, in opere περὶ ἐπαγγελιῶν Nepotem acriter impugnavit (ἐνίσταται).

δὲ καὶ Ἰωάννην ὑπερέτην ». Εἰ δὲ αὗτος ὁ γράψας ἐστίν, οὐκ ἄν φαίην· οὐδὲ γὰρ ἀφῖχθαι σὺν ἀὐτοῖς εἰς τὴν Ἀσίαν γέγραπται... Ἄλλον δὲ τινα οἶμαι τῶν ἐν Ἀσίᾳ γενομένων· ἐπεὶ καὶ δύο φασὶν ἐν Ἐφέσῳ γενέσθαι μνήματα, καὶ ἑκάτερον Ἰωάννου λέγεσθαι... »

Hoc Dionysii testimonium est summi momenti. Imprimis animadvertendum est non traditione quadam, sed *interno* Apocalypseos examine ejusque cum evangelio comparatione, Dionysium niti ut Joannem apostolum auctorem esse neget. Et cum tamen auctori se Joannem vocanti fidem adhibeat, alium quemdam homonymum cui Apocalypsin possit tribuere, inquirit. Plures apostolum Joannem in Asia propter personæ suæ reverentiam habuisse homonymos opinatur : *de nullo tamen se unquam audivisse clare significat;* sed ut aprioristicæ suæ hypothesi fundamentum quoddam præbeat, vagam omnino (φασὶν) traditionem de duobus sepulchris Ephesi Joannis nomine insignitis refert, quod argumentum demonstrativo valore carere manifestum est. Titulum « ὁ πρεσβύτερος » præterit, quin ulla suspicio in mente ejus oriatur.

Unde constat Dionysium, ex polemica agendi ratione homonymum asiaticum Joanni quærentem, nullum hypothesi suæ historicum fundamentum invenisse, nec ullum in traditione obviam habuisse indicium, unde ad existentiam alius Joannis asiatici præter apostolum concludere potuisset.

Cæterum in hoc Dionysii testimonio insistere nequeunt qui Joannem *apostolum* in Asia fuisse negant.

At, dato duo μνήματα Joannis nomine inscripta revera exstitisse in urbe Epheso, neque duos in Asia fuisse Joannes, neque apostoli homonymum quemdam fuisse supremum Asiæ provinciæ rectorem eo ipso probaretur. Nam illius *posterioris* traditionis origo (tempore Polycratis enim nondum exstabat) vario modo explicari potest, et sequenti tempore ita ut « duæ memoriæ ejusdem Joannis evangelistæ » fuerint, interpretata fuit (1). Sepositа autem incerta et vaga hac de duobus sepulchris traditione, testimonium Dionysii huc tantum redit : « adsunt rationes

(1) Cfr Hieron *de vir. ill.* c. 18.— Zahn, *Acta Joh.* p. clv ss.— Bousset, *Apok.* p. 40.

internæ ut auctorem Apocalypseos a quarti evangelii auctore distinctum dicamus, nec ex hoc quod uterque idem habet nomen, ad duorum identificationem cogimur, quia *possibile est ut plures Joannes in Asia fuerint* ». Ex circumstantiis autem Dionysii testimonium positivo æquivalet argumento, quo probatur nullam historicam de secundo Joanne traditionem ad eum pervenisse.

Neque prætermittendum videtur satis mirum esse cur Dionysius, de altero Joanne inveniendo tam sollicitus, eidem auctori cui Apocalypsin tribuere conabatur, duas posteriores Joannis epistolas non tribuerit, neque titulus « ὁ πρεσβύτερος » ullam ei suspicionem moverit.

Articulus IV. — Eusebius de Joanne presbytero (1).

Hypothesin Dionysii de alio Joanne ab apostolo diverso et auctore Apocalypseos Eusebius reassumpsit, et omni qua potuit ope ut certam eam et determinatam personam exhibere conatus est.

Sed, antequam circa quæstionem nostram episcopum Cæsariensem directe interrogemus, methodum ejus in citandis sacris scripturis breviter exponere opportunum ducimus (2). Hoc enim modo habitudo Eusebii erga scripta joannea, adeoque ipsa de Joanne presbytero quæstio cum illorum authentia valde connexa melius intelligetur.

Postquam Eusebius jam pluries de libris Novi Testamenti locutus est : scil. de Actis apostolorum (H. E. II, 22), de 7 epis-

(1) Optime notandum est Eusebium, quemadmodum Dionysium Alexandrinum et S. Hieronymum, hypothesin de Joanne *presbytero* invexisse, quin vel levissimum de apostolica quarti evangelii origine dubium conceperint. Illorum directa testimonia infra videbimus.

(2) Cfr *Eusebii Pamphili scripta historica*, edit. Heinichen, III, 1870, p. 87 ss., 602 ss. — E. Reuss, *Histoire du canon des S. Ecritures du N. T.* p. 156 ss. — Hilgenfeld, *Einl.*, p. 115 ss. — Bleek-Mangold, *Einl.*, p. 246. — Lightfoot, *Cont. R.* January 1875. — A. Loisy, *Histoire du canon du Nouveau Testament*, 1891, p. 151 ss. — Holtzmann, *Einl* , p. 136 ss. — B. Weiss, *Einl.*, p. 89 ss. — Cornely, III, *Introd. spec.*, p. 695 s. — Poggel, *o. c.* p. 695 ss.

tolis catholicis (II, 23), de 14 epistolis Paulinis (III, 24), de 4 evangeliis et de Joannis Apocalypsi (III, 24), l. III, c. 25 « opportunum putat hoc loco Novi Testamenti libros de quibus jam dixit, summatim recensere ». Locus hic classicus speciatim aptus est ad canonem Eusebii statuendum : plura tamen alia loca inter quæ speciatim II, 23; III, 3, 16, 24, 31, 38, 39; VI, 13, 14, 20, 25 omniaque illa in quibus de Joanne ejusve scriptis agitur, simul inspiciemus.

C. 25 l. III fundamentalem tradit Eusebius librorum sacrorum divisionem, quam plures auctores stricte *tripartitam* esse censent.

Prima classis : ὁμολογούμενα (alibi, III, 3, nempe ἀναμφίλεκτα-ἐνδιάθηκα-ἀναντιῤῥητα et γνήσια), quam denominationem paulo infra sequenti modo evolvit (διακρίναντες) τάς τε κατὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν παράδοσιν ἀληθεῖς καὶ ἀπλάστους καὶ ἀνωμολογημένας Γραφάς.

Secunda classis : ἀντιλεγόμενα (etiam γνώριμα δὲ τοῖς πολλοῖς οὐκ ἐνδιαθήκα μὲν ἀλλὰ καὶ ἀντιλεγόμενα, ὅμως δὲ παρὰ πλείστοις τῶν ἐκκλησιαστικῶν γιγνωσκομένα).

Scripta hujus secundæ classis etiam νόθα vocat : nomen hoc, quoad elementum quoddam cum superiore designatione convenire, ex contextu c. 25 probatur : Τῶν δ' αντιλεγομένων... φέρεται... Ἐν τοῖς νόθοις κατατετάχθω καὶ... Ταῦτα μὲν πάντα τῶν ἀντιλεγομένων ἂν εἴη. Confirmatur ex eo quod iidem libri nunc ut ἀντιλεγομένα nunc ut νόθα recensentur : ita *Pastor Hermæ* III, 3 : ἰστέον ὡς καὶ τοῦτο πρὸς μέν τινων ἀντιλέλεκται, δι' οὓς οὐκ ἂν ὁμολογουμένοις τιτείη, III, 25 vero inter νόθα connumeratur. Ita etiam *Jacobi epistola* II, 23 νοθεύεται, dum III, 25 computatur inter ἀντιλεγόμενα (1).

Plures tamen inter utramque appellationem propositæ fuerunt differentiæ. Ita Bleek-Mangold νόθα putat fuisse scripta spuria quoad canonicitatem, non quod authentiam, scripta scil. a pluribus tanquam canonica recepta, ab aliis vero ut talia rejecta. (*Einl.* p. 852) — ἀντιλεγόμενα ea dicit fuisse quæ ut canonica a plerisque acceptata fuerunt ; uno verbo, sunt scripta ἀντιλεγόμενα

(1) *Epistola Judæ* eodem modo iisdem in locis tractari videtur.

vel νόθα prout magis accedunt ὁμολογούμενοις vel libris *tertiæ classis*, scil. πανθελῶς νόθοις καὶ τοις ὀνόματι τῶν ἀποστόλων πρὸς τῶν αἱρετικῶν προφερομένοις, qui alibi etiam ut πανθελῶς νόθα καὶ τῆς ἀποστολικῆς ὀρθοδοξίας αλλότρια — ἄτοπα πάντη καὶ δυσσεβῆ designantur — et ut talia quæ οὐδαμῶς ἐν συγγράμματι τῶν κατὰ τὰς διαδοχὰς ἐκκλησιαστικῶν τις ἀνὴρ εἰς μίνμην ἀγαγεῖν ἠξιωσεν (1).

H. Poggel (*o. c.* p. 97 ss.), attenta Eusebii erga Apocalypsin agendi ratione, sequens discrimen statuit : « νόθα sunt illa scripta quæ a pluribus ecclesiis olim acceptata sunt ut canonica, postea vero e canone deleta, dum ἀντιλεγόμενα in quibusdam olim ecclesiis propter notitiæ circa ea vel cognitae authentiæ defectum non admissa fuerunt, sed semel ac postea accepta sunt, nunquam deinceps fuerunt recusata ».

Data tamen illa terminorum « νόθα et ἀντιλεγόμενα » quoad plures libros oscitantia, distinctionem a Poggel indicatam aliquatenus nimis exquisitam esse putamus. Differentiam ab aliis auctoribus traditam magis fundatam ducimus, quatenus nempe Eusebius generatim ἀντιλεγόμενα ut ad ὁμολογούμενα magis propinqua, adeoque majori æstimatione digna duxerit, eaque simpliciter γνώριμα τοῖς πολλοῖς (III 25) habuerit.

Antequam omnia elementa quæ de Joanne ejusque scriptis refert Eusebius secum invicem conferamus, alius adhuc locus III 3, ubi methodum circa canonicum usum et originem sacrorum librorum tradit, inspiciendus remanet.

Προϊούσης δὲ τῆς ἱστορίας, προύργου ποιήσομαι σὺν ταῖς διαδοχαῖς ὑποσημήνασθαι, τίνες τῶν κατὰ χρόνους ἐκκλησιαστικῶν συγγραφέων ὁποίαις κέχρηνται τῶν ἀντιλεγομένων, τίνα τε περὶ τῶν ἐνδιαθήκων καὶ ὁμολογουμένων Γραφῶν, καὶ ὅσα περὶ τῶν μὴ τοιούτων αὐτοῖς εἴρηται. Sibi proponit igitur Eusebius diversa methodo ὁμολογούμενα et ἀντιλεγόμενα tractare. Ad ἀντιλεγόμενα quod attinet, cum cura indicabit (προὔργου ποιήσο-

(1) Ita etiam Hænlein, Rœssler, Reuss, Westcott, Schmidt, Schmiedel, Zahn, Harnack, Loisy, *o. c.*, p. 154 : « La seconde catégorie, celle des antilégomènes se subdivise en deux classes : ceux qui sont reçus par le plus grand nombre, et ceux qui n'ayant pour eux qu'un petit nombre d'autorités, sont qualifiés d'apocryphes : νόθα. »

μαι) quemvis auctorem qui *utitur* quovis hujus classis libro; sed, quoad ὁμολογούμενα (sicut et pro non canonicis : τῶν μὴ τοιούτων) non quascumque citationes, sed tantum quæ circa ea *narrantur* tradet (1). Duplicis hujus methodi exempla plura habet : ejus applicationem relate ad S. Irenæi testimonium videre est H. E. V, 8. Ibi v. g. Irenæi *narrationem* de quatuor evangeliorum origine refert, simul ac *citationem* ex Herma Pastore desumptam commemorat.

His præmissis, quid de scriptis joanneis, in specie de Apocalypsi ejusque auctore retulerit Eusebius, videamus. Quoad evangelium Joannis et primam ejus epistolam, ea ab *apostolo* scripta certissime tenet, eaque « tum a recentioribus tum ab antiquis omnibus citra controversiam admissa » dicit, adeoque utrumque scriptum inter ὁμολογούμενα recenset (*H. E.* III 24). Sed duas alias epistolas joanneas inter ἀντιλεγόμενα numerat ἀντιλέγονται δὲ αἱ λοιπαὶ δύο (III 24), easque III 25 iterum ἀντιλεγόμενα, γνώριμα δ' οὖν ὅμως τοῖς πολλοῖς vocat.

Quoad illa scripta in decursu tractationis sibi constans apparet, et juxta methodum l. III, 3 traditam de iis loquitur. Secundam et tertiam epistolam Joannis post Origenem inter ἀντιλεγόμενα scripta ponit, atque diversas de earum origine in ecclesiis haberi sententias animadvertit III 25 : « Τῶν δ' ἀντιλεγομένων, γνωρίμων δ' οὖν ὅμως τοῖς πολλοῖς ἡ λεγομένη Ἰακώβου φέρεται καὶ ἡ Ἰούδα ἥ, τε Πέτρου δευτέρα ἐπιστολὴ καὶ ἡ ὀνομαζομένη δευτέρα καὶ τρίτη Ἰωάννου, εἴτε τοῦ εὐαγγελιστοῦ τυγχάνουσαι εἴτε καὶ ἑτέρου ὁμωνύμου ἐκείνῳ. » Jam III, 24 scripserat, ut vidimus, loquens de 2ª et 3ª ep. Jo.: « ἀντιλέγονται αἱ λοιπαὶ δύο ». — Attamen, duobus aliis in locis eas priori Joannis epistolæ adjungit, nempe II, 23 (...τῆς λεγομένης Ἰούδα, μιᾶς καὶ αὐτῆς οὔσης τῶν ἑπτὰ λεγομένων καθολικῶν.); et Dem. Ev. III, 5, ubi sine restrictione eas omnes Joanni *apostolo* tribuit : « ἐν μὲν γὰρ ταῖς ἐπιστολαῖς αὐτοῦ (Ἰωάννου) οὐδὲ μνήμην τῆς οἰκείας προσηγορίας ποιεῖται ἥ πρεσβύτερον ἑαυτὸν ὀνομάζει ». Sed ad Apocalypsin quod attinet, *ubique anceps et dubius deprehenditur* : H. E. III, 24 in fine propositum quoddam enuntiat : « Τῆς

(1) Cfr Lightfoot, *Cont. R.* 1875.

δ'ἀποκαλύψεως ἐφ' ἑκάτερον ἔτι νῦν παρὰ τοῖς πολλοῖς περιέλκεται ἡ δόξα. Ὅμως γε μὴν ἐκ τῆς τῶν ἀρχαίων μαρτυρίας ἐν οἰκείῳ καιρῷ τὴν ἐπίκρισιν δέξεται καὶ αὐτή (1) ». Revera pluribus in locis testimonia antiquorum circa originem et canonicum Revelationis usum affert; omnesque (2), Cajo et Dionysio exceptis, fateri debet authentiæ et canonico Apocalypseos characteri favere. Utrum vero methodum suam supra statutam quoad Apocalypsin sedulo observaverit, merito dubitari potest. Nam, cum juxta ipsum illud scriptum dubiæ sit authentiæ et canonicitatis, omnes auctores qui eo usi erant, commemorare tenebatur. Jam vero, quomodo nullam de Papiæ in Apocalypsin commentario mentionem fecit, præsertim cum Papiæ testimonio ad dubium suum de libri illius origine fundandum utatur?

Quomodocumque silentium illud explicandum sit, certum est Eusebium ubique ancipitem hærere utrum inter ὁμολογούμενα an inter νόθα Apocalypsin ponere debeat. Cum, ut audivimus, canonis divisio apud Eusebium historico fundamento seu ecclesiastica traditione nitatur, agmen testium canonicitati faventium, ut plane canonicam Apocalypsin duceret, eum inclinabat. Ex alia tamen parte, antiqua Alogorum et Caji Romani erga propheticum librum repugnantia, simul ac Dionysii hæsitationes ac dubia unanimi illi testificationi quadamtenus contradicebant. Insuper, cum in quibusdam tunc temporis ecclesiis, in sua præsertim palæstinensi communitate, a publica lectione excluderetur Apocalypsis, canonicitatem ejus defendere non audebat. Unde quæstionem plane insolutam relinquit, et de hoc solum ut contradictionem antiquum usum inter et recentiorem praxin ostendat, sollicitus apparet; solutionem vero lectoris arbitrio dijudicandam relinquit (cfr III 24, 25 et III 39).

Unde dicit τοῖς ὁμολογουμένοις jungi posse Revelationem Joan-

(1) III 25 idem repetit : « τὴν Ἀποκάλυψιν Ἰωάννου, περὶ ἧς τὰ δόξαντα κατὰ καιρὸν ἐκθησόμεθα. »

(2) *H. E.* III 18 (Irenæus); III 28 (Cajus et Dionysius); IV 18 (Justinus); IV 24 (Theophilus Antiochenus); IV 26 (Melito Sardianus); V 8 (Irenæus); V 18 (Apollonius); VI 25 (Origenes); VII 10 (Dionysius Alexandrinus); VII 24 (Nepos *episcopus Ægypti* et Dionysius Alexandrinus); VII 25 (Dionysius Alexandrinus).

nis « εἴγε φανείη »; et paulo infra eam νόθοις annumerari posse ait « εἰ φανείη », rationemque hujus dubitationis tradit : « ἤν τινες, ὡς ἔφην, ἀθετοῦσιν, ἕτεροι δὲ εγχρίνουσι τοῖς ὁμολογουμένοις », quod alio modo dixerat III, 24 : « Τῆς δ' Ἀποκαλύψεως ἐφ' ἑκάτερον ἔτι νῦν παρὰ τοῖς πολλοῖς περιέλκεται ἡ δόξα ».

Si solum historicum canonicitatis principium adhibuisset Eusebius, Apocalypsi potius favere debuisset : sed subjectiva ejus adversus propheticum librum repugnantia, traditionis testimonia quominus consuetam apud eum vim haberent, impedivit. Erat enim Eusebius acerrimus millenarismi (1) adversarius ; et cum Caji Romani et Dionysii Alexandrini contra Apocalypsin criticam approbaret (2), nullam qua libri apostolicam et canonicam auctoritatem minueret occasionem prætermisit. Ita v. g. III, 28 « de Cerintho hæresiarcha » non qualem antiqui auctores ei doctrinam tribuerint tradit, sed Caji et Dionysii circa Apocalypsin testimonium refert, eique narratiunculam de fuga Joannis apostoli e balneo, præsente Cerintho, annectit.

Attamen, cum exemplo Dionysii Apocalypsin tamen a Joanne quodam scriptam fuisse negare non audet, ut ipse Dionysius alium Joannem præter apostolum, *apologetica motus methodo* inquirit. Quæ intentio textu classico H. E. III, 39 clare patet. Exposita enim operis Papiæ proœmii privata sua interpretatione, juxta quam duos Joannes nominaret Papias, addit : » Ὡς καὶ διὰ τούτων ἀποδείκνυσθαι τὴν ἱστορίαν ἀληθῆ τῶν δύο κατὰ τὴν Ἀσίαν ὁμωνυμίᾳ κεχρῆσθαι εἰρηκότων, δύο τε ἐν Ἐφέσῳ γένεσθαι μνήματα καὶ ἑκάτερον Ἰωάννου ἔτι νῦν λέγεσθαι· οἷς καὶ ἀναγκαῖον προσέχειν τὸν νοῦν. Εἰκὸς γὰρ τὸν δεύτερον, εἰ μὴ τις ἐθέλοι τὸν πρῶτον, τὴν ἐπ' ὀνόματος φερομένην Ἰωάννου Ἀποκάλυψιν ἑωρακέναι ».

In hoc contextu Eusebii præoccupatio apparet quæstionem de auctore Apocalypseos solvendi, quam solutionem iterata cum hæsitatione propositam, duplici adminiculo critico obtinere intendit, interpretatione scil. proœmii operis Papiæ (de qua in

(1) Relatio prophetici libri ad romanum imperium peculiari modo Eusebium afficiebat, ut ostendit Aberle, *Th. Qu.* 1861, p. 20 s.

(2) Cfr Zahn, *G. N. K.* I, p. 228 s.

sequenti articulo agetur), et evolutione incertæ traditionis dionysianæ de duobus sepulchris ephesinis in factum historice certum.

Ita persona illa presbyteri Joannis, cujus nullum Eusebius in priorum trium sæculorum scriptis, solo Papiæ proœmio forsan excepto, invenire potuit vestigium, determinata potita est individualitate et existentia.

Quoad secundum Eusebii adminiculum, scil. de duobus sepulchris traditionem, quam suspectæ sit originis ex historia de Apocalypseos canonico usu satis constat : vidimus enim Dionysium Alexandrinum fontem esse vagæ hujus traditionis, totamque Eusebii circa Apocalypsin criticam, quacum de Joanne presbytero quæstio tam necessario nexu cohæret, a solis Cajo et Dionysio pendere, adeoque fere integram traditionem ei contradicere.

Nec ulli postea auctori præter S. Hieronymum, sententia Eusebii arrisit. Solus Hieronymus (1) narrationem eusebianam de duobus sepulchris et de Joanne « presbytero » iterum assumpsit, et De vir. ill. c. 9, postquam dixit Joannem presbyterum ut auctorem II et III Jo. reputari, addidit, « cujus et hodie alterum sepul-

(1) Cfr Poggel, *o. c.* p. 14 ss. — Ad « *decretum Damasi* » quod attinet cfr Poggel, *o. c.* p. 106 ss. — Zahn, *G. N. K.* II, p. 259 ss. — Loisy, *Hist. du canon du N. T.* 1891, p. 196 s. — Decretum gelasianum de libris non recipiendis, quod præsente S. Hieronymo in Synodo romana a. 382 fuit confectum, circa Joannis epistolas dicebat : « Joannis apostoli epistola I, alterius Joannis presbyteri epistolæ II, III. » Sub Gelasio et Hormisda decretum mutationes subiit, valde probabiliter autem jam sub Gelasio tres epistolæ Joanni apostolo tributæ fuerunt : « Joannis apostoli epistolæ III », quemadmodum jam Innocentius I, a. 405 in epistola ad Exuperum Tolosanum scripserat « epistolæ Joannis tres. » — Scribit ipse S. Hieronymus in *ep. II ad Paulinum* : « Jacobus, Petrus, Joannes, Judas *apostoli* septem epistolas ediderunt, tam mysticas quam succinctas et breves pariter ac longas, breves in verbis, longas in sententiis, ut rarum sit qui in earum lectione non cæcutiat. » — Præterea characterem canonicum Apocalypseos ejusque originem apostolicam *ubique* agnoscit Hieronymus. Ita *Ep. II ad Paul.* — *Cat. vir. ill.* c. 9. — *Ep.* 129 *ad Dard.* — *Comment. in Ps.* 249. — *In Is. l.* 18 *Proœm.* — *Adv. Jovin.* 2, 14 : « Apostolus, quia scripsit ad ecclesias ut magister, evangelista, qui librum evangelii condidit,... propheta, vidit enim in Patmos insula, in quam fuerat a Domitiano principe ob Domini martyrium relegatus, Apocalypsin. . »

chrum apud Ephesum ostenditur, etsi nonnulli putant duas memorias ejusdem Joannis evangelistæ esse; super qua re cum per ordinem ad Papiam auditorem ejus ventum fuerit, disseremus »; c. 18 vero cur mentionem fecerit alterius Joannis ostendit scribens : « Ex quo apparet in ipso catalogo nominum (apud Papiam sc.) alium esse Joannem qui inter apostolos ponitur, et alium seniorem Joannem, quem post Aristionem enumerat. *Hoc autem diximus propter superiorem opinionem quam a plerisque retulimus traditam, duas posteriores epistolas Joannis non Apostoli esse sed Presbyteri.* » Unde subjectiva illa ratio quam apud Eusebium invenimus, hic etiam apparet, cum hac tamen differentia, quod scil. Hieronymus de Eusebii circa Apocalypseos auctorem sententia sileat, Eusebii vero vagum et dubium testimonium (H. E. III 25, 3) de 2ª et 3ª Joannis epistola, majori jam cum fiducia proponat. Istud autem dubium alibi rejicit, quandoquidem tres Joannis epistolas in canonem recipit, easque Joanni *apostolo* tribuit (1).

Cum *existentiam* duorum sepulchrorum Hieronymus ut factum historicum certum tradat, putarunt quidam eum ex proprio fonte, ab Eusebio independente, hausisse. At nuper Sychowski (2) ostendit Hieronymum quoad locum nostrum c. 9 « ἱστοριαν » Eusebii (H. E. III 39) in *factum* historice certum transmutasse, ita ut « ἔτι νῦν » absque ullo testimonio ab Hieronymo in « *hodie* » evolvatur, verbaque « *etsi nonnulli putant...* » ex verbis Eusebii « καὶ ἑκάτερον Ἰωάννου ἔτι νῦν λέγεσθαι » prave intellectis proveniant. Verbum enim « Ἰωάννης » generali modo usitatum ab Eusebio, de solo apostolo et evangelista intellexerit Hieronymus.

(1) Cfr *Ep. II ad Paulinum*, (p. præc. n.) et *Epist. Evagrio* : Clangat tuba evangelica, filius tonitrui, quem Jesus amavit plurimum : qui de pectore salvatoris doctrinarum fluenta potavit : « Presbyter electæ Domini, etc. » Et in alia epistola : « Presbyter Cajo. »

(2) In erudito opere : *Hieronymus als Litterarhistoriker*, Münster 1894, p. 60 ss. 62, 91, 93, 107. — Cfr etiam Poggel, *o. c.* p. 14 ss. qui insuper explicat quomodo quod c. 9 de II et III Jo. dicitur « Joannis presbyteri asseruntur », c. 18 immerito in hanc valde ex ageratam locutionem mutatum sit : « quam *a plerisque* retulimus traditam » etc.

Nullum igitur hypothesis de Joanne presbytero in variis evolutionis suæ epochis, historicum fundamentum nacta est.

Articulus V. — Joannes in Fragmento Muratoriano.

Auctores quidam inter quos W. Bousset (1) et auctor anonymus (2) existimant Joannem, quarti evangelii auctorem, non apostolum fuisse ex fragmenti muratoriani textu deduci posse. Hunc textum invocant : « quartum evangeliorum Joannes ex discipulis » (Is) cohortantibus condiscipulis et episcopis suis dixit : conjejunate mihi hodie triduo, et quid cuique fuerit revelatum, alterutrum nobis enarremus. Eadem nocte revelatum est Andreæ ex apostolis, ut recognoscentibus cunctis Joannes suo nomine cuncta describeret ». Ex eo nempe quod Joannes « *ex discipulis* », Andreas vero « *ex apostolis* » vocetur, concludunt Joannem non fuisse apostolum. Sed quam parum fundata sit illa deductio, ex ipso fragmenti textu ostenditur (3).

Ita linea 22 « apostolos » cum « discipulis » fragmenti auctor *identificat*, quando ait : « Et ideo, licet varia singulis evangeliorum libris principia doceantur, nihil tamen differt credentium fidei, cum uno ac principali spiritu declarata sint in omnibus omnia de [domini] nativitate, de passione, de resurrectione, *de conversatione cum discipulis suis*, etc. ». Deinde l. 19 « cohortantibus *condiscipulis* (4) et episcopis suis » apostolos (Andream v. g.) evidenter includit, ut verba sequentia « eadem nocte reve-

(1) Bousset, *Apok. Einl.* III, *Th. LZ.* 1897, p. 76.

(2) *The oracles ascribed to Matthew by Papias of Hierapolis.* London, 1894, p. 35 : « The contrast so pointedly drawn between John, one of the disciples and Andrew, one of the Apostles, implies the belief in a John who was a disciple, but not an apostle of sufficient note for the fourth Gospel to be attributed to him, and supports the theory of the separate existence of the Elder ».

(3) Cfr Zahn, *G. N. K.* I, p. 155, n. 1; p. 202, n. 2; p. 203, n. 1; p. 206, n. 2.

(4) Batiffol, *R. B.* 1897, p. 479, scribit : « La leçon *ex discipulis* est suspecte, et la leçon attendue serait *ex apostolis;* mais la leçon *ex discipulis* a pu être produite par le voisinage de *condiscipulis* à la même ligne. » Lectio autem « ex condiscipulis » ex eo necessaria erat, quia inter illos multi discipuli non-apostoli inveniebantur.

latum est Andreæ ex apostolis (1) » satis ostendunt. Hoc duplici exemplo auctorem « discipulos » « apostolis » non opponere satis apparet.

Insuper, fragmenti auctorem de duplici Joanne distinguendo minime sollicitum fuisse, e variis locis concluditur. Ita ll. 48 et 49 « cum ipse beatus apostolus Paulus, sequens prædecessoris sui Joannis ordinem (2) », Joannem absque ulla determinatione appellat, eodemque generali et, juxta ipsum, minime æquivoco modo eum ll. 15, 27, 57, 69 et 71 vocat. Jamvero in his locis non tantum de evangelio sed et de Joannis epistolis et Apocalypsi agit; unde, si duos Joannes cognovisset, auctoremque evangelii ab homonymo distinguere voluisset, eamdem distinctionem pro aliis scriptis indubie repetiisset. Joannem *apostolum* a fragmenti auctore intendi, etiam ex sequentibus verbis l. 26 ss. sequi videtur. « Quid ergo mirum, si Joannes tam constanter singula etiam in epistulis suis proferat, dicens in semetipsum » quæ vidimus oculis nostris et auribus audivimus et manus nostræ palpaverunt, hæc scripsimus vobis. « Sic enim *non solum visorem se et auditorem, sed et scriptorem omnium mirabilium Domini per ordinem* profitetur (3) ». In his enim verbis ille Joannes, quem evangelia tanquam Domini discipulum assiduum depingunt, designari videtur.

Ceterum « *discipuli* » titulus tempore quo fragmentum scriptum fuit, et jam antea frequenter *apostolo* Joanni tribue-

(1) Corssen, *o. c.* p. 104, verba « recognoscentibus cunctis » ita interpretatur : « Andreas wird die Offenbarung zutheil, dass das Evangelium under Revision aller, d. h. nach dem Zusammenhang aller Apostel geschrieben werden soll. Also sämtliche Apostel sind noch am Leben und zusammen vereinigt ».

(2) Zahn, *G. N. K.* I, p. 155, n. 1 et II, p. 54 ulterius ex hoc textu Joannem implicite tanquam apostolum exhiberi tenet.

(3) Zahn, *G. N. K.* I, p. 155, n. 1 insuper in hoc textu rationem tradi putat hujus tituli « discipulus ». Ita scribit : « Warum er (Johannes) aber in seiner Eigenschaft als Evangelist lieber *Jünger* als *Apostel* genamt wird, sieht man l. 22, 29-32. Das Wort *Jünger* im historischen Vollsinn charakterisirt ihn als Einen, der die ganze Geschichte Jesu miterlebt hat, und gibt ihm als evangelischen Geschichtschreiber einen Vorzug vor Marcus und Lucas (l. 1-7), welchen ihm auch der Apostel Paulus nicht hätte streitig machen können, wenn dieser Evangelist geworden wäre ».

batur (1). Ita valentinianus Ptolemaeus, ut textus apud Irenaeum (*adv. H.* I 8, 5) servatus expresse docet, hoc modo apostolum Joannem designabat; ita autem sonat : « Ἔτι τε Ἰωάννην, τὸν μαθητὴν τοῦ Κυρίου, διδάσκουσι τὴν πρώτην ὀγδοάδα μεμηνυκέναι αὐταῖς λέξεσι λέγοντες οὕτως. Ἰωάννης, ὁ μαθητὴς τοῦ Κυρίου, βουλόμενος εἰπεῖν κτλ ». Aliunde tamen (Epiph. *Hær.* 33, 3) novimus Ptolemæum quartum evangelistam etiam « apostolum » vocasse (2). Irenæus ipse generatim eamdem appellationem Joanni apostolo tribuit (3), ut et Hippolytus quandoque (4).

Immerito igitur hic fragmenti muratoriani textus ad duplicis Joannis distinctionem fundandam invocatur.

Articulus VI. — Joannes Presbyter apud Papiam (5).

Ex præcedentibus articulis patet fragmentum Papianum (Eus. *H. E.* III 39) unicum in universa priorum sæculorum litteratura esse textum, qui hypothesi, duos in primæva Asiæ ecclesia fuisse Joannes, aliquatenus favere videatur.

(1) Cfr Zahn, *G. N. K. ll. cc.*

(2) Alia exempla vide ap. Zahn, *Einl.* II, p. 460, n, 8.

(3) Cfr Ir. *adv. H.* II, 22, 5 (v supra, p. 39 ss.); III, 1, 7 : ὁ Ἰωάννης ὁ μαθητὴς τοῦ Κυρίου ὁ καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ ἀναπεσών, καὶ αὐτὸς ἐξέδωκε τὸ εὐαγγέλιον, ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας διατρίβων »; quo in textu ad modum ipsum quo evangelista seipsum in evangelio designat (cfr *Jo.* 13, 23, 25; 19, 26 s.) Irenæus alludere videtur, III 3, 4; IV 20, 11; V 26, 1 etc. Epist. ad Vict. (Eus. *H. E.* V, 24 : ἅτε μετὰ Ἰωάννου τοῦ μαθητοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, καὶ τῶν λοιπῶν ἀποστόλιον. In opusculo nostro *S. Irénée et le Canon du N. T.* p. 109 ss. ostendimus immerito Zahn ex hac appellatione deducere Irenæum apostoli titulo non insistere.

(4) Zahn, *G. N. K.* I, p. 203, n. 1. — Hipp. *de Antichr.* ed. Lagarde, p. 17 : Μακάριε Ἰωάννη, ἀπόστολε καὶ μαθητὰ τοῦ Κυρίου.

(5) Quoad bibliographiam hujus quæstionis, conferri possunt : Holtzmann, *Einl.*, p. 94 ss. — Poggel, *o. c.* p. 29 ss. (qui varias interpretationes fragmenti clara methodo proponit). Præter multa opera apud illos auctores citata, speciali modo insuper adhibuimus : Abbott, *The Expositor* 1895, I, p. 333 ss. — Harnack, *Chron. ACL.* I, p. 659 ss. — Bousset, *Die Apokalypse*, p. 37 ss. — Opus anonymum, *The Oracles ascribed to Matthew by Papias of Hierapolis*, London 1894. — Reliqua scripta adhibita in decursu tractationis citabimus.

Prae magno quod huic fragmento adhæret momento, innumera de eo scripta edita sunt; multæ eæque diversissimæ propositæ fuerunt sententiæ, ita ut illud procœmium « tam obscurum quia toties inspectum » iterum analysi subjicere aliquatenus pigeat. Attamen, ex una parte faciliorem nobis hanc tractationem reddidit jam H. Poggel (1), cujus interpretationem, paucis omnino exceptis, amplectimur. Ex alia parte, recentiores critici ut Harnack, Bousset, Haussleiter, Anonymus anglus etc. (quorum novissima scripta Poggel adhibere non potuit), nova partim vel etiam penitus inedita ad asperrimam hanc quæstionem solvendam attulerunt argumenta; unde recentiorum præsertim operum illorum rationem habentes, principaliora quædam puncta examinanda suscipimus. Quæ inquisitio insuper sequenti de S. Irenæi testimonio capiti viam quadamtenus sternet.

Οὐκ ὀκνήσω δὲ σοι καὶ ὅσα ποτὲ παρὰ τῶν πρεσβυτέρων καλῶς ἔμαθον καὶ καλῶς ἐμνημόνευσα, συγκατατάξαι ταῖς ἑρμενείαις, διαβεβαιούμενος ὑπερ αὐτῶν ἀλήθειαν. Οὐ γὰρ τοῖς τὰ πολλὰ λέγουσιν ἔχαιρον ὥσπερ οἱ πόλλοί, ἀλλὰ τοῖς τἀληθῆ διδάσκουσιν, οὐδὲ τοῖς τὰς ἀλλοτρίας ἐντολὰς μνημονεύουσιν, ἀλλὰ τοῖς τὰς παρὰ τοῦ Κυρίου τῇ πίστει δεδομένας καὶ ἀπ' αὐτῆς παραγινομένας (2) τῆς ἀληθείας. Εἰ δὲ που καὶ παρηκολουθηκώς τις τοῖς πρεσβυτέροις ἔλθοι, τοὺς τῶν πρεσβυτέρων ἀνέκρινον λόγους· τί Ἀνδρέας ἢ τί Πέτρος εἶπεν ἢ τι Φίλιππος ἢ τί Θωμᾶς ἢ Ἰάκωβος ἢ τί Ἰωάννης ἢ Ματθαῖος ἢ τις ἕτερος τῶν τοῦ Κυρίου μαθητῶν, ἅτε Ἀριστίων καὶ ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης οἱ τοῦ Κυρίου μαθηταί λέγουσιν (3).

(1) In opere jam sæpius laudato : *Der zweite und der dritte Brief des Apostels Johannes*, Paderborn 1896, p. 27 ss.

(2) Cfr edit : Eus. H. E. Hugonis Laemmer, Scaphusiæ 1859, p. 286 : παραγινομένοις Ea G H J O S — παραγινομένας cæteri (multo numerosiores).

(3 Subjungimus versionem latinam ab H. Laemmer (*o. c.* p. 236) editam : « Nec pigebit » inquit « ea quæ quondam a senioribus didici ac memoriæ mandavi, cum interpretationibus nostris adscribere ut veritas eorum nostra quoque assertione firmetur. Non enim, ut plerique solent, eos unquam sectatus sum qui verbis affluerent, sed eos potius qui verum docerent : nec eos qui nova quædam et inusitata præcepta memorabant, sed illos qui mandata a Domino et ab ipsa veritate fidei tradita subministrabant. Quod si quis interdum mihi occurrebat qui cum senioribus versatus fuisset, ex eo curiose sciscitabar quænam essent seniorum dicta :

Quæstiones cum joannea quæstione directe connexæ (1) phrasin respiciunt : « εἰ δὲ που καὶ παρηκολουθηκώς... λέγουσιν ».
Huc redeunt : I. Quinam in fragmento nomine « πρεσβυτέρων » veniunt?

II. An duo diversi Joannes in fragmento nominantur?

III. Quid circa novam hypothesin ab Haussleiter propositam, textum scil. Papiæ fuisse interpolatum, dicendum videtur?

§ I. — *Quinam in fragmento nomine « πρεσβυτέρων » veniant?*

Ante omnia ex ipso fragmenti textu statuendum est quinam sint illi *presbyteri*, ita ut contra omnes sanæ criticæ artis regulas peccaret, qui praeconceptam quamvis ideam in proœmium illud inferre vellet (2). Unde omnibus quæ in ipso fragmento habentur indiciis, uti necesse est ad significationem illius vocis determinandam.

Imprimis igitur animadvertendum est, Papiam investigationes suas circa logia Domini tam alte retro duxisse quam tunc tem-

quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Matthæus, quid cæteri Domini discipuli dicere soliti essent : quidnam Aristion et Joannes presbyter, discipuli Domini prædicarent. »

(1) HARNACK, *Chron. ACL.* I, p. 659 : « Nach der einleuchtendsten Interpretation der schwierigen Stelle sagt Papias seinem Freunde dass er zu seinen eigenen Hermeneien der Herrnsprüche alles das an seiner Stelle hinzugefügt habe, was er einst von den Presbytern (gemeind sind, s. Irenäus, die Presbyter die noch mit Aposteln zusammengetroffen sind) wohl gelernt und wohl behalten habe; doch habe er sich damit nicht begnügt, vielmehr auch das aufgezeichnet und seinem Werke einverleibt, was (einst) andere Schüler (παρηκολουθηκότες) der Presbyter als Referate der Presbyter über Herrnschülerworte ihm mitgetheilt hätten; so sei er zu Ueberlieferungen von Andreas, Petrus, Philippus, Thomas, Jacobus, Johannes, Matthäus und von anderen Herrnschülern gekommen, dazu auch zu solchen von Aristion und dem Presbyter Johannes, den Herrnschülern; solche mündliche Mittheilungen seien ihm werthvoller (nützlicher) erschienen als Bücher. »

(2) Unde non immorandum theoriæ omnino improbabili quæ tenet nomine « presbyterorum » *formaliter* designari « Gemeindeälteste », « Kirchenhäupter », (WEIFFENBACH, *Das Papiasfragment*, Giessen 1877).

poris adhuc possibile erat; quod elucet ex verbis : « οὐδὲ τοῖς τὰς ἀλλοτρίας ἐντολὰς μνημονεύουσιν, ἀλλὰ τοῖς τὰς παρὰ τοῦ Κυρίου τῇ πίστει δεδομένας καὶ ἀπ' αὐτῆς παραγινομένας τῆς ἀληθείας ». Præterea investigationes illas Papias non fecit eo ipso tempore quo opus suum edidit : tempus enim sat longum inquisitionem inter et publicationem effluxisse e pluribus verbis eruere fas est : « ὅσα ποτὲ παρὰ τῶν πρεσβυτέρων καλῶς ἔμαθον καὶ καλῶς ἐμνημόνευσα... ἔχαιρον... ἦλθοι... ἀνέκρινον ». Respectu temporis quo investigationes fecit, ætas qua παρηκολουθήκοτες presbyteros frequentati erant, tanquam jam diu elapsa designatur, ita ut mediate tantum τῶν πρεσβυτέρων λόγους cognoscere potuerit; non quidem quatenus εἶπεν necessario omnium presbyterorum mortem involvat, sed quatenus potius *anteacto tempore* eos interrogabat Papias. De tempore autem quo Papias συγγράμματα πέντε ἃ καὶ ἐπιγέγραπται λογίων κυριακῶν ἐξηγήσεις scripsit, non conveniunt auctores, neque omnimoda certitudo obtineri potest (1). At, cum sat longum tempus inquisitionem inter et publicationem effluxerit et ex alia parte juxta Irenæum (*adv. H.* V 33, 4) Papias « Ἰωάννου μὲν ἀκουστής, Πολυκάρπου δὲ ἑταῖρος » fuerit et « ἀρχαῖος ἀνὴρ » vocetur, cum juxta Eusebium (*H. E.* III 39) Philippi filias in Hierapoli cognoverit, nativitas ejus circa a. 70-80 ponenda esse videtur (2). Unde epocha, in qua ab iis qui cum presbyteris versati erant didicit, probabiliter circa a. 90-100 ponenda apparet.

(1) Cfr Holtzmann, *Einl.*, p. 94. — Harnack, *Chron. ACL.* I, p. 56 ss. qui tenet tempus scriptionis non pressius quam a. 140 (145)-160 determinari posse. — Auctor anonymus operis : *The Oracles ascribed to Matthew* etc., p. 31 e contra hæc scribit : « We arrive therefore at the conclusion that the work of Papias must have been written not earlier than about a. D. 80, or later than about a. D. 98; but that about a. D. 90 would seem to be its most probable date. » Casu quo hæc conclusio staret, a fortiori improbabilis omnino evaderet sententia ab Harnack proposita. — Quoad fragmentum a De Boor publici juris factum (*T. U.* V. 2, p. 170 et 176), animadvertit Harnack, *Chron. ACL* I, p 357 : « Ein grund, diesen Worten, die uns aus Papias' Werk durch ein Excerpt aus Philippus von Sidetes überliefert sind zu misstrauen, liegt nicht vor. » Agitur nempe de verbis (Παπίας ὁ εἰρημενος ἱστορεῖ)... περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ ἐκ νεκρῶν ἀναστάντων ὅτι ἕως Ἀδριανοῦ ἔξῶν; quæ verba si authentica sint, Papias revera non ante a. 140 scripserit.

(2) Quidam auctores ut Lightfoot (*Cont. R.* August 1875) — et Anonymus

Unde jam ex hoc capite parum probabilis videtur opinio A. Harnack et aliorum, qui nomine *presbyterorum* tales tantum intelligi volunt « qui cum apostolis conversati erant ». Nam Papias in hoc casu tantum interrogasset *tales christianos qui cum apostolorum (vel Domini discipulorum) discipulis conversati fuerant*. Jam vero an ille investigationis modus circa a. 100 in ipsa Asia ubi Paulus evangelium prædicavit, ubi Joannes (sive apostolus sive discipulus Domini) tamdiu vixit, tanquam notatu dignus exhibendus est? Ab illo quidem qui narrationem a Philippi filiabus se accepisse refert, et Aristionis et Joannis presbyteri, discipulorum Domini, se auditorem dicit (*Eus. H. E.* III, 39)? Non putamus, cum Papias secundæ generationis christianæ vir, in hoc casu a discipulis ex *tertia* generatione didicisset. Dein vel solum verbum ποτὲ discipulos presbyterorum ad præcedentem generationem pertinere, innuere videtur; ceterum, hanc interpretationem Eusebius ipse, qui opus Papiæ præ manibus habebat, expressis verbis damnat initio c. 39 :

« Αὐτός γε μὴν ὁ Παπίας κατὰ τὸ προοίμιον τῶν αὑτοῦ λόγων ἀκροατὴν μὲν καὶ αὐτόπτην οὐδαμῶς ἑαυτὸν γενέσθαι τῶν ἱερῶν ἀποστόλων ἐμφαίνει, παρειληφέναι δὲ τὰ τῆς πίστεως παρὰ τῶν ἐκείνοις γνωρίμων διδάσκει », et infra « Καὶ ὁ νῦν δὲ ἡμῖν δηλούμενος Παπίας, τοὺς μὲν τῶν ἀποστόλων λόγους παρὰ τῶν αὐτοις παρηκολουθηκότων ὁμολογεῖ παρειληφέναι ». Putat A. Harnack Eusebium ab illa « contradictione » (1) excusari posse, cum non de significatione vocis *presbyteri*, sed unice de relatione Papiæ erga apostolum Joannem determinanda sollicitus erat. At, an recta proœmii intelligentia ad relationem illam dijudicandam

anglus jam citatus, adhuc epocham apostolorum ætati viciniorem indicant. LIGHTFOOT l. c. « Papias was probably born about A. D. 60-70. » — POGGEL nativitatem ante a. 70, inquisitionisque initium a. 90-95 ponit (*o. c.* p. 49). — H. BOESE, *Die Glaubwürdigkeit unserer Evangelien*, 1895, p. 64. « Sonach muss Papias um 70 n. Chr., vielleicht schon um 60, geboren sein. »

(1) Quæ apud Eusebium, in Harnackii saltem sententia, obtinet. Cfr HARNACK, *o. c.* p. 659, n. 2 : « In Bezug auf « Apostel » « Presbyter » bei Papias hat Eusebius das, was die Vorrede bietet, nicht ganz correct, resp. mit einem Widerspruch behaftet, wiedergegeben (s. 87). Aber die Nachlässigkeit ist verzeihlich, da es dem Eusebius auf diesen Punkt nicht ankam, sondern nur auf das angebliche Verhältniss des Papias zum Apostel Johannes. »

non maxime conferre debebat? Quod cæteroqui ipse Eusebius perspexisse videtur, cum ope ipsorum verborum procemii, sententiæ Irenæi Papiam Joannis *apostoli* discipulum statuenti, contradicere conatus fuerit. Unde non videmus quonam jure recta termini « πρεσβυτέρων » intelligentia Eusebio denegari possit.

Eusebius igitur nomine « πρεσβυτέρων » saltem « apostolos » designari persuasum habebat. Attamen, cum Joannem « presbyterum » in fine fragmenti citatum, ab apostolo distinxerit, verba « παρὰ τῶν πρεσβυτέρων » (in initio) ita intellexit quasi exclusive de *mediata* communicatione ageretur, nullumque presbyterum i. e. apostolum, Papias directe cognoverit. Sed præterquam quod « μανθάνειν παρά τινος » semper et ubique *de personali et immediato discipulatu* (1) audiendum est, ipse etiam Eusebius paulo infra ait expresse : Papiam « Aristionis et Joannis *presbyteri* auditorem se dixisse », quod sequentibus verbis confirmat : « Ὀνομαστὶ γοῦν πολλάκις αὐτῶν μνημονεύσας, ἐν τοῖς αὐτοῦ συγγράμμασι τίθησιν αὐτῶν παραδόσεις »; et infra rursus : « Καὶ ἄλλας δὲ τῇ ἑαυτοῦ γραφῇ παραδίδωσιν Ἀριστίωνος τοῦ πρόσθεν δεδηλωμένου τῶν τοῦ κυρίου λόγων διηγήσεις καὶ τοῦ πρεσβυτέρου Ἰωάννου παραδόσεις. » Ibi autem duo textus Eusebium Papiæ opus legisse non obscure indicant. Unde generalis ejus affirmatio : « Αὐτός γε μὴν ὁ Παπίας κατὰ τὸ προοίμιον τῶν αὐτοῦ λόγων, ἀκροατὴν μὲν καὶ αὐτόπτην οὐδαμῶς ἑαυτὸν γενέσθαι τῶν ἱερῶν ἀποστόλων » *quæ in procemii interpretatione fundatur*, et intelligendo « παρὰ τῶν πρ. » de *indirecto* discipulatu obtinetur; — hæc generalis affirmatio saltem quoad « *presbyterum* » Joannem (et Aristionem) cum ipsius operis Papiani testimonio *de facto* parum congruit. Etenim, Papias in operis decursu vocem « presbyterum » eodem sensu adhibuerit ac in procemio, cum in ipso procemio quæ traditurus sit, se a « *presbyteris* » accepisse proclamet, atque in hunc auctoritativum fontem opus suum refundat. Concludimus igitur « presbyterum » Joannem cujus traditiones Eusebius in opere Papiæ obviam habuit, quique in fine procemii enumeratur, etiam procemii initio inter « presbyteros » connumerari. Præterea Eusebii interpretatio de *mediato* tantum

(1) Cfr. Zahn *St. Kr.* 1866, p. 659 cui fere omnes auctores accedunt.

commercio quod cum Apostolis habuerit Papias, discrepat a sententia ipsius Eusebii, ubi non jam interpretem ut hic sed historicum agens (v. infra), Papiam Joannis *apostoli* auditorem vocat; discrepat pariter a mente aliorum scriptorum qui, ut Andreas Cæsareæ, Maximus confessor et præsertim S. Irenæus, ipsum Papiæ opus legerunt, auctoremque tamen Joannis *apostoli* discipulum dixerunt.

A. Harnack voces « παρά τῶν πρεσβυτέρων » in proœmio juxta significationem quam ex Irenæi de « presbyteris » testificationibus obtinuit (1), interpretandas arbitratur (2). Examen illarum citationum certe non est despiciendum (3). At cur Eusebii, qui Papiæ opus cognovit, interpretatio quasi a priori repudianda? Cur ante omnia non ipse fragmenti textus foret inspiciendus?

Putamus enim talia in textu illo reperiri indicia, quæ ad quæstionis solutionem sufficere possint.

Etenim interpretatio magis obvia et grammaticæ regulis adaptata postulat, ut verba « τί Ἀνδρέας... ἢ τις ἕτερος τῶν τοῦ Κυρίου μαθητῶν » tanquam explicativa circumlocutio vocis λόγους accipiantur (4) : adeoque juxta hanc magis naturalem syntaxin οἱ πρεσβύτεροι intelligendi sunt tum Apostoli, tum discipuli Domini immediati.

Totus præterea contextus huic interpretationi favet. Etenim ait Papias : « Si quis interdum mihi occurrebat qui cum presbyteris versatus erat, presbyterorum dicta sciscitabar : quid Andreas quid Petrus... dicerent... ». Omnino naturale et obvium est nomina statim adducta, tanquam nomina presbyterorum, de quibus immediate antea sermo fiebat, interpretari. Papias, presbyterorum *dicta* (λόγους) inquirens, petit (nam quæstiones evidenter a Papia positae supponuntur) quid *dicerent* (εἴπεν...

(1) *Chron. ACL.* I, p. 333, n, 2 — p. 340.

(2) *Chron ACL.* I, p. 660, n. 1 : « Ausserdem wissen wir durch Irenäus, wer die Presbyter des Papias sind »; et p. 661 : « Die Presbyter » sind bei Papias, wie wir aus seinen von Irenäus repetirten formelhaften Wendungen entnehmen können, die kleinasiatischen Apostelschüler, die eine autoritative Gruppe bilden. »

(3) Idcirco eas postea examinabimus, de Irenæi testimonio verba facientes.

(4) Ita Poggel, *o. c.* p. 37, post Weizsæcker, Zahn, Riggenbach, Steitz, Keim, Krenkel, Leuschner.

λέγουσιν) Petrus etc... Textui revera vis inferri debet si Petrus, Andreas etc. non sunt presbyteri quorum dicta inquirebat. Objectum quæstionis erat : « quid dicebat Petrus? » Jam vero si, ut Harnack putat, presbyterorum nomine *discipulorum apostolorum cœtus asiaticus* intelligendus venit, an illis indiscriminatim tales posuisset Papias quæstiones? Unde et ex hoc capite explicatio Harnackii nobis nimis contorta videtur : « Papias habe seinem Werke einverleibt was (einst) *andere Schüler der Presbyter als Referate der Presbyter über Herrnschülerworte* mitgetheilt hätten ». Ceterum, secunda fragmenti phrasis interpretationi nostræ egregie favere videtur, cum in verbis « ἀλλὰ (καὶ) τοῖς τὰς παρὰ τοῦ Κυρίου τῇ πίστει δεδομένας καὶ ἀπ αὐτῆς παραγινομένας (1) τῆς ἀληθείας, » Dominus ipse nomine « αὐτῆς τῆς ἀληθείας » designetur. — Presbyteri igitur Domini discipuli fuerint.

Deinde etiam arguimus ex membro « ἤ τις ἕτερος τῶν τοῦ Κυρίου μαθητῶν ἅτε Ἀριστίων καὶ ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης, οἱ τοῦ Κυρίου μαθηταί, λέγουσιν ». Nam jure merito Poggel (p. 49) « τις » ut pronomen indefinitum (2), Steitz *(St. Kr.* 186-8 p. 77 ss.) pericopam ἅτε... λέγουσιν tamquam indirectam interrogationem a verbis τοὺς τῶν πρεσβυτέρων ἀνέκρινον λόγους dependentem, verbis autem τί Ἀνδρέας κτλ coordinatam, interpretari ducimus.

Harnack *(Chron. ACL.* I, p. 660, n. 2) non ut probabile ducit pericopam ἅτε Ἀριστίων κτλ quoad sensum verbis πρεσβυτέρων λογους subordinatam esse, uti pericopam τί Ἀνδρέας κτλ; sed eis parallelam esse autumat.

(1) Si lectio παραγινομένοις accipiatur, tunc ipsi presbyteri a veritate egressi dicuntur (cfr *Jo.* 18, 37). Sed quemadmodum Zahn ait *(G. N. K.* I, p. 852 n. 1) l. παραγινομένας ex una parte in pluribus mss. græcis invenitur, et pro se Rufini habet auctoritatem *(qui domini mandata memorabant, ab ipsa veritate suscepta)*, et ex alia parte l. παραγινομένοις tanquam grammatice impossibilis est rejicienda.

(2) Cornely, *Introd. Spec.*, t. III, p. 213 et pronomen interrogativum habet et construit ἤ τίς ἕτερος τῶν Κυρίου μαθητῶν (τὰ αὐτὰ εἶπεν) ἅτε... λέγουσιν. Juxta hanc interpretationem Joannes ὁ πρ. cum apostolo identificatur, et presbyteri sunt soli Apostoli. Sed hæc explicatio tum grammaticæ regulis, tum contextui repugnat.

At iterum, talis constructio non naturalis sed contorta apparet, pluraque suppleri postulat, cum nimis tunc hoc alterum objectum a verbo ἀνέκρινον distare videatur (1). Neque eo modo fragmentum Papiæ apud Eusebium Rufinus interpretatus est, qui in versione sua « presbyteros » apostolos intellexit, et duo enumerationis membra tanquam parallela et verborum « τούς τῶν πρεσβυτέρων λόγους » interpretativa habuit : « Quodsi quando advenisset aliquis ex his qui secuti sunt *apostolos*, ab ipso sedulo expiscabar quid Andreas, quid Petrus dixerit... vel alius quis ex discipulis Domini, *quæve* Aristion vel Joannes presbyter discipuli dicebant » (2).

Juxta hanc igitur interpretationem, « presbyteri » in fragmento intelliguntur tum apostoli, tum immediati discipuli Domini : ab his Papias adhuc juvenis edoctus fuerat (probabiliter a *presbytero* Joanne et a discipulo Aristione — quod Eusebius confirmat); postea presbyterorum dicta eorum παρηκολουθηκότες ei referebant.

Putant plures auctores inter quos Cornely et Harnack (*ll. cc.*), Papiam inter apostolos, seu strictiori sensu discipulos, et inter discipulos sensu latiore distinxisse (3). — Talem vero distinctionem ut parum fundatam, imo ut in ipso textu repudiatam habemus.

Nam ex una parte « presbyteri » Andreas, Petrus etc., ut

(1) Zahn, *Einl.* II, p 217 n. 13. « In anderer Weise gibt dasselbe Verständnis der syrische Ubersetzer wieder (ed. Bedjan, 1897), dessen Arbeit offenbar schon von Ephraim gelesen wurde und uns in einer Hs. von 411 erhalten ist : « Ich erforschte die Worte der Presbyter, des Andreas, was er sagte, oder des Pt, was er sagte, oder was Philippus, oder was Thomas, oder was Jaoobus, oder was Johannes, oder (« was » fehlt in einer Hs.) Matthaeus oder einer von den anderen Jüngern des Herrn, oder was Ariston (sic), oder Johannes der Presbyter (om. λέγουσιν). »

(2) Ad parallelismum duorum membrorum « τὶ Ἀνδρέας κτλ et ἅτε Ἀριστίων κτλ » probandum plura adsunt indicia : in utroque enim membro idem verbum adhibetur ; utrobique subjecta sunt discipuli Domini ; utrumque demum membrum incipit pronomine, prius quidem pronomine interrogativo, alterum vero pronomine relativo : hoc autem pronominis interrogativi vices gerere posse (præsertim in indirectis interrogationibus), nemo ignorat.

(3) Cfr etiam Luthardt, *Der Johanneische Ursprung*, p. 111 ss.

« discipuli » designari videntur, cum post illorum enumerationem dicat auctor « ἤ τις ἕτερος τῶν τοῦ Κυρίου μαθητῶν » : ex coordinatione hujus pericopæ cum præcedentibus τί Ἀνδρέας ἤ τί Πέτρος etc. et ex vocibus ἕτερος et τῶν patet, presbyteros statim antea revera ut μαθηταί designari. Idem præcise titulus dein Aristioni et Joanni presbytero applicatur : quonam autem jure dici potest in tam brevi contextu voces « οἱ τοῦ Κυρίου μαθηταί » duplici diverso sensu adhiberi? Sequens tamen ratio ab Harnack allegatur : « Cum autem, septem apostolis nominatim citatis, adhuc verba « ἤ τις ἕτερος τῶν τοῦ Κυρίου μαθητῶν » adjiciat, et nihilominus deinde (und dann trotzdem) alteram discipulorum Domini classem nominet, clarum est in priore apostolos tantum, seu discipulos Domini stricte dictos computari » (1).

Libenter quidem concedimus, in priore pericopa tales tantum computari, qui immediati Domini discipuli fuerunt seu Dominum ipsum viderunt, sive fuerint apostoli, sive alii discipuli (ἤ τις ἕτερος κτλ). Sed exinde sequi alios discipulos enumeratos, Aristionem et Joannem, non fuisse stricto sensu οἱ τοῦ Κυρίου μαθηταί, omnino negandum putamus, quatenus scil. hoc ex fragmenti textu non sequitur.

Nam undenam antithesis desumitur?

Sane non ex voce : « οἱ τοῦ Κυρίου μαθηταί », cum et ipsi apostoli hoc titulo condecorentur, ut jam diximus, et ex verbis « ἤ τις ἕτερος τῶν τοῦ Κυρίου μαθητῶν » patet. Præterea articulus in utroque casu usitatus (ἤ τις ἕτερος τῶν τοῦ Κυρίου μαθητῶν... οἱ τοῦ Κυρίου μαθηταί) de determinatis et notis Domini discipulis agi innuit, de iis nempe de quibus in membro præcedente eos ab ipso Domino fidei præcepta accepisse affirmatur.

Neque ex voce « πρεσβύτερος » (2). Nam Papiam hoc nomine etiam apostolos (præter alios discipulos) intellexisse, ex fragmento et ipsa explicita Eusebii testificatione apparet. Etenim Apostolorum enumeratio « τί Ἀνδρέας... ἤ Ματθαῖος » quodam-

(1) *Chron. ACL.* I, p. 660. Non tamen negat Harnack hos alios discipulos ullam cum Domino relationem habuisse, sed eos proprie dictos discipulos fuisse inficit.

(2) Nisi supponatur quod est in quæstione.

modo recapitulatur in verbis « ἢ τις ἕτερος τῶν τοῦ Κυρίου μαθητῶν ». Explicite igitur Apostoli « discipuli » titulo designantur. Jam vero mirum est, in secunda discipulorum enumeratione, Joannem hoc titulo quo etiam apostoli designantur condecorari. Duplicem autem sensum in tam brevi textu huic præcise termino, in quo totum credibilitatis probandæ momentum jacet, Papiam tribuere haud facile concedimus (1).

Neque ex eo solum quod priori discipulorum classi alia juxtaponatur : cum rationem quamdam hujus alterius mentionis Papias habere potuerit. Talem autem rationem de facto apud Papiam admitti posse et debere, in sequenti paragrapho videbimus. Interim ex præcedenti disquisitione hæc conclusio teneatur : postulat sensus obvius verborum simul ac naturalis idearum connexio, ut omnes personæ quarum nomina in fragmento occurrunt, « πρεσβύτεροι » atque proprio sensu « τοῦ Κυρίου μαθηταί » dicantur.

* * *

Incompletum tamen hoc præcedens examen foret, nisi ope fragmentorum ex Papiæ opere servatorum, ac eorum auctorum studio, qui, ut S. Irenæus et Eusebius, Papiæ libro usi sunt, ulteriorem procemii elucidationem prosequeremur (2).

Ab Eusebio incipiamus. Supra (p. 68) vidimus Eusebio ita persuasum fuisse Apostolos nomine τῶν πρεσβυτέρων designari,

(1) H. Holtzmann, *Th. LZ.* 1897, p. 355 etiam duplicem illum sensum diversum improbabilem dicit. — Cfr Zahn, *Einl.* II, p. 205 : « Papias nennt auch den Andreas und den Petrus nicht Apostel, weil das, wofür sie ihm von Bedeutung sind, nämlich die Verbürgerung evangelischer Tradition durch Ohren- und Augenzeugen, mit dem Apostelamt nichts zu schaffen hat.... Vom Standpunkt des Forschers nach glaubwürdiger Tradition über Jesus bezeichnet er die Ohren- und Augenzeugen der ev. Geschichte ohne Unterscheidung zwischen Aposteln und Nichtaposteln passenderweise nach ihrem Verhältnis zu Jesu als μαθηταὶ τοῦ Κυρίου, nach ihrem Verhältnis zu ihm selbst und der Generation, welcher er angehört, als πρεσβύτεροι. »

(2) Cfr Lightfoot, *Cont. R.* 1875, August, October. — A. Harnack, *Chron. A CL.* I, p. 333 ss. n. p. 660 ss. — Abbott, *Exp.* May 1895. — Labourt, *R. B.* 1898, p. 68 ss.

ut utrosque *identificaverit*, cum post citatum proœmii textum : Papiam « τῶν ἀποστόλων λόγους παρὰ τῶν αὐτοῖς παρηκολουθηκότων » referre affirmet. Citationes autem quas ex Papiæ opere desumptas refert Eusebius, hanc sententiam confirmare videntur. Ita III 39 scribit : Papiam referre mirabilem narrationem *se a Philippi (apostoli*, ut ex immediate præcedentibus patet) *filiabus* accepisse : « διήγησιν παρειληφέναι θαυμασίαν ὑπὸ τῶν τοῦ Φιλίππου θυγατέρων μνημονεύει. Et paulo infra de Papia : Ἃ καὶ ἡγοῦμαι τὰς ἀποστολικὰς παρεκδεξάμενον διηγήσεις ὑπολαβεῖν. Refert Aristionis τῶν τοῦ Κυρίου λόγων διηγήσεις, καὶ τοῦ πρεσβυτέρου Ἰωάννου παράδοσεις. Dein in libro suo scribit : Καὶ τοῦτο ὁ πρεσβύτερος ἔλεγε· Μάρκος μεν... Unde hîc exempla habentur directæ et indirectæ relationis seu connexionis, quæ Papiam inter ac apostolos discipulosque Domini intercedebat (1).

* * *

Quoad presbyteros apud S. Irenæum vero quæstio est difficilis et intricata. Modus enim quo « presbyterorum » auctoritatem invocat, paucis locis exceptis, obscurus est et plerumque satis vagus, ita ut pluribus in casibus impossibile sit statuere *quinam* præcise citentur. Nam, ut ait Harnack *(Chron. ACL.* p. 333 n.), præter Polycarpum et Papiam, nomina non adducuntur illorum presbyterorum, neque locus indicatur in quo prædicarunt, etsi Asia et Gallia cogitandæ veniant ; — neque eorum numerus statuitur, et si quis citatur, impossibile est determinare de quonam agatur. — Eodem modo presbyterorum prædecessores apostoli (discipuli Domini) generali modo citantur, solo Joanne excepto, præter quem nullum invocare potuisset.

Quidnam igitur circa hos Irenæi fontes statuendum videtur? Hæc est conclusio, ad quam A. Harnack, qui minutum circa hoc punctum instituit examen, devenit *(Chron. ACL.* I, p. 340 n.) :

(1) Nullibi certe formula ab Harnack proposita verificatur : « ...vielmehr habe er auch das aufgezeichnet und seinem Werke einverleibt, was (einst) andere Schüler der Presbyter als Referate der Presbyter über Herrnschülerworte ihm mitgetheilt hätten. »

1° Cuidam qui « κρείσσων » vel « superior » vocatur tribuit Præf. I, 1; I, 13, 3; III, 17, 4; III, 23, 3. — Utrum « superior » ille identicus sit cum eo a quo Irenæus accepit ea quæ IV, 41, 1; IV, 4, 2; V, 17, 4 refert, incertum est. — Neutrum tanquam qui cum apostolis conversatus sit, exhibet Irenæus, quam connexionem neque de illo « presbytero » affirmat, qui juxta I, 15, 6 contra Marcosios scripserat.

2° IV, c. 27-c. 32 septem adducit citationes a « presbytero » desumptas, quem ipse Irenæus audiverat, quique discipulus apostolorum discipulorum fuerat, et contra Marcionem prædicaverat.

3° In II, 22, 5; V, 5, 1; V, 30, 1; V, 33, 3; V, 36, 1 opere Papiæ usus est, adeo quidem ut ipsæ formulæ quibus introducuntur : « (πρεσβύτεροι) οἱ Ἰωάννῃ τῷ τοῦ κυρίου μαθητῇ συμβεβληκότες vel τῶν ἀποστόλων μαθηταί vel οἱ κατ' ὄψιν τὸν Ἰωάννην ἑωρακότες *qui Joannem discipulum Domini viderunt et audierunt ab eo* » ex ipso Papiæ opere desumptæ sint. — A Papia etiam mutuata est locutio quæ bis apud Irenæum occurrit II, 22, 5 et III, 3, 4 : Ἰωάννης παρέμεινε αὐτοῖς μέχρι τῶν Τραϊανου χρόνων.

Non omnia quæ has conclusiones respiciunt in præsenti articulo tractabimus : plura enim puncta in articulo de ipsius Irenæi testimonio examinabimus : pro momento loca in secunda et tertia conclusione allegata examini subjiciemus, omnibus præcipue iis elementis attendentes quæ ad hanc conclusionem probandam conducere possunt : *utrum nempe formulæ introductoriæ ex ipso et solo Papiæ opere excerptæ fuerint.*

I. A secunda citationum serie (IV c. 27-c. 32) incipimus : his adducuntur formulis :

1) IV, 27, 1 : *Quemadmodum audivi a quodam presbytero, qui audierat ab his qui apostolos viderant et ab his qui didicerant.*
2) *Ibid.* : *Sicut dixit presbyter.*
3) 27, 2 : *Inquit ille senior.*
4) 28, 1 : *Ostendebant presbyteri* (1).

(1) Jure Harnack scribendum esse putat : « *Ostendebat presbyter.* »

5) 30, 1 : *Sicut et presbyter dicebat.*
6) 31, 1 : *Talia quædam enarrans de antiquis presbyter, reficiebat nos et dicebat.*
7) 32, 1 : *Hujusmodi quoque de duobus testamentis senior Apostolorum discipulus disputabat, ab uno quidem et eodem Deo utraque esse ostendens.*

Propter formulam sub nº 1 adductam, Harnack non de Polycarpo, sed de viro quodam tertiæ generationis christianæ agi autumat. Putat enim textum incertum esse et uti nunc jacet omnino improbabilem ; sequentem vero proponit restitutionem : « *Quemadmodum audivi a quodam presbytero, qui audierat ab his qui apostolos viderant et ab his qui ab his didicerant* », juxta probabilem originalem græcam lectionem : παρὰ τῶν τοὺς ἀποστόλους ἑωρακότων καὶ παρὰ τῶν ὑπ' αὐτῶν μαθητευθέντων. Hanc tamen restitutionem sicut et conclusionem ex ea deductam valde incertam, imo opposita sententia multo minus probabilem censemus.

Nam, imprimis, cur locutio « *senior apostolorum discipulus* » sensu stricto, scil. de viro secundæ generationis, intelligi non posset? Ut ipse Harnack dicit, ad hunc presbyterum Eusebius alludit H. E. V, 8 : « καὶ ἀπομνημονευμάτων δὲ ἀποστολικοῦ τινος πρεσβυτέρου, οὗ τοὔνομα σιωπῇ παρέδωκε, μνημονεύει, ἐξηγήσεις τε αὐτοῦ θείων γραφῶν παρατέθειται ». Sed apud Irenæum ipsum non spernenda indicia occurrunt, quæ ad identitatem illius viri stabiliendam conferre valent. Ex ipsis formulis patet Irenæum hunc presbyterum sæpius audivisse « disputantem », id est « prædicantem », uti patet ex fragmento epistolæ Irenæi ad Florinum, ubi idem de Polycarpo affirmatur. Hujus autem prædicationes alte menti Irenæi, ipso testante, impressæ erant (1). Insuper in eodem fragmento Polycarpus vocatur « ὁ μακάριος καὶ ἀποστολικὸς πρεσβύτερος » dicitur narrasse « τὴν μετὰ Ἰωάννου συναναστροφὴν... καὶ τὴν μετὰ τῶν λοιπῶν τῶν ἑωρακότων τὸν Κύριον ». Conferri etiam debet textus *adv. H.*

(1) Harvey, II, p. 471 s. : « τὰς διαλέξεις ἃς ἐποιεῖτο πρὸς τὸ πλῆθος τὸν τόπον, ἐν ᾧ καθεζόμενος διελέγετο ὁ μακαριος Πολύκαρπος. » Cfr Eus., H. E , V, 20.

III, 4 « Καὶ Πολύκαρπος δὲ οὐ μόνον ὑπὸ Ἀποστόλων μαθητευθεὶς, καὶ συναναστραφεὶς πολλοῖς τοῖς τὸν Χριστὸν ἑωρακόσιν, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ Ἀποστόλων κατασταθεὶς εἰς τὴν Ἀσίαν ἐν τῇ ἐν Σμύρνῃ ἐκκλησιᾷ ἐπίσκοπος,... Ὃς καὶ ἐπὶ Ἀνικήτου ἐπιδημήσας τῇ Ῥώμῃ, πολλοὺς ἀπὸ τῶν προειρημένων αἱρετικῶν ἐπέστρεψεν εἰς τὴν Ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ... ».

Jam vero in serie citationum IV, c. 27 — c. 32, materia tractata polemica est, quatenus harmonia duorum testamentorum probabiliter contra Marcionitas defenditur. Scimus autem Marcionem versus a. 138-39 Romam venisse, et a. 144 Ecclesiam dereliquisse. Unde cum Polycarpus circa a. 153-54 Romam venerit, annon cum probabilitate quadam suspicari potest, Irenæum alludere ad Polycarpi contra Marcionis doctrinam prædicationes Romæ habitas, eumque hujus controversiæ testem fuisse (1)? Sane, plena certitudo hac in quæstione obtineri nequit; sed inter varia nomina proposita, probabilitatem præ cæteris (Papia, Clemente, Justino, Pothino) majorem Polycarpi nomen sibi conciliare natum est.

Restitutio textus qualem eam Abbott et Harnack proponunt, et a qua integra Harnackii circa hunc « presbyterum » argumentatio pendet, ob varias rationes nobis non arridet.

Imprimis, talis locutio amphibologiæ locum præbere videtur, cum in textu : παρὰ τῶν τοὺς ἀποστόλους ἑωρακότων καὶ παρὰ τῶν ὑπ' αὐτῶν μαθητευθέντων, dubium sit utrum verba ὑπ' αὐτῶν ad « τῶν... ἑωρακότων » — vel ad « τοὺς αποστόλους » referenda sint. Logice tamen ad verba « τῶν... ἑωρακότων » referuntur, cum secus inanis haberetur tautologia (2).

(1) Probabilitas hujus commorationis romanæ S. Irenæi ex aliis indiciis sequi videtur : imprimis ex fragmento III Harvey (II, p. 473 ss.) liquet episcopum lugdunensem optime novisse quæ Polycarpus cum Aniceto Romæ tractaverat. Dein adduci possunt : secunda *martyrii Polycarpi* conclusio (ed. Zahn, p. 168), textus Photii (cod. 121) in quo Hippolytus discipulus et auditor Irenæi fuisse dicitur. Cfr Duchesne, *Les Origines chrétiennes*, I, p. 221, n.

(2) Dein, casu quo « ὑπ' αὐτῶν » *apostolos* designaret, scripsisset sane Irenæus : « παρὰ τῶν τοὺς ἀποστόλους ἑωρακότων καὶ ὑπ' αὐτῶν μαθητευθέντων.» Sed tunc latine foret : « qui audierat ab his qui apostolos viderant et ab iis didicerant. »

Jamvero, juxta hanc lectionem, presbyter ille quem Irenæus invocat talis foret, qui ab Apostolorum discipulis et rursus ab horum discipulorum discipulis audiverit ; unde discipulus Polycarpi se in casu quintæ christianæ generationis virum fateretur — quod certe non facile admittendum liquet.

Præterea, locutio « παρὰ τῶν μαθητευθέντων » noto Irenæi stylo ad discipulos Domini seu « autoptos » designandos congruit ; nam « discipuli » apud eum fere semper *annectuntur* « apostolis ». Ita III 3, 4 : Καὶ Πολύκαρπος δὲ οὐ μόνον ὑπὸ Ἀπόστόλων μαθητευθεὶς, καὶ συναναστραφεὶς πολλοῖς τοῖς τὸν Χριστὸν ἑωρακόσιν... οἱ Ἀπόστολοι καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτῶν et III 12, 5 *ad reliquos coapostolos et discipulos Domini*... αὗται-φωναὶ τῶν ἀποστόλων, αὗται φωναὶ τῶν μαθητῶν τοῦ Κυρίου. — III 24, 1 : prædicationem Ecclesiæ... testimonium habentem a prophetis *et ab apostolis et ab omnibus discipulis* : quo in casu nulla additur determinatio vocis : « *discipulis* », quod et in loco nostro IV, 27, 1 obtinet. Quod autem participium habeatur in versione latina, nondum statim probat græcum textum vocem μαθητευθέντων habuisse. Textus enim latinus tam imperfecte sæpe græcas locutiones reddit et tot mendis scatet, ut summa in græco textu restituendo prudentia opus sit. Nam, si loco « μαθητευθέντων » græcus textus « μαθητῶν » legerit, restitutio ab Harnack proposita impossibilis apparet : lectio autem μαθητῶν ex aliis exemplis (1) probabilis evadit. Ut vero latinus interpres « παρὰ τῶν μαθητῶν » redderet : *et ab his qui didicerant*, formula præcedenti *(ab his qui* apostolos viderant) optime poterat impelli. Unde potius scribendum opinamur « παρὰ τῶν τοὺς ἀποστόλους ἑωρακότων καὶ παρὰ τῶν μαθητῶν. »

Conclusio igitur nostra sit : argumenta ab Harnack allata ut presbyterum IV, c. 27 — c. 32 tertiæ tantum fuisse generationis probet, nullo modo cogentia dici possunt. Quisnam præcise ille presbyter fuerit quocum sæpius conversatus fuit Irenæus,

(1) III, 12, 13 quoniam autem Apostoli et *discentes* ipsorum sic docebant; III, 15, 3 manifesta igitur et Apostolorum et *discentium* eorum ex verbis ipsorum de Deo sententia. Utroque casu substantivum (μαθηταὶ et μαθητῶν) adhibitum fuisse, indubium est.

cujusque orales prædicationes (1) adhibuit, incertum hucusque manet. Eum autem immediatos Christi discipulos adhuc audivisse, ut omnino probabilius affirmamus. Nomen Polycarpi præ cæteris, ex certis quibusdam indiciis, menti ingeritur (2).

II. Tertia citationum classis magis directe quæstionem nostram attingit : quæritur nempe utrum introductoriæ formulæ ex ipso Papiæ opere depromptæ sint; utrum scil. « presbyteri » quorum Irenæus in illis locis testimonium invocat, cum Papiæ « presbyteris » iidem sint necne.

Facilitatis gratia prius formulas illas de quibus agitur exponemus.

1) *Epist. ad Florinum (Eus. H. E.* V, 20. Harvey II, p. 471 ss.: ταῦτα τὰ δόγματα οἱ πρὸ ἡμῶν πρεσβύτεροι οἱ καὶ τοῖς ἀποστόλοις συμφοιτήσαντες οὐ παρέδωκάν σοι — (Πολύκαρπος) ὁ μακάριος καὶ ἀποστολικὸς πρεσβύτερος (cfr *adv. H.* III, 3, 4).

2) *Adv. H.* II, 22, 5 : Καὶ πάντες οἱ πρεσβύτεροι μαρτυροῦσιν, οἱ κατὰ τὴν Ἀσίαν Ἰωάννῃ τῷ τοῦ Κυρίου μαθητῇ συμβεβληκότες, παρεδωκέναι ταῦτα τὸν Ἰωάννην. Παρέμεινε γὰρ αὐτοῖς μέχρι τῶν Τραϊανοῦ χρόνων. *Quidam autem eorum non solum Joannem, sed et alios Apostolos viderunt, et hæc eadem ab ipsis audierunt et testantur de huiusmodi relatione.*

3) V, 5, 1 : Διὸ καὶ λέγουσιν οἱ πρεσβύτεροι, τῶν ἀποστόλων μαθηταὶ...

4) V, 30, 1 : μαρτυρούντων αὐτῶν ἐκείνων τῶν κατ' ὄψιν τὸν Ἰωάννην ἑωρακότων. (De numero nominis Antichristi agitur.)

5) V, 33, 3 : A) *Quemadmodum presbyteri meminerunt, qui Joannem discipulum Domini viderunt, audisse se ab eo, quemadmodum de temporibus illis docebat Dominus et dicebat.*

Ibid. : B) Ταῦτα δὲ καὶ Παπίας Ἰωάννου ἀκουστὴς, Πολυκάρπου δὲ ἑταῖρος γεγονὼς, ἀρχαῖος ἀνὴρ, ἐγγράφως ἐπιμαρτυρεῖ ἐν

(1) Plura verba : « *ostendebat* presbyter, *dicebat, enarrans reficiebat nos et dicebat, disputabat* » hoc satis ostendunt. Non tamen impedit ut ait Harnack (l. c., p. 339, n.), quominus scriptas illius presbyteri prædicationes præ manibus habuerit. — Cfr etiam KUNZE, *o. c.*, p. 33, n. 1.

(2) LIGHTFOOT, *Cont. R.* August 1876, nomen S. Pothini, Irenæi in sede lugdunensi prædecessoris proponit.]

τῇ τετάρτῃ τῶν αὐτοῦ βιβλίων· ἔστι γὰρ αὐτῷ πέντε βιβλία συντεταγμένα.

6) IV, 36, 1 : Ὡς οἱ πρεσβύτεροι λέγουσι,.... *Hanc esse abordinationem et dispositionem eorum qui salvantur, dicunt presbyteri Apostolorum discipuli.*

Quoad primum textum observat Harnack mirandum esse, Irenæum non scribere παρέδωκαν ἡμιν, sed σοι. — Sed hæc animadversio æquo subtilior videtur, ut ex contextu patet : ἡμιν evidenter reprehensionem nimis mitigasset, neque cæteroqui Florini dogmata Irenæus profitebatur. Ceterum, non determinatum undequaque cœtum seu numerum presbyterorum Irenæus hic respicit, sed potius generationem christianam se et Florino anteriorem, post-apostolicam (1); exempli gratia et omnium nomine dein adducitur Polycarpus, quin exinde concludi possit nullum alium eum invocare potuisse eorum qui cum Joanne in Asia versati fuerant.

Quoad secundam citationem, notat Harnack scriptum fontem hic invocari, quod probat ex usu vocis « μαρτυροῦσιν », et ex eo quod testimonium *omnium* presbyterorum adducatur. Hunc scriptum fontem dicit opus fuisse Papiæ, quod concludit ex præsentis formulæ similitudine cum formula sub nº 5 allegata, ubi (B) expresse fatetur Irenæus ex Papiæ opere se hausisse. Etenim de unico fonte agi putat Harnack, ita ut καὶ et (ἐπι in ἐπιμαρτυρεῖ) premi non possint. Comparat dein varias formulas inter se, et ex formulis 2) et 5) concludit Papiam jam scripsisse « πρεσβύτεροι οἱ κατ' ὄψιν τὸν Ἰωάννην ἑωρακότες ».

Variæ illæ assertiones jam examinandæ sunt.

Imprimis, ad locum II, 22, 5 supra (p. 39 ss.) jam quædam diximus. Heic formula potius analysi subjicienda est. Jamvero in hoc textu scriptum fontem respicere Irenæum, illumque fontem Papiæ opus fuisse, minime putamus. Nam hoc ex usu termini « μαρτυροῦσιν » nedum probetur, potius improbabile evadit. Solemnis enim hæc formula adhibetur III, 3, 4 ubi de scripto

(1) Cfr. Lightfoot, *Cont. R.*, 1875 August : « Thus Irenæus employs it (the term πρεσβύτεροι) to describe the generation to which Papias himself belonged. » — Eos alibi vocat : οἱ προβεβληκότες (V, 17, 4).

fonte cogitari nequit : « Μαρτυροῦσιν τούτοις αἱ κατὰ τὴν Ἀσίαν Ἐκκλησίαι πᾶσαι, καὶ οἱ μέχρι νῦν διαδεγμένοι τὸν Πολύκαρπον, πολλῷ ἀξιοπιστότερον καὶ βεβαιότερον ἀληθείας μάρτυρα ὄντα... » Insuper testimonium *omnium presbyterorum* circa dicta *omnium* apostolorum qui in Asia fuerunt, ne quidem *scriptum* invenerit Irenæus : est potius generalis quædam formula qua Irenæus traditionis testimonium allegat (1). Formulam autem potius Irenæo, saltem non Papiæ esse propriam, patet ex ipsius Irenæi hæsitatione, quæ eum certum et determinatum scriptum fontem non habuisse probat (2); patet præterea ex verbis additis : « Παρέμεινε γὰρ αὐτοῖς μέχρι τῶν Τραϊανοῦ χρονῶν ».

Quidam autem eorum non solum Joannem, *sed et alios apostolos* viderunt, et hæc eadem ab ipsis audierunt, et *testantur* de hujusmodi relatione. — Verba græca Harnack (p. 340) ex Papiæ opere hausta vult. Cur sola verba sequentia eidem scripto fonti non tribuerentur, cum tamen præ cæteris talem originem postulare videantur : « *et hæc eadem ab ipsis* (sc. aliis apostolis) *audierunt* et *testantur* (μαρτυροῦσιν) *de hujusmodi relatione* » ? Hæc verba quæ Harnack silentio præterit, juxta methodum ab hoc auctore adhibitam, *potiori jure* Papiæ operi adscribere deberemus ; unde Papias Joannem qui in Asia versatus fuit, Apostolorum numero adscripserit ; quod totum Harnackii systema funditus evertit!

Insuper formula V, 33, 3 quam Harnack cum priore parte formulæ II, 22, 5 comparat, (et ex qua comparatione ad depen-

(1) Cfr Zahn, *Einl.*, II, p. 216, n. 13 « Der Gebrauch von οἱ πρεσβύτεροι ist bei Papias, Irenæus und Clemens formell der gleiche. Der Ausdruck welcher an sich die Leute einer weit zurückliegenden Vergangenheit bezeichnen kann... erhält erst dadurch, dass der Redende die so bezeichneten Männer als seine persönlichen Lehrer charakterisirt, den Sinn : die der nächstvorangegangenen Generation angehörigen Lehrer. Das nachwachsende Geschlecht nennt sie die Alten, wenn ihre Reihen sich zu lichten beginnen, aber auch dann noch, wenn sie sämtlich einem jüngeren Geschlecht Platz gemacht haben. *In concreto* sind das selbstverständlich je nach der Zeitlage des Redenden ganz verschiedenartige Personen. »

(2) Totus contextus apud Irenæum inspiciendus est. V. supra, p. 39 ss. animadvertantur verba : « omnis quilibet confitebitur... a quadragesimo autem et quinquagesimo anno declinat jam in ætatem seniorem quam habens » etc.

dentiam a Papia concludit), multo magis cum hujus (II, 22, 5) locutionis secunda parte congruit, quippe quæ ita sonat: « quemadmodum presbyteri meminerunt, qui Joannem discipulum Domini *viderunt*, *audisse se* ab eo quemadmodum de temporibus illis docebat Dominus et dicebat... ».

Dein, an Papias Hierapoleos episcopus scripsisset « οἱ κατὰ τὴν Ἀσίαν » (1)? Annon potius Irenæo hæc verba in Gallia scribenti tribuenda sunt?

Demum, quoad formulam sub nº 5B positam, eam ex ipso Papiano textu desumptam fuisse non ita certum est. Plures auctores (2) putant de duobus diversis testimoniis agi, de traditione orali et de confirmatione scripta a Papia mutuata. Harnack enim hunc locum (fundamentalem in tota sua theoria) vertit, ac si textus « καὶ ταῦτα δὲ Παπίας... μαρτυρεῖ » haberet, dum revera fert « ταῦτα δὲ καὶ Παπίας... ἐπιμαρτύρει », quæ locutio juxta certas grammaticæ regulas de auctoritate distincta superaddenda intelligenda est (3). Quærit Harnack quomodo « præcedens citatio independenter a scripto fonte, sola traditione orali, Papiæ textui identica, ad Irenæum pervenerit »? At omnimoda identitas non affirmatur; contra litteralem citationem facere videtur quod in priori parte oratio directa, in altera vero oratio obliqua adhibetur; textus præterea ejusmodi est ut orali et vulgari traditioni peculiari modo congruat, ut cuicumque legenti patet.

Remanent tres formulæ sub nn. 3, 4 et 6 positæ : primam autem et tertiam textus introducere ex Papiæ opere excerptos, jam Lightfoot (4) maxima cum cura demonstravit, nec revera videmus quid ejus argumentis opponi possit. Quoad secundam vero non ita constat : Lightfoot probat testimonium hoc de nominis Antichristi numero, simul ac notitiam de Apocalypseos origine (V, 30, 3), ex propinquitate cum V, 33, 3 et V, 36, 1 etiam

(1) Cfr *adv. H.* III, 3, 1 (Πολύκαρπος)... καταστασθεὶς εἰς τὴν Ἀσίαν ἐν τῇ ἐν Σμύρνῃ ἐκκλησίᾳ ἐπίσκοπος. *Ibid.* αἱ κατὰ τὴν Ἀσίαν Ἐκκλησίαι πᾶσαι. *Ep. ad Flor.* (Harvey, II, p. 471) ἐν τῇ κάτω Ἀσίᾳ.

(2) Zahn, *G. N. K.* I, p. 854.— Labourt, *R.B.*, 1898, p. 70.

(3) Ut apud Eus. *H. E.*, II, 15, quem locum cæteroqui ipse Harnack notat : « συνεπιμαρτυρεῖ δ'αὐτῷ (Clementi scil) καὶ ὁ Ἱεραπολίτης ἐπίσκοπος. »

(4) *Cont. R.* 1875, October.

Papiæ tribuenda esse. Attamen, cum duæ illæ notitiæ descriptionem Papianam de materiali millenarismo non attingant, ab aliis textibus sejungi possunt, et ex alio quodam fonte depromi potuerunt.

Hæc sufficiunt ut magna quæ in hac materia obtinet incertitudo, appareat. Argumenta igitur ab Harnack prolata, ut ipsas citationum formulas *verbotenus* ex Papiæ opere desumptas fuisse probet, adeoque « presbyteros » apud ipsum Papiam determinet, nimis incerta censemus. Eo major critico hic diffidentia injicitur, quod vox « presbyter » novam extensionem apud Irenæum obtinuerit, cum illam secundæ et tertiæ generationis viris applicuerit (1). — Varias igitur presbyterorum classes, et jam non unicum quemdam cœtum, cognovit Irenæus. Unde — si tamen in incerta hac materia novam hypothesin proferre licet — sequentem solutionem proponimus : Duos fontes (pro tertia citationum serie) admittendos esse censemus : opus Papiæ (in quod textus sub nis 3, 5B, 6 indicatos reducere-mus), et alium quemdam fontem (sive traditionem, sive probabilius fontem scriptum), cui loca 2, 4, 5A adjudicanda videntur).

Formulam introductoriam « λέγουσιν οἱ πρεσβύτεροι (τῶν ἀποστόλων μαθηταὶ » non Papiæ sed Irenæi esse putamus, qui generali hac locutione textus Papiæ adduxerit (2). — Determinatio enim « οἱ τῶν ἀποστολῶν μαθηταὶ », præterquam quod plane superflua et inutilis apud Papiam (3) dici queat, nimis generalis et indeterminata apparet, inquisitionis methodo in Papiæ proœmio propositæ parum respondet (4), et insuper in

(1) IV, 27, 1 etc. v. supra. Cfr etiam loca ut *adv. H.* III, 2, 1 et 2, *ep. ad Victorem* (Harvey, II, p. 475). Lightfoot, *Cont. R.*, 1875, August.

(2) Formula sub nº 1 allata nullum determinatum fontem respicit, unde generali modo dicitur « οἱ πρὸ ἡμῶν... » — In secunda parte formulæ II, 22, 5 : « Quidam autem eorum » etc. forsan allusio ad opus Papiæ ejusque proœmium occurrit.

(3) In hypothesi illorum scil. qui « presbyteros » apud Papiam « discipulos apostolorum » fuisse, illudque Papiam jam in proœmio solemniter declarasse autumant.

(4) Ibi enim singulus discipulus circa individui Apostoli doctrinam interrogatus exhibetur, uti patet.

variis Papiæ fragmentis ab Eusebio servatis nullam applicationem obtinet : fons enim in omnibus exemplis individue indicatur (1). Formula igitur illa generalis ab Irenæo, qui alios etiam ætate posteriores, jam titulo « presbyterorum » decorabat, Papiæ textibus apposita fuerit, eaque formula modo etiam generaliori auctoritatem Papiæ seu ejus fontes respexerit : omnes discipulos apostolorum eadem semper dixisse, omniumque circa singulas res testimonium Papiam collegisse, ut formulæ illæ—si Papianæ essent — enuntiarent, summe mirandum foret. Modus ille loquendi uniformis et quodammodo exaggerationi obnoxius, non Papiæ sedulo testimonia colligenti, sed Irenæo, collectis jam testimoniis utenti, tribuendus nobis videtur.

Quod autem ad aliam introductoriam locutionem, Joannis discipulorum testimonium adducentem attinet, iterum eam Irenæo propriam, et e nullo scripto excerptam putamus. — Non a Papia esse eam formulam (2) jam probabile fit ex notitia Eusebii H. E. III, 39 « Ἀριστίωνος δὲ καὶ τοῦ πρεσβυτέρου Ἰωάννου αὐτήκοον ἑαυτόν φησι γενέσθαι. Ὀνομαστὶ γοῦν πολλάκις αὐτῶν μνημονεύσας, ἐν τοῖς αὐτοῦ συγγράμμασι τίθησιν αὐτῶν παραδόσεις ».

In fine c. XXIX exemplum tradit; scripsit Papias : « Καὶ τοῦτο ὁ πρεσβύτερος ἔλεγε ». Hic citationis modus testi auriculari magis convenit. Verba « οἱ κατ' ὄψιν τὸν Ἰωάννην ἑωρακότες », « οἱ κατὰ τὴν Ἀσίαν Ἰωάννῃ τῷ τοῦ Κυρίου μαθητῇ συμβεβληκότες etc. », potius alicujus dicenda sunt, qui Joannem non jam facie ad faciem viderit, et cum eo non conversatus fuerit.

Unde, jam paucis hanc de « presbyteris » Irenæi tractationem concludamus. Nullam adesse censemus sufficientem rationem ut « presbyteros » apud Irenæum invocatos, cum « presbyteris » in fragmento Papiæ citatis, identificemus. Etenim, ex una parte, præter Papiæ opus, alia via etiam Irenæus cum presbyteris quorum testimonium allegat, connectebatur; et ex alia parte

(1) Cfr Eus., *H. E.*, III, 39, et supra, p. 72 s.

(2) Ex ipsa hac formula Harnackii sententia circa Papiam ejusque presbyteros pessumdata videtur. Etenim si Papias ipse scripsit « οἱ καὶ ὄψιν τὸν Ἰωάννην ἑωρακότες », an ex hoc deduci non posset unicum Joannem a Papia cognitum fuisse?

tantum abest ut formulas, « presbyterorum » testimonia adducentes, cum Harnack ex Papiæ opere desumptas dicamus, ut eas — in quantum saltem in hac obscura materia lux affulget, — potius ipsi Irenæo proprias et adaptatas inveniamus. In ipsis autem formulis, nedum talia reperiantur e quibus duos in Asia cognitos fuisse Joannes deduci possit, potius oppositam sententiam non spernendam confirmationem mutuari apparet.

§ 2. — *An duo diversi Joannes apud Papiam nominantur.*

Solutio asperrimæ hujus quæstionis post præcedentes disquisitiones jam aliquatenus facilior evadit. Sed, pro tempore soli Papiæ fragmento immoremur. Sane sola iterata ejusdem nominis mentio nondum eo ipso probat duas diversas personas designari; requiritur tamen ut duplicis hujus mentionis ratio vere sufficiens adducatur : utrum autem talis detur, statim infra inquiremus.

Harnack autumat omnia clariora fieri, dummodo admittatur titulus « ὁ πρεσβύτερος » Joanni additum fuisse, ut a priore Joanne distinguatur. *(Chron. ACL.* I, p. 661.)

At, quæso, quomodo Papias Joannem ab homonymo discernere valet, illam præcise denominationem ei apponendo quam etiam homonymo tribuit? Vidimus enim tum ex verbis ipsis, tum ex idearum logico nexu, tum ex Eusebii interpretatione, etiam enumeratos apostolos nomine « τῶν πρεσβυτέρων » designari (1).

Neque terminum « οἱ τοῦ Κυρίου μαθηταί » distinctionem quamdam stabilire posse, ex supra dictis (p. 107) apparet. Indicium igitur quo probari possit, Papiam duos nominasse Joannes in ipso fragmenti textu non deprehenditur. Cæterum, ut ex præcedentibus articulis constat, nullum in historia serium fundamentum hypothesis alterum Joannem, præter apostolum, in Asia tunc temporis exstitisse, ostendi potest. Manet igitur ut

(1) Affirmat Harnack *(l. c.)* Papiam illum Joannem « Presbyterum Joannem » vel « Presbyterum » vocasse, non autem simpliciter Joannem. Attamen p. 337, n. formulam (qua Irenæus utitur V, 30, 1) οἱ κατ' ὄψιν τόν Ἰωάννην ἑωρακότες » ex ipso Papiæ opere fuisse excisam dicit.

ratio cur bis idem Joannes a Papia nominetur, in textu indicetur. Differentia autem temporum (εἶπεν... λέγουσιν) illud indicium præbet (1). Non quidem ita ut verbum « εἶπεν » indicet personas, primo loco enumeratas, omnes mortuas fuisse tempore quo Papias earum dicta inquirebat ; sed quatenus notitias a talibus accipiebat discipulis, qui de tempore jam longe anteacto referre poterant. — Uti Poggel ait, etiam si omnes adhuc vixissent, et Papias de eorum dictis quæ tempore præterito expresserant inquisivisset, forma « εἶπεν » usus fuisset. Teste *Eusebio* (*H. E.* III, 39) Papias Joannis presbyteri (cfr etiam Ir. *adv. H.* V, 33, 4) et Aristionis auditor fuerat, et quando postea Hierapoli vitam degens, discipulos Joannis, ratione longævitatis ὁ πρεσβύτερος vocati, vel Aristionis discipulos obviam habebat, petebat ab ipsis quid illi ambo *tunc* temporis docerent (λέγουσιν).

Duplex autem illa mentio « Joannis » scopo Papiæ sane perutilis erat : nam, cum fontium suorum credibilitatem probare intenderet, longum investigationes suas comprehendere temporis spatium, demonstrare volebat : οἱ παρηκολουθηκότες quos interrogavit tum de ævo præterito, tum de tempore præsenti referre poterant ; omnium autem menti alte impressa erat illius *presbyteri* memoria, qui præ cæteris in Asia præclarus, ad summam senectutem pervenerat, et a discipulis « ὁ πρεσβύτερος » vocatus, hunc titulum in scriptis suis (II et III *Jo.*) usurpaverat. Papias ipse igitur ostendere voluerit tempore præsenti (λέγουσιν) Joannem illum, cujus antiquiora dicta οἱ παρηκολουθηκότες ei retulerant, tempore investigationum suarum adhuc vixisse (2).

Sententia igitur quæ duos diversos Joannes in fragmento Papiæ citatos ait, nullum solidum in textu fundamentum obtinet (3). Restat tamen ut posteriores quosdam textus, qui

(1) Cfr Poggel, *o. c.*, p. 49 ss. Nec cum Funk (*O. P. A.* II, p. 283, n.) dicendum est « ὁ πρεσβύτερος » significare « presbyterum » vel « episcopum » ; duplicem enim sensum diversum eidem termino in tam brevi contextu affigere non potuit Papias.

(2) Cfr Harnack, *l. c.*, « Zugleich weist das « λέγουσιν » (sie dagegen vorher das εἶπεν) darauf hin, dass die beiden Männer damals, als er seine Nachforschungen anstellte, noch lebten. »

(3) Nobiscum sentiunt inter alios qui numerari possent : Olshausen, Guericke, Hengstenberg, Riggenbach, Zahn, Cornely, Poggel, Felten (*Liter. Rundschau*, 1897, p. 73), Bludau (*Liter. Handweiser*, 1896, p. 729).

tanquam ex Papiæ opere excerptos vel saltem cum eo connexos se exibent, inspiciamus. Sigillatim eos percurremus (1).

Duo priores textus originem Joannis evangelii respiciunt. Papiam quartum evangelium cognovisse tum directe, tum indirecte supra (p. 41 s.) probavimus.

Prior textus quem primo cardinalis Thomasius, dein cardinalis Pitra ex cod. S. IX edidit, sic sonat (2) : 1. « Incipit ARGUMENTUM secundum Joannem. Evangelium Joannis manifestatum et datum est ecclesiis ab Joanne adhuc in corpore constituto, sicut Papeas nomine Hierapolitanus, discipulus Joannis carus in exotericis (3), id est in extremis quinque libris retulit. 2. Descripsit vero evangelium dictante Joanne recte. Verum Martion hæreticus, cum ab eo fuisset improbatus, eo quod contraria sentiebat, abjectus est a Joanne. Is vero scripta vel epistolas ad eum pertulerat a fratribus qui in Ponto fuerunt. Explicit argumentum ».

Textus hic in duas partes clare dividitur : quarum secunda personale judicium scriptoris circa citationem Papiæ constituit. Fabula illa de Joanne Papiae evangelium suum dictante, ex græco fonte profluxisse Zahn æstimat (4). Ad authentiam fragmenti quod attinet, plena certitudo obtineri nequit. Probabiliter,

(1) HARNACK, p. 664, ait : « Wenn Apollinaris, Andreas, Anastasius Sinaita, Maximus Confessor und Georgius Hamartolus ihn (Papias) einen persönlichen Schüler des evangelisten Johannes nennen, so haben sie doch keine einzige Stelle aus dem Werk des Papias angeführt, um für uns diese Aussage zu begründen ». At nonne quia probatio illa ipsos minime sollicitos tenebat? Etenim auctores illi non uti nos «joanneam quæstionem» tractabant.

(2) Cfr ABERLE, *Th. Qu*, 1864, p. 1 ss. — FUNK, *O. P. A.* II, p. 298-299. — LIGHTFOOT, *Cont. R.* 1875, October. — ZAHN, *G. N. K.* I, p. 898, n. 1. — HARNACK, *Chron. ACL*, I, p. 308-309 ubi etiam idem textus ex alio codice (Toletano S. X) citatur; sic autem incipit : « Hoc igitur evangelium *post Apocalypsin* scriptum manifestum et datum est ecclesiis...»—Cfr CORSSEN, *o. c.*, p. 114 s.

(3) ZAHN, *G. N. K.* I, p. 893, n. 1 : « Dass *exotericis* ein Schreibfehler für *exegeticis* ist, hätte man nicht bezweifeln sollen ». Glossa *id est in extremis* jam mendum illud præsupponit.

(4) *G. N. K.* I, p. 899, n. 1, ubi prologum græcum a latino textu independentem citat, et in quo hæc verba habentur : « ... Ἰωάννης... ὑπηγόρευσε τὸ εὐαγγέλιον τῷ ἑαυτοῦ μαθητῇ Παπίᾳ. CORSSEN, *o. c.* p. 116 putat confusionem cum Prochoro locum habuisse.

ut Zahn ait, utrumque auctor ex opere quodam hauserit : nempe et Papiam opus exegeticum quinque libros complectens scripsisse, et in illo opere notitiam istam de Joannis evangelio contineri. Addit eruditissimus ille criticus silentium Eusebii circa hanc notitiam origini papianæ non obstare, cum historiographo Joannem ipsum (1) evangelium suum edidisse evidens videretur, adeoque notitia illa non ut ἱστορία notatu digna apparuerit, nec minorem quam alii cuidam notitiæ — v. g. Hamartoli de Joannis martyrio a Judæis patrato — fidem esse adhibendam. — Sane totam joanneam quæstionem ex hoc fragmento neque nos resolvere vellemus. Illud nobis favere notasse sufficiat.

Sequuntur alii quidam textus :

Andreas Cæsareæ (in Cappadocia), qui opus Papiæ præ manibus habebat, Papiam ipsum tanquam veterem *axiopistiæ*, id est originis apostolicæ Apocalypseos, testem habet (2).

Duas citationes ex Anastasio Sinaita afferre juvat (3) : etiam opus Papiae legit ille auctor ut ait Lightfoot (4) : expresse autem Papiam discipulum Joannis evangelistæ et apostoli vocat.

Maximus Confessor etiam Papiam discipulum fuisse Joannis evangelistæ clare affirmat, dicens : « Ταῦτά φησιν αἰνιττόμενος οἶμαι Παπίαν τὸν Ἱεραπόλεως τῆς κατ' Ἀσίαν τότε γενόμενον ἐπίσκοπον καὶ συνακμάσαντα τῷ θείῳ εὐαγγελιστῇ Ἰωάννῃ » (5).

(1) Non admittimus quod Harnack, *l. c.*, contendit : præpositionem, «ab» (Joanne scil.) esse delendam. Nam, textus latinus ex græco translatus fuerit, græce autem ὑπὸ Ἰωάννου ἔτι ἐν σώματι καθεστῶτος dictum fuerit. Neque ridicula eo ipso assertio evadit, cum non Joannem mortuum inter et vivum oppositio sit, sed *vivum* inter et *morientem* evangelistam.

(2) Cfr. Funk, *O.P.A.* II, p. 290. — Zahn, *G.N.K.* I, 951 : « Περὶ μέντοι τοῦ θεοπνεύστου τῆς βίβλου περιττὸν μεκύνειν τὸν λόγον ἡγούμεθα, τῶν μακαρίων, Γρηγορίου [φημὶ] τοῦ Θεολόγου καὶ Κυρίλλου, προσέτι δὲ καὶ τῶν ἀρχαιοτέρων Παππίου, Εἰρηναίου, Μεθοδίου καὶ Ἱππολύτου ταύτῃ προσμαρτυρούντων τὸ ἀξιόπιστον ». Notat Zahn, *l. c.*, Zu Apok. 22, 8 handelt Andreas περὶ τοῦ ἀξιοπίστου τῶν τεθεαμένων τῷ ἀποστόλῳ. Es handelt sich also dort nicht um die Verfasserfrage, sondern darum, dass wirkliche und nicht bloss angebliche Offenbarungen in dem Buch enthalten seien. Also τὸ ἀξιόπιστον = τὸ θεόπνευστον. » Cfr Migne, *P. G.* T. 106, p. 219. — Cfr. Cramer, *Catena in Apocalypsin*, 1840, p. 358 ss.

(3) Cfr Migne, *P. G.* T. 89, p. 860 et 861. — Funk, *O. P. A.* II, p. 292.

(4) *Cont. R.*, 1875, August et October.

(5) Funk, *O. P. A.* II, p. 292. Appellat insuper distinctis locis ad primum et quartum operis Papiani librum.

Georgius Hamartolus (1) in *Chronico (Cod. Coisl.)* scripsit : « Μετὰ δὲ Δομετιανὸν ἐβασίλευσε Νερούας ἔτος ἕν, ὃς ἀνακαλεσάμενος Ἰωάννην ἐκ τῆς νήσου ἀπέλυσεν οἰκεῖν ἐν Ἐφέσῳ. Μόνος τότε περιὼν τῷ βίῳ ἐκ τῶν ιβ′ μαθητῶν καὶ συγγραψάμενος τὸ κατ' αὐτὸν εὐαγγέλιον μαρτυρίου κατηξίωται. Παπίας γὰρ ὁ Ἱεραπόλεως ἐπίσκοπος, αὐτόπτης τούτου γενόμενος, ἐν τῷ δευτέρῳ λόγῳ κτλ... ».

Plura huc spectantia jam supra tradidimus (p. 69 ss). An hæc notitia ex Papiæ opere revera desumpta fuit? Cum fons intermedius inter Papiam et Georgium admittendus sit, res incerta manet. Lightfoot tamen dependentiam ex Papia valde probabilem censet (2).

Putat Harnack ex his omnibus textibus nihil concludi posse relate ad quæstionem de Joanne Ephesino, — cum citati auctores nullam probationem ex ipso Papiæ textu desumptam afferant, incertumque sit utrum illud opus cognoverint; cum Eusebii testimonium eis opponatur, et jam valde probabiliter a falsa Irenæi interpretatione pendeant *(Chron. ACL.* I p. 664).

Certe textus illos non ut totidem in nostræ theseos favorem argumenta proponimus; attamen unanimis illorum omnium consensus non est spernendus; et, ut minimum teneamus, palam facit quam parum traditio posterior Eusebii Hieronymique dubiis attenderit.

Cæterum, non alte menti Eusebii et Hieronymi de Joannis « presbyteri » sententia impressa erat. — Ambo enim in locis ubi de scripturarum canone minime solliciti, merum historicum agunt, Papiam Joannis *apostoli* discipulum fuisse sine restrictione affirmant. Ita Eusebius in *Chronico* Papiam et Polycarpum expresse *apostoli* Joannis discipulos vocat : « Ἰωάννην τὸν θεολόγον καὶ ἀπόστολον Εἰρηναῖος καὶ ἄλλοι ἱστοροῦσι παραμεῖναι τῷ βίῳ ἕως τῶν χρόνων Τραϊανοῦ· μεθ' ὃν Παπίας

(1) Funk, *O.P.A.* II, p. 294 ss.

(2) *Cont. R.* October 1895 : « Papias seems plainly to have been the ultimate source of his information. The work is precisely and correctly quoted. The general tenor accords with the main object of Papias' book, the exposition of a saying of Christ and the illustration of it by a story derived from tradition. »

Ἱεραπολίτης καὶ Πολύκαρπος Σμύρνης ἐπίσκοπος, ἀκουσταὶ αὐτοῦ ἐγνωριζοντο (1)... Ita etiam HIERONYMUS (2). Uterque etiam *apostolum* Joannem auctorem secundæ et tertiæ Joannis epistolæ auctorem fatetur (3). Quæstio igitur de Apocalypseos canonicitate apud Eusebium et Hieronymum « presbyterum » Joannem, ab Apostolo distinctum, creavit. Subjectivum et doctrinale illud judicium tam parum cæteroqui sibi constans, et in Papiæ proœmio tam debiles radices agens, objectivo et universali traditionis testimonio cedere debet (4).

§ III. — *Quid judicandum de nova hypothesi ab Haussleiter* (5) *proposita, quæque textum Papiæ interpolatum fuisse affirmat?*

Magna, uti vidimus, in Papiæ fragmento interpretando difficultas ex duplicis Joannis nominis mentione oritur. Hypothesi de duplici diverso Joanne citato, tum ipsius fragmenti textus

(1) Edit. SCHOENE, II, p. 162. — Cfr POGGEL, *o. c.*, p. 13 : « Von μεθ' ὅν ab sind es eigene Worte des Eusebius; dass sie auf Irenäus beruhen, ist unwahrscheinlich, denn an beiden Stellen, wo Irenäus dies von Johannes erwähnt (V, 22, 3 und III, 3, 4), erwähnt er weder Papias noch Polycarp. »

(2) Ed. SCHOENE, II, p. 163.

(3) EUS. *Dem. Evang.*, III, 5 (MIGNE, *P.G.*T.22, p. 216) : « ἐν μὲν γὰρ ταῖς ἐπιστολαῖς αὐτοῦ (Ἰωάννου) οὐδε μνήμην τῆς οἰκείας προσηγορίας ποιεῖται ἢ πρεσβύτερον ἑαυτὸν ὀνομάζει. » — HIER. *ad Theod.*, ep. 75, 3. (MIGNE, *P.L.*T.20, p 687, *Ep.* 146 *ad Evang.* I (ibid., p. 1193) : « Clangat tuba evangelica, filius tonitrui, quem Jesus amavit plurimum... in alia epistula : Presbyter Caio... » Insuper *ad Ageruch. ep.* 173, 12; *ad Paulin ep.* 53, 8 etc. (ibid., p. 1053, 548). — Cfr POGGEL, *o. c.*, p. 18.

(4) Nullam difficultatem relate ad quæstionem nostram movent APOST. CONSTIT. VII, 46 (MIGNE, *P. G.* T. I, p. 103), qui textus « presbyterum Joannem » ab apostolo Joanne tanquam successorem Ephesi fuisse collocatum, exhibet (Ἰωάννης δὲ ὑπ' ἐμοῦ Ἰωάννου). Nullus historicus valor ei tribuendus videtur. Ipse HARNACK scribit (*o. c.* p 662, n. 1) : « doch kann das sehr wohl bereits unter dem Einfluss des Eusebius geschrieben sein. » — Nec majoris faciendus est locus SALOMONIS BASSORENSIS (c. 1220) ubi inter Joannis apostoli discipulos, Joannes quidam computatur « in quem contulit sacerdotium et sedem episcopalem post se ipsum ». — (Cfr HARNACK, *Gesch. ACL.*, I, p. 63). — V. supra p. 73.

(5) *Th. LB.* 1896, p. 467 ss. — Coll. periodico *The Expository Times*, 1897, p. 416 ss.

atque logicus idearum ordo, tum etiam ipsius Eusebii obvia sententia in tortuosa et ambigua ejus subjectiva interpretatione adhuc satis clare relucens, contradicere reperiuntur. Duplicis ejusdem personæ Joannis mentio apud Papiam — quem ipse Eusebius epitheto « σφόδρα σμικρὸς τὸν νοῦν » (*H. E.* III 39) condecoravit, — a priori talem suspicionem, qualem idem phænomenon apud classicum artisque scribendi peritissimum auctorem moveret, menti ingerere non potest. Unde, — quod ex ipsis personarum temporumque circumstantiis deducendum vidimus, — illa ratio a quibusdam allata, quatenus nempe impossibile foret ut eadem persona tanquam vivens et dein tanquam mortua in eodem textu exhiberetur, rejicienda apparuit (1).

Omnis certe difficultas e medio tolleretur, si de veritate hypotheseos ab Haussleiter propositæ constaret, juxta quam prior Joannis nominis mentio in Papiano fragmento ut interpolata traducitur. Unde cum quæstio sit tanti momenti (2), non possumus quin huic sententiæ paulisper immoremur, modumque quo juxta Haussleiter duplex illa mentio introducta fuerit exponamus. Huc autem redit :

Verba « ἢ τί Ἰωάννης » ex ipsa phraseos structura, interpolata esse apparet. Etenim enumeratio tripartita et symmetrica, per bina nomina procedens, concluditur verbis « ἤ τις ἕτερος τῶν Κυρίου μαθητῶν, ἅτε Ἀριστίων κτλ » omissis autem verbis « ἢ τί Ἰωάννης, » habentur tria membra omnino parallela et diversarum formularum usu clare distincta : τὶ Ἀνδρέας ἢ τί Πέτρος — ἢ τί Φίλιππος ἢ τί Θωμᾶς — ἢ Ἰάκωβος ἢ Ματθαῖος. — Formula « ἢ τί » qua nomen Joannis adducitur, interpolatoris manum prodit ; ea nempe phraseos symmetrica dispositio et parallelismus membrorum imperite abrumpitur.

(1) Unde huic argumento quod Haussleiter in favorem sententiæ suæ producit, minime subscribendum esse censemus.

(2) Hæc de nova hypothesi habet Zahn, *Einl.*, II, 1899, p. 217 : « Es ist aber auch sehr zu erwägen, was Haussleiter Theol. Literaturbl. 1896, sp. 467 scharfsinnig ausführt, dass ἢ τί Ἰωάννης wahrscheinlich eine vor Eusebius (und dessen Ubersetzern) in der Text gedrungene Glosse ist. Dafür spricht, dass die offenbar paarweise angelegte Aufzählung hässlich dadurch gestört wird, und dass auch nach Eusebius noch die Liste des Papias um einen Namen vermehrt worden ist. Nicephorus Call. schob noch einen Simon vor Jacobus ein ».

Papiæ enumeratio juxta Haussleiter Matthæi catalogum 10,2-3 sequitur; et revera paritas quædam—non nimis tamen urgenda—inter utramque enumerationem reperitur. Jacobus ille de quo Papias agit, Jacobus Alphæi intelligendus est, qui in Matthæi catalogo post Matthæum citatur, cum Jacobus Zebedæi jam ab Herode Aggrippa trucidatus fuerit (Act. 12, 1-2). Jacobum apud Papiam citatum scriba quidam filium Zebedæi inconsiderate putaverit, et quemadmodum apud Matthæum 10, 2-3 ambo fratres juxtaponuntur, hic etiam Jacobo Joannem adjunxerit. Ita etiam duo evangelistæ Christi vitæ testes oculati juxtaponebantur, qui ordo : Joannes-Matthæus quoad evangelia in manuscriptis ægyptiacis ante Eusebium obtinebat.

Quomodo autem hypothesis illa ab Haussleiter proposita dijudicanda est?

Imprimis, quam facile interpolationes in nominum catalogis irrepant, omnibus notum est, et suspicionem illam ab Haussleiter motam nemo a priori damnabit. Ita post Eusebium Nicephorus Callistus nomen Simonis ante Jacobum in catalogo Papiæ adjecit. Argumentum præterea, ex parallelæ enumerationis subita interruptione deductum, non spernendum videtur; ac duorum fratrum Andreæ et Petri mentio ratio vere sufficiens appareret, qua lector quidam inconsiderate ad Joannem illi Jacobo, quem Zebedæi filium putabat, adjungendum devenerit.

Ipsa etiam Eusebii ratio agendi, hac hypothesi admissa, facili modo explicatur. Etenim repetita « Joannis » mentio, ut ipse fatetur, unica fuit ratio qua ad alterius Joannis præter apostolum existentiam admittendam impellebatur. Alia argumenta in Papiæ opere invenire non potuit, cujus impossibilitatis silentium ejus sufficiens exstat argumentum.

Contradictionis præterea in quam Eusebius, Papiæ opus interpretatus incidit, ratio jam reddi valet. Etenim, cum de Papiæ erga Joannem apostolum habitudine determinanda imprimis Eusebius sollicitus esset, et duplici Joannis mentione in errorem abreptus « ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης » de alio ac de Joanne apostolo intelligeret, aliam significationem voci « πρεσβύτερος » a mente Papiæ alienam parum sibi constans tribuit, et immerito apostolos a vocis « πρεσβυτέρων » comprehensione exclusit.

Hæc jam sufficiunt, ut sententiæ ab Haussleiter prolatæ momentum et probabilitas appareant. Attamen plena hac in re certitudo non ante obtinebitur, quam novi quidam textus patristici effossi fuerint.

CAPUT III

DE S. IRENÆI IN JOANNEA QUÆSTIONE TESTIMONIO.

Omnes qui de Joannea quæstione scripserunt auctores, lugdunensis testimonio maximum momentum tribuerunt. Inter omnes enim antiquos testes qui circa originem evangelii interrogantur, nullus tam determinate et tanta cum persuasiva certitudine locutus est.

Omnia scripta joannea eidem auctori, apostolo scilicet Zebedæi filio tribuit (1); et de *origine* evangelii et Apocalypseos expresse loquitur (2).

Insuper solum Joannem apostolum cognovit, cum tamen Papiæ opus præ manibus haberet, et ut supra vidimus, varia ex eo deprompserit testimonia : de Joanne presbytero quodam qui ab Apostolo distinguendus foret, et juxta plurium Papiæ proœmii interpretationem auctor fuisset scriptorum joanneorum, nullum verbum habet. — Contra Eusebii testificationem Papiam auditorem *apostoli* Joannis vocat (V, 33, 4), et Polycarpum Smyrnæ Episcopum, quem ipse in Asia viderat, Joannis *apostoli* discipulum vocat (III, 3, 4 et *epist. ad Florinum)*. Sæpissime etiam ad « presbyteros » appellat, quos apostolorum, in specie Joannis apostoli, discipulos nominat. Licet cum certitudine determinari nequeat quinam hi presbyteri fuerint, hoc tamen pro momento

(1) Cfr opusculum nostrum : *S. Irénée et le canon du Nouveau Testament*, 1896.

(2) *Adv. H.*, III, 3, 1 : « Ἔπειτα Ἰωάννης, ὁ μαθητὴς τοῦ Κυρίου, ὁ καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ ἀναπεσὼν, καὶ αὐτὸς ἐξέδωκε τὸ Εὐαγγέλιον ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας διατρίβων » — et de Apocalypsi, V, 30, 3 : « οὐδε γὰρ πρὸ πόλλοῦ χρόνου ἑωράθη, ἀλλά σχεδὸν ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς, πρὸς τῷ τέλει τῆς Δομετιανοῦ ἀρχῆς. »

constat, non omnia testimonia horum auctoritate adducta e Papiæ opere fuisse desumpta (1).

Irenæi in testando auctoritas adhuc ex eo augetur, quod primam vitæ partem in Asia degerit, vir fuerit magnæ eruditionis et scientiæ, qui ecclesiæ lugdunensis episcopus factus cum orientalibus ecclesiis relationes servaverit (2), cujusque veracitas extra dubium ponitur.

Unica igitur iis, qui Irenæi circa Joannem ejusque scripta traditionem historico valore destitutam censent, relinquitur explicatio : Irenæus tam parum cum Polycarpo et presbyteris conversatus est, ut quæ de Joanne ii dixerant ipse male intellexerit, et juxta pravam hanc interpretationem etiam Papiæ opus — quoad has saltem traditiones — male sit interpretatus : scilicet hoc modo quæ ex iis fontibus de Joanne presbytero didicerat, ipse inscius in Joannem apostolum transtulerit. Hanc explicationem nuperrime A. Harnack magna cum scientia et eruditione amplexus est (3). Huc autem præcipua ejus asserta redeunt.

I. Irenæus fuerit Polycarpi discipulus, cum natus sit a. 135-142 (valde probabiliter non ante a. 140). — Polycarpus autem a. 155 obierit. Polycarpum tantum coram populo conciones habentem aliquoties audiverit.

II. Irenæus cum « presbyteris » quos sæpe invocat nullas habuit relationes : eorum dicta unice ex Papiæ opere cognovit (4).

(1) V. supra, p. 109 ss.

(2) Ut constat ex *epistola Irenæi ad Victorem Romanum* in favorem Quartodecimanorum asiatarum scripta. Quæ biographiam Irenæi spectant videri possunt apud W. W. Harvey, I, p. cliii ss. — Lightfoot, *Cont. R.*, 1875, May, 1876 August. — Gouilloud, *S. Irénée et son temps*, 1876. — W. Moeller, *Lehrbuch der Kirchengeschichte*, I, p. 208 ss. — Zahn, *G.N.K.* I, p. 23 et passim, *Forsch. G.N.K.* IV (1891), p. 249 ss.—*Opusculum nostrum cit.*, p. 5 ss. — Labourt, *R. B.*, 1898, p. 59 ss.

(3) *Chron. ACL.*, I, 322 ss.; p. 668.

(4) *O. c.*, p. 340, n. : « Was aber die Verbindung des Irenäus mit dem Herrnjünger Johannes und den anderen Aposteln betrifft, so beruht sie lediglich 1) auf einigen Predigten des Polycarp, die Irenäus als Knabe angehört hat (dazu eine Erzählung über Johannes aus dem Munde Polycarp's von Anderen gehört und ihm wiedererzählt, III, 3, 4), 2) auf den im Werke des Papias enthaltenen Relationen. »

III. Polycarpum se Joannis cujusdam discipulum dicentem, et Papiam duos Joannes distinguentem male intellexerit Irenæus.

Ad « presbyteros » quod attinet, vidimus jam citationes earumque introductorias formulas nimis incertas esse, quam ut generaliori modo omnes Papiæ tribuantur. Duas tantum classes « citationum » tunc examinavimus, et quoad utramque talia in textu, contextu vel locis parallelis invenimus indicia, quæ conclusionis Harnackii incertitudinem demonstrabant, vel ei positive etiam obstabant. Ex illis formulis sententia Harnackii igitur nedum commendetur, potius e contra pessumdatur, et ex eis necessitas alios, præter Papiam, fontes Irenæo agnoscendi apparet, quin tamen omnimoda cum certitudine in specie determinari possint.

Primam textuum seriem in quibus fontes introducuntur nondum respeximus (1) : omnes omnino Harnack (p. 334 ss.) scriptis fontibus, eisque circa a. 150 in media adversus Gnosticos pugna oriundis, attribuit.

Hæc conclusio iterum aliquatenus æquo latior ostendi posset. At, cum certitudo rursus obtineri nequeat, et hæ formulæ ad scopum nostrum parum conferre videantur, ab ulteriori examine abstinemus, hoc solum observantes plures scilicet citationes (v. g. sub nn. 4, 5 adductas) proverbiorum modo, traditione orali transmitti potuisse; nec ullum afferri indicium cur fonti ex

(1) I *Præf.* 2 : καθὼς ὑπὸ τοῦ κρείττονος ἡμῶν εἴρηται ἐπὶ τῶν τοιούτων...

2) I, 13, 3 : καθὼς ὁ κρείσσων ἡμῶν ἔφη περὶ τῶν τοιούτων.

3) I, 15, 6 : ὁ θεῖος πρεσβύτης καὶ κήρυξ τῆς ἀληθείας ἐμμέτρως ἐπιβεβόηκε σοι, εἰπὼν οὕτως.... Καὶ ταῦτα μὲν ὁ θεοφιλὴς πρεσβύτης.

4) III, 17, 4, sicut dixit *quidam superior nobis*, de omnibus qui quolibet modo depravant quæ sunt Dei et adulterant veritatem : In Dei lacte gypsum male miscetur.

5) III, 23, 3, quemadmodum *ex veteribus quidam* ait : « Quoniam quidem transtulit Deus maledictum in terram, ut non perseveraret in homine. »

6) IV, *Præf.* 1 : Quemadmodum *hi qui ante nos fuerunt et quidem multo nobis meliores* (cfr supra ὁ κρείσσων), non tamen satis potuerunt contradicere his qui sunt a Valentino.

7) IV, 4, 2, Et bene *qui dixit* ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum : mensura enim Patris Filius, quoniam et capit eum.

8) IV, 41, 1. Quemadmodum et *quidam ante nos* dixit.

9) V, 17, 4. καὶ ὡς ἔφη τις τῶν προβεβηκότων...

quo proveniunt non major antiquitas (quam a. 150) adjudicari possit.

Cæterum, aliunde quam ex Papiæ opere et Polycarpi prædicationibus Irenæum de Joanne asiatico audiisse, ex variis vitæ adjunctis non tantum valde probabile, sed moraliter certum fit. Etenim, priusquam provinciam illam, quam tamdiu rexerat Joannes, reliquit, alios præter Polycarpum de evangelista et discipulo Domini, cujus auctoritas certe sæpissime invocabatur nomenque celebrabatur, loquentes audierit. Quinquaginta (1) circiter annis post illius Joannis obitum, non solus supererat Polycarpus qui celebrem Asiæ patriarcham cognoverat. Et in epocha qua auctoritatis via contra invalescentes Gnosticismi doctrinas (2), fidei christianæ depositum transmittebatur, pluries certe ii qui Irenæum christianam doctrinam docuerunt, ejus nomen citaverint cujus scripta summa veneratione legebantur. Nec improbabilis est illorum sententia, qui putant asiaticam traditionem Irenæum etiam Lugduni accepisse a S. Pothino, probabiliter ex Asia oriundo, et qui a. 175-88 « ὑπὲρ τὰ ἐνενήκοντα ἔτη τῆς ἡλικίας γεγονὼς » (3) martyrium subiit, necnon ab aliis forsan asiaticis, qui, plurium judicio, in Galliam inferiorem transmigraverant.

Certe variæ hic hypotheses fieri possent, in epocha e qua tam pauca historica ad nos usque pervenerunt monumenta (4), et in qua historica methodus fere omnes citationes ex variis sive scriptis sive oralibus fontibus desumptis, promiscue adducere solet. Inter illas hypotheses plures sane inveniuntur quæ, licet nullum forsan textum hodiedum servatum in suum favorem adducere possint, attentione dignæ videntur. Etenim truncatam

(1) In hypothesi scilicet Harnackii qui Irenæum a. 135-142 natum censet.

(2) Hoc patet egregie ex fragmento *epistolæ ad Florinum* HARVEY, II, p. 471 s.

(3) Uti habetur in *epistola* quam : « οἱ ἐν Βιέννῃ καὶ Λουγδούνῳ τῆς Γαλλίας παροικοῦντες δοῦλοι Χριστοῦ, τοῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ Φρυγίαν τὴν αὐτὴν τῆς ἀπολυτρώσεως ἡμῶν πίστιν καὶ ἐλπίδα ἔχουσιν ἀδελφοῖς » scripserunt, EUS., *H. E.*, V, 1. — Cfr GOUILLOUD, LIGHTFOOT, *ll. cc.*, Traditio posterior (TILLEMONT, *Mémoires*, II, p. 343) Pothinum in Asia Minori natum dicit.

(4) Ita solum *adversus Hæreses* opus ex multis Irenæi operibus servatum fuisse, omnibus notum est.

hujus epochæ litteraturam, atque imperfectam scribendi methodum aliquando complere possunt, et ad circumstantias vitæ auctoris repræsentandas conferre valent. Ita Harnack Irenæum ab omni vinculo eum præcedenti generationi alligante solvit, ut status ejus et conditio, attentis variis personæ et loci adjunctis, fere inintelligibilis et omnino improbabilis evadat.

Præterea, utrum tales Irenæi cum Polycarpo fuerint relationes quales Harnack eas exhibet, merito dubitari potest. — Etenim ad chronologiam vitæ Irenæi quod attinet, conclusionem Harnackii, qui Irenæum paulo ante a. 142 natum dicit (1), valde incertam reputamus.

Sequentibus enim indiciis utitur eruditissimus auctor ut hanc chronologiam determinet.

I. Ex conjunctione hujus facti, quod scil. presbyter romanus Florinus ad Valentinianismum versus a. 190 deflexit, cum hoc alio facto quod nempe Irenæus « παῖς ἔτι ὤν » eum viderit in Asia, sequeretur hoc inauditum : Florinum fere nonagenarium a catholica religione defecisse. Nam cum Irenæus dicat : « εἶδον σε παῖς ἔτι ὢν ἐν τῇ κάτω Ἀσίᾳ παρὰ Πολυκάρπῳ λαμπρῶς πράσσοντα ἐν τῇ βασιλικῇ αὐλῇ », Florinum Irenæo saltem 10-15 annis majorem natu fuisse unusquisque dabit.

II. Duo loca *(adv. H.* III, 3, 4 et *epist. ad Flor.)* in quibus Irenæus de sua cum Polycarpi conversatione loquitur, Irenæum in prima juventute (als heranreifender Knabe) vidisse Polycarpum eumque concionantem audivisse — solummodo ostendunt.

III. Textus *adv. H.* V, 30, 3 qui a Zahn ad ætatem Irenæi determinandam invocatur, ad rem non facit; cum verba « ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς » tempus nativitatis Irenæi non respiciant.

Ita sonat : « εἰ γὰρ ἔδει ἀναφανδὸν τῷ νῦν καιρῷ κηρύττεσθαι τοὔνομα αὐτοῦ (Antichristi scil.), δι' ἐκείνου ἂν ἐρρέθη τοῦ καὶ

(1) *Chron. ACL.*, p. 329 : « Rechnet man nicht auf einen Zufall », so hat man anzunehmen, dass Irenäus kurz vor 142 geboren ist; bringt man den « Zufall » in Anschlag, so muss man die Jahre zwischen c. 135-142 offen lassen, das Jahr 130 wäre die äusserste Grenze. » — Fere omnes auctores qui hac de re scripserunt anno 142 anteriorem epocham indicarunt : Ziegler, 147. — Massuetius et Moehler, 140. — Bardenhewer et Lipsius, 130. — Harvey, 128 circiter. — Krueger, 120-125. — Le Nain de Tillemont, Ceillier, Gouilloud, Lightfoot, 120. — Zahn, 115.

τὴν Ἀποκάλυψιν ἑωρακότος· οὐδὲ γὰρ πρὸ πολλοῦ χρόνου ἑωράθη, ἀλλὰ σχεδὸν ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς, πρὸς τῷ τέλει τῆς Δομετιανοῦ ἀρχῆς ».

IV. Textus *ms. Mosquensis de martyrio Polycarpi* « καὶ τοῦτο δὲ φέρεται ἐν τοῖς τοῦ Εἰρηναίου συγγράμμασιν, ὅτι ᾗ ἡμέρᾳ καὶ ὥρᾳ ἐν Σμύρνῃ ἐμαρτύρησεν ὁ Πολύκαρπος, ἤκουσεν φωνὴν ἐν τῇ Ῥωμαίων πόλει ὑπάρχων ὁ Εἰρηναῖος ὡς σάλπιγγος λεγούσης· Πολύκαρπος ἐμαρτύρησεν » — fidem historicam non meretur — Irenæum circa a. 155-56 Romæ docuisse penitus excluditur ex commendatione, quam martyres lugdunenses ei *epistolam ad Eleutherum* episcopum romanum ferenti, dederunt : « Ταῦτά σοι τὰ γράμματα προετρεψάμεθα τον ἀδελφὸν ἡμῶν καὶ κοινωνὸν Εἰρηναῖον διακομίσαι, καὶ παρακαλοῦμεν ἔχειν σε αὐτὸν ἐν παραθέσει, ζηλωτὴν ὄντα τῆς διαθήκας Χριστοῦ. εἰ γὰρ ᾔδειμεν τόπον τινὶ δικαιοσύνην περιποιεῖσθαι ὡς πρεσβύτερον ἐκκλησίας, ὅπερ ἐστὶν ἐπ' αὐτῷ, ἐν πρώτοις ἂν παρεθέμεθα » *(Eus. H. E.* V, 4).

Multum tamen abest ut omnia hæc puncta debita certitudine gaudeant. Imo, datis omnibus — non concessis — non ideo Irenæi de asiatico Joanne testificatio penitus enervatur. Totam hanc quæstionem retractare in animo non habemus. Attamen circa unumquodque argumentum animadversiones quasdam facere liceat (1).

Ad I^m. Florinum fere nonagenarium hæreticum factum esse valde improbabile est (2).

Etenim, Florinum decennio ante Irenæum natum esse admittere sufficit ad textum interpretandum : « εἶδον γὰρ σε παῖς ἔτι ὢν ἐν τῇ κάτω Ἀσίᾳ παρὰ Πολυκάρπῳ λαμπρῶς πράσσοντα ἐν τῇ βασιλικῇ αὐλῇ καὶ πειρώμενον εὐδοκιμεῖν παρ' αὐτῷ. » Jam vero in hypothesi quod Florinus a. 120, Irenæus vero a. 130 natus sit, Florinus a. 190 tantum septuagenarius fuisset. Sed apostasiam Florini a. 190 anteriorem esse censemus. Etenim,

(1) Cfr Labourt, *R. B.* 1898, p. 59 ss. hac de re bene disserentem.

(2) Cfr Labourt, *l. c.* « Nous croyons qu'il n'est pas absurde d'admettre qu'un vieillard octogénaire soit séduit par les hérétiques. Quelle que soit la cause de cette défaillance, elle n'étonnera pas ceux qui se souviennent, qu'à l'âge de cent ans, Hosius, jusque là le champion le plus en vue de l'orthodoxie nicéenne, consentit à communiquer avec Ursace et Valens. Le cas de Florin n'aurait rien de plus extraordinaire. »

ut ipse Eusebius *(H. E. V.* 20, 4) insinuat, *gradatim* ad Valentinianismum deflexit Florinus. Prius enim Irenæus scripsit tractatum περὶ μοναρχίας ἢ περὶ τοῦ μὴ εἶναι τὸν θεὸν ποιητὴν κακῶν. Pergit dein Eusebius : « Ταύτης γὰρ τοι τῆς γνώμης οὗτος ἐδόκει προασπίζειν· ὃι' ὃν αὖθις ὑποσυρόμενον τῇ κατὰ Οὐαλεντῖνον πλάνῃ, καὶ τὸ περὶ ὀγδοάδος συντάττεται τῷ Εἰρηναίῳ σπούδασμα. » Unde tempus aliquod inter primum et secundum Irenæi scriptum effluxerit. Errorem Florini non omnino recentem fuisse quando ad eum reprimendum Irenæus adhortatus est Victorem, ex eo quod scripta Florini jam in Galliam pervenerant ibique christianos læserant, insuper constat. Unde ejusdem epochæ tria scripta dici nequeunt : longe probabilius igitur plures anni inter primum et secundum tractatum, plures rursus hunc inter et epistolam ad Victorem (1) ponendi videntur. Unde non a. 190, sed decennio saltem antea Florinus errorem amplexus est. Nec, ut jam dictum est, eum a. 100 natum dicere cogimur.

Ad II[m]. Immerito Harnack relationes quas Irenæus cum Polycarpo habuit ad prædicationes quasdam restringit. Imprimis sensum vocis « ἑωράκαμεν » (2) ita ut simpliciter « videre » significet, premere non licet; et præter alia plura loca (3) Irenæi

(1) Ipse Harnack cæteroquin ait : « Der Brief an Florinus geht als Warnungsbrief natürlich voran » *Chron. ACL.* I, p. 321, n. 2. Etenim in *epistola ad Florinum* hic membrum ecclesiæ adhuc reputatur (ταῦτα τὰ δόγματα οὐδὲ οἱ ἔξω τῆς ἐκκλησίας αἱρετικοὶ ἐτόλμησαν ἀποφήνασθαί ποτε); *in epistola* autem *ad Victorem* de eo dicitur « quia scriptor jactaverit se unum esse ex vobis. » Cfr LIGHTFOOT, *Cont. R.* May 1875 : « As the treatise of Irenæus on the Ogdoad can hardly have been written later than his extant work on Heresies in which Valentinianism is so fully discussed as to render any such partial treatment superfluous and which dates from the episcopate of Eleutherius (177-190), we are led to the conclusion that the letter to Florinus was one of the earlies writings of this Father ».

(2) IREN. *adv. H.*, III, 3, 4 : Καὶ Πολύκαρπος δὲ οὐ μόνον ὑπο Ἀποστόλων μαθητευθεὶς, καὶ συναναστραφεὶς πολλοῖς τοῖς τὸν Χριστὸν ἑωρακόσιν, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ Ἀποστόλων κατασταθεὶς εἰς τὴν Ἀσίαν ἐν τῇ ἐν Σμύρνῃ ἐκκλησίᾳ ἐπίσκοπος, ὃν καὶ ἡμεις ἑωράκαμεν ἐν τῇ πρώτῃ ἡμῶν ἡλικίᾳ ἐπιπολὺ γὰρ παρέμεινε καὶ πάνυ γηραλέος, ἐνδόξως καὶ ἐπιφανέστατα μαρτυρήσας, ἐξῆλθε τοῦ βίου... ».

(3) Ita II, 22, 5 (v. supra, p. 39 ss. : « quidam eorum non solum Joannem,

quæ afferri possent, contextus huic interpretationi obstat. Etenim, paulo infra apostolos designat his verbis « τῶν λοιπῶν τῶν ἑωρακότων τὸν κυρίον », quæ proprie dictum *discipulatum* certo certius connotant.

Cæterum plura in *epistola ad Florinum* adsunt indicia quæ intimum cum Polycarpo Irenæum habuisse vitæ commercium, haud obscure ostendunt. Ita verba : « εἶδον γάρ σε... παρὰ Πολυκάρπῳ... καὶ πειρώμενον εὐδοκιμεῖν παρ' αὐτῷ. » An hæc duo dixisset Irenæus, se nempe Florinum *apud Polycarpum* vidisse, et Florinum *ut Polycarpo placeret* conatum fuisse, si Polycarpum tantum pluries concionantem audivisset? Hæc verba Irenæum intime cum Polycarpo conversatum esse supponunt; quam interpretationem plura alia indicia confirmant. Nam ait, possem adhuc dicere « τὸν τόπον ἐν ᾧ καθεζόμενος διελέγετο ὁ μακάριος Πολύκαρπος, καὶ τὰς προόδους αὐτοῦ καὶ τὰς εἰσόδους καὶ τὸν χαρακτῆρα τοῦ βίου καὶ τὴν τοῦ σώματος εἰδεαν καὶ τὰς διαλέξεις (1) ἃς ἐποιεῖτο πρὸς τὸ πλῆθος... » Hæc omnia conversationem intimam (præsertim vero verba τὰς προόδους αὐτοῦ καὶ τὰς εἰσόδους) et diuturnam satis clare innuunt, vel nullum habent sensum. Et tamen unicum verbum tantum « διαλέξεις » animadvertisse videtur Harnack. Imo, dicendo « πρὸς τὸ πλῆθος » se quodammodo ab illa multitudine distinguere videtur Irenæus, et totius phraseos constructio « καὶ τὰς διαλέξεις ἃς ἐποῖετο πρὸς τὸ πλῆθος καὶ τὴν μετὰ Ἰωάννου συναναστροφὴν ὡς ἀπήγγελλε κτλ » præter conciones ad populum, aliam a Polycarpo doctrinam se accepisse innuit, cujus objectum breviter describitur. Miratur Harnack Irenæum non dicere « didici a Polycarpo ». Modo æquivalente, sed ad Florinum convincendum forsan magis apto idem declarare videtur.

sed et alios Apostolos viderunt »); III, 3, 3 : Κλήμης, ὁ καὶ ἑωρακως τοὺς μακαρίους Ἀποστόλους »; III, 3, 4 (v. n. 2); IV, 27, 1 (v. supra, p. 110); V, 30, 1 (v. supra, p. 114); V, 33, 3 (v. supra, p. 114).

(1) Putat Harnack *postea* Irenæum non jam fuisse Polycarpi discipulum, cum ad *infantiæ* tempus tunc non provocasset. Alii, iique forsan majores numero, magis opportune dicerent Irenæum hanc epocham in memoriam revocasse, quia tunc tantum temporis Florinum *apud Polycarpum* vidit. Cæterum, ne obliviscamur fragmentum tantum ejus epistolæ servatum fuisse, et omnia fere opera Irenæi temporis injuria deperdita esse.

Verbis « παῖς ἔτι ὤν » et « αἱ ἐκ παίδων μαθήσεις » significationem aliquatenus nimis restrictam tribuit Harnack : textum II 22, 5 stricte urgendum esse non putamus, attamen pueritiæ et juventutis (ἡλικία) ætatem apud veteres Romanos et Græcos multo latius extendi quam apud nos, omnibus notum est (1). Differentiam insuper cum « ἐν τῇ πρώτῃ ἡμῶν ἡλικίᾳ » admittendam esse censemus, quatenus scil. post Florini apud Polycarpum commorationem, Irenæus adhuc apud eum manserit, et ad integram suam apud Polycarpum mansionem Irenæus in hoc loco alluserit, dum e contra in verbis « παῖς ἔτι ὤν » potius momentum illud in quo primum Florinum obviam habuit, respexerit.

Insuper, non recte adv. H. III 3, 4, interpretari videtur Harnack (p. 329, n. 1), quando verba « ἐπιπολὺ γὰρ παρέμεινε » ab Irenæo adducta dicit, ut possibilitatem sui cum Polycarpo commercii ostendat. Etenim, ut ex toto c. III præcedente et ex contextu supra (p. 134, n. 2) citato patet, Irenæus hoc loco de apostolica in ecclesiis per episcopos successione maxime sollicitus est. In nostro textu successionem illam ecclesiis *asiaticis*, in specie hic smyrnensi, non lugdunensi vindicat. Non in sua cum Polycarpo, sed in Polycarpi cum Apostolis conversatione insistit, ita ut phrasis « ὃν καὶ ἡμεῖς ἑωράκαμεν ἐν τῇ πρώτῃ ἡμῶν ἡλικίᾳ » membrum plane incidens et secundarium in contextu evadat. Verba igitur « ἐπιπολὺ γάρ παρέμεινε, καὶ πάνυ γηραλέος... ἐξῆλθε τοῦ βίου » juxta logicam phraseos structuram, et in mente Irenæi, apostolicæ Polycarpi ad Smyrnensem sedem electionis possibilitatem ostendere debent.

Ad III[m]. Nomine « γενεά » humanæ vitæ durationem seu *generationem* necessario intelligi contra Zahn, Lipsius, Labourt aliosque arbitramur : hæc interpretatio ex Irenæi argumentatione omnino requiritur. Dicit enim : « manifestatio nominis Antichristi *nunc temporis* non oportet fieri : secus ipse auctor illam aperuisset : etenim (γὰρ) non ante multum temporis visa est ». Unde ad ætatem Irenæi determinandam non multum inservire potest. Hoc tamen animadverti potest, talem loquendi

(1) Exempla videri possunt apud LIGHTFOOT et LABOURT, *ll. cc.* — Cfr etiam ZAHN, *Forsch. G.N.K.* IV, p. 219 ss.

modum personæ, ætate jam aliquatenus provectæ, magis naturalem videri, cum unusquisque ad propriæ ætatis modulum anteactos eventus æstimare censeatur. Hæc tamen verba plus æquo premere nolumus.

Ad IV^m. Quæstio de *ms. Mosquensi* non unanimam obtinet apud criticos solutionem. Additamentum Pionius scripsit. At, juxta Lightfoot *(Ap. Fath.* II, 2 p. 985) recensio mosquensis illa Pionio posterior est. Tria de Irenæo affirmantur : 1) Irenæum Polycarpi fuisse *discipulum ;* 2) Irenæum Polycarpi martyrii tempore, multos *Romæ* erudiisse ; 3) historia de voce ab Irenæo in instanti Polycarpi martyrio Romæ audita. Omnia hæc rejicienda esse putat Harnack. Lightfoot e contra his notitiis factum Irenæi romanæ commorationis tanquam fundamentum subjacere putat (1).

Revera, licet in ms. Mosquensi generali modo dicatur : « φέρεται ἐν τοῖς τοῦ Εἰρηναίου συγγράμμασιν », factum ipsum Irenæum scil. Romæ docuisse, non eo ipso rejiciendum est, illiusque traditionis ratio est habenda. E sola autem commendatione quam lugdunenses martyres tradiderunt Irenæo, ad Eleutherum Pontificem epistolam deferenti, non evertitur. Etenim, quod Irenæus tanquam incognitus commendatur Eleuthero, qui sub Aniceto jam diaconus erat (Eus. *H. E.* IV, 22), ex eo rationaliter explicari potest, quod jam a viginti annis forsan Romam reliquisset.

Utrum igitur Irenæus circa a. 155 Romæ docuerit potius in medio relinquimus. Interim animadvertimus (2) commendationem martyrum lugdunensium non obstare quominus Irenæus circa a. 130 natus sit.

Hæc de difficili et obscura circa Irenæi nativitatis annum quæstione sufficere possunt, ut impossibilitas cum certitudine

(1) *Cont. R.* 1876, August « This story is not unlikely to have had some foundation in fact. » — Cfr Duchesne, *Les origines chrétiennes*, p. 221. — Renan, *L'Eglise chrétienne*, p. 447, 451, hypothesin sequentem proponit : Irenæus et Florinus Polycarpum Romam euntem comitati fuerint, ibique post ejus profectionem manserint.

(2) Immerito illam commendationem ut stupendam traduci ostendit Labourt, *R. B. l. c.*

annum hujus nativitatis statuendi appareat. Argumenta Harnackii annum 140 anno 130 vel 125 probabiliorem non demonstrarunt.

Hoc saltem concludamus : textus epistolæ ad Florinum intimas S. Irenæum cum S. Polycarpo habuisse relationes ostendit (1), atque Harnackii sententia, hanc conversationem ad quasdam prædicationes restringens, tum ipsis fragmenti verbis, tum posteriori traditioni contradicit.

* * *

CONCLUSIO.

In fine hujus primi capituli, utile erit tractatam materiam recolligere, totumque traditionis de origine Joannis evangelii testimonium summario conspectu considerare. *Unicum* Joannem in Asia provincia diu evangelium prædicasse, illiusque regionis ecclesias in tertia primi sæculi parte rexisse, certissime constat : illum Joannem *auctorem esse quarti evangelii* indubium est. Unde non tantum illi textus qui de evangelii origine *directe* testimonium perhibent, sed et ii omnes examinandi veniunt qui ad Joannis asiatici *identitatem* determinandam conferunt.

Omnes quos hucusque (2) consuluimus testes unanimes evangelium Joanni *apostolo* adjudicant; unanimes omnes Joannem *apostolum*, sæculo primo exeunte, Asiæ fuisse patriarcham prædicant. Dionysius, Eusebius, Hieronymus ac ceteri omnes in duplici hoc facto affirmando concordes inveniuntur. Nec ipse Papias hic excipiendus videtur, quidquid cæterum de Joanne

(1) Immerito etiam ad Irenæi auctoritatem minuendam provocat Holtzmann (*Einl.*, p. 172) ad errores exegeticos quos Irenæus admisit, ut v. g. de numero Apocalypseos et de ætate Christi. Nam in neutro casu asserit Irenæus factum mere historicum (vidimus enim supra p. 39 ss. quomodo Iren. *adv. H.* II, 22, 5 intelligi debeat, et quonam sensu presbyterorum auctoritas invocetur), et in neutro Polycarpi testimonium proponit, quemadmodum in facto historico de commoratione ephesina apostoli Joannis expresse facit.

(2) Plura etenim testimonia magis directe ad quarti evangelii originem spectantia in c. V examinanda remanent.

presbytero senserit. Etenim, commentarium in Apocalypsin scripsisse perhibetur : Eusebius, qui opus Papiæ legit et tantopere de altero, præter apostolum, Joanne inveniendo sollicitus erat, contra propositam methodum (1) hoc maximi momenti punctum non memoravit. Signum est ea quæ de Apocalypsi ejusque auctore Papias referebat, sententiæ Eusebii de Apocalypseos auctore minime favisse. Quartum evangelium etiam cognovit Papias, et Eusebii silentium hac de re iterum origini *apostolicæ* hujus libri favere videtur. Argumentum enim negativum in casu omnino urgeri posse arbitramur.

* * *

Quæstio plane soluta foret ex his externis criteriis, nisi homonyma personalitas traditionem quadamtenus turbaret ; non tamen hoc sensu, ut vidimus, quatenus scilicet auctores qui duos Joannes nominarunt, apostolicam evangelii originem negent aut in dubium revocent ; sed quatenus, probata duorum homonymorum existentia, incertitudinis ratio statim appareat. Unde confusionis possibilitas atque probabilitas prius removenda videtur, quam undequaque firmum judicium in tanti momenti quæstione ferri possit.

Hanc igitur quam plures hodierni critici de duplici Joanne sententiam defendendam ducunt, examinavimus variaque exploravimus fundamenta quibus eam niti arbitrantur.

Imprimis hoc sedulo perpendendum esse comperimus, omnes nempe omnino fontes in quibus alterius Joannis vestigia reperiri dicuntur, *ab invicem pendere*, ita ut tot testes quot habentur fontes minime sint numerandi. Insuper a doctrinali seu dogmatico præjudicio immunis eorum nullus haberi potest : acerrimi omnes materialis millenarismi doctrinæ adversarii inveniuntur, adeoque cum cautela quadam eorum argumenta ponderanda sunt atque interpretanda.

Ita Cajus Romanus ex repugnantia erga millenarismum, Apocalypsin rejicit, de quodam presbytero tamen Joanne non

(1) Cfr supra, p. 90 ss.

cogitat. Imo, ephesinam *apostoli* commorationem implicite confirmat dum dicit « ὡς ὑπὸ ἀποστόλου μεγάλου » *(Eus. H. E.* III, 28, cfr p. 53) et Apocalypsin adscribit Cerintho, quem sui temporis traditio ut apostoli Joannis coævum et adversarium in Asia exhibet.

Dionysius Alexandrinus, eodem ductus dogmatico præjudicio, et Caji de Apocalypsi sententiam cognitam habens, *apostolum* explicite evangelii scriptorem prædicat (1). Quoad Apocalypsin *hypothesin* de homonymo tanquam ejus auctore, proponit; hancque suppositionem vaga et incerta de duobus sepulchris traditione confirmare conatur.

Eusebius evangelium Joannis et primam ejus epistolam tanquam ab *apostolo* scripta firmissime tenet, eaque « ab antiquis omnibus citra controversiam admissa » tradit. Verum, quoad Apocalypsin ubique anceps invenitur. Ut Dionysius, cujus circa Apocalypsin criticam longo sermone refert, de altero Joanne inveniendo cui propheticum librum adjudicare possit, sollicitus est : ita quæ de Joanne presbytero tradit se ex hac sollicitudine referre fatetur, dum ait « οἷς καὶ ἀναγκαῖον προσέχειν τὸν νοῦν. Εἰκὸς γὰρ τὸν δεύτερον, εἰ μή τις ἐθέλοι τὸν πρῶτον, τὴν ἐπ' ὀνόματος φερομένην Ἰωάννου Ἀποκάλυψιν ἑωρακέναι ». Dionysii narratiunculam de duobus sepulchris in historicum factum ulterius evolvit, eamque cum alio eoque novo quodam fundamento connectit, scilicet cum propria Papiæ operis proœmii interpretatione.

Hoc secundum theoriæ de duplici Joanne fundamentum sedulo examinandum est. Sed, ob motivum propter quod adducitur ab Eusebio, et ob hujus minorem erga Papiam existimationem (2), aliquatenus suspectæ fit originis. Attamen ipsa facta potius inspiciamus.

Imprimis Eusebius *ex proœmio* papiani operis deducere voluit Papiam Joannis apostoli auditorem non fuisse. Quod ex ipsis Eusebii verbis eruitur. Ait enim « Αὐτὸς γε μὴν ὁ Παπίας κατὰ

(1) Cfr Eus. *H. E.* VII, 25.

(2) In eodem enim cap. 39 libri III ait de Papia : Σφόδρα γὰρ τοι σμικρὸς ὢν τὸν νοῦν, ὡς ἂν ἐκ τῶν αὐτοῦ λόγων τεκμηράμενον εἰπεῖν φαίνεται. »

τὸ προοίμιον τῶν αὐτοῦ λόγων, ἀκροατὴν μὲν καὶ αὐτόπτην οὐδαμῶς ἑαυτὸν γενέσθαι τῶν ἱερῶν ἀποστόλων, ἐμφαίνει ». Sane infra (III 39, 14, 15) ostendit se ipsum opus legisse ; at judicium quod de relationibus inter Joannem (cujus discipulum Papias se prædicat) et ipsum Papiam fert Eusebius, a prævia proœmii interpretatione jam non est independens. Suspiciones hac ex parte valde ex eo augentur, quod Eusebius, relate ad significationem vocis « πρεσβυτέρων » in proœmio sibi videtur contradicere, et hoc quidem in textu in quo evidenter proœmii synopsin tradit : « Καὶ ὁ νῦν δὲ ἡμῖν δηλούμενος Παπίας, τοὺς μὲν τῶν ἀποστόλων λόγους παρὰ τῶν αὐτοῖς παρηκολουθηκότων ὁμολογεῖ παρειληφέναι, Ἀριστίωνος δέ καὶ τοῦ πρεσβυτέρου Ἰωάννου αὐτήκοον ἑαυτόν φησι γενέσθαι ». Nec aliud quidquam invenit Eusebius in Papiæ opere, præter duplicem Joannis mentionem, unde ad distinctionem concludere potuisset : silentium ejus circa aliud quodvis indicium sufficiens hujus carentiæ est argumentum, quod cæteroqui ex c. 39 contextu confirmatur. Unde omnino ab interpretatione proœmii Eusebii sententiam pendere arbitramur (1).

S. Irenæus Papiam *apostoli* Joannis discipulum, Polycarpi sodalem vocat (*adv. H.* V 33, 4). Irenæo autem quoad Papiam, non vero quoad Polycarpum, contradicit Eusebius, quod iterum theoriæ ejus de duobus Joannes parum favere videtur.

Cuinam igitur fides adhibenda? Irenæus vir cæteroqui doctus et apostolici ævi scriptis satis propinquus, in Asia Minori natus et educatus, Papiam, cujus opus perlegit, Joannis *apostoli* auditorem vocat, et nullius alterius Joannis mentionem habet. — Ex alia parte Eusebius, præjudicio dogmatico ductus, in Papiæ operis proœmio duos Joannes distingui putat ; sed sibi ipsi in hac interpretatione contradicit, dum ex alia parte a naturali et obvio proœmii verborum sensu recedit et a contextu reprobatur.

Irenæo omnino adstipulandum esse censemus, cum insuper tum cum Polycarpi discipulis (2), tum cum ipso Polycarpo

(1) Eo vel magis quod in aliis scriptis communi traditioni adhæret, ut vidimus.

(2) *Adv. H.* III, 3, 4 : « Καὶ εἰσὶν οἱ ἀκηκοότες αὐτοῦ (sc. Polycarpi) ὅτι Ἰωάννης, ὁ τοῦ Κυρίου μαθητὴς κτλ »...

conversatus sit, atque ex hac conversatione proprius ei cognitionis fons adfuerit.

Existentia igitur Joannis presbyteri *ab apostolo distincti*, historice nullo modo est probata (1); e contra plane incerta apparet adeoque rejicienda.

Hæc solutio non tantum præ cæteris longe magis e scriptis fontibus commendatur, dubias hypotheses a quibusdam dubie propositas facile explicat, sed insuper sola possibilis apparet.

Etenim, supposita pro tempore sententia illorum qui asiaticum Joannem non apostolum sed « presbyterum » fuisse putant : eum a posteriori traditione in apostolum commutatum fuisse omnino impossibile ducimus. Talia enim in casu concurrunt adjuncta, ut confusio illa ac personarum substitutio locum habere non potuisset.

Certe, rationes omnes quas contra talem transmutationem afferrendas censemus, non ejusdem sunt ponderis, nec singillatim sumptæ quæstionem æque dirimere valent. Quarum tamen quædam tanta gaudent firmitate, omnesque simul sumptæ talem acquirunt valorem historicum, ut prudens judicium sibi conciliare debeant.

Sequentia enim contra enuntiatam thesin afferri debent præjudicia (2).

1) Error eo minus admittendus est quod de persona magis nota agitur, quæ per longum tempus magnum influxum in plures Asiæ ecclesias exercere debuit, et cujus memoria per quinque scripta in multis servabatur communitatibus.

Impossibile præterea videtur in omnibus illis ecclesiis simul confusionem illam locum habuisse, quin ullum ejus indicium servatum fuerit.

2) Inauditum etiam apparet in ipsa ecclesia ephesina, in qua tamdiu vixit Joannes et in qua sepultus fuerat, *tringinta annis*

(1) Joannis illius presbyteri ne unum certum vestigium habetur. Ita Acta Timothei (ed. Usener, Bonn 1877) sæculo quarto quidem confecta, sed in quibus vetus ephesinæ ecclesiæ historia retractata fuit, unum tantum Joannem, apostolum scil. nominat.

(2) In sequentibus capitibus plura adhuc hac de re animadvertenda venient.

post mortem ejus transmutationem cum Apostolo jam perpetratam fuisse. Nam indubium habemus Justinum circa annum 130 *in ipsa urbe ephesina* nomen scriptoris joanneorum operum, magnique illius viri cujus nomen adhuc in omnium sane ore erat, didicisse. Testis est ab Irenæo aliisque omnino independens, nec error apud ipsum facile admittendus est.

3) Tempore quo Justinus hoc testimonium in Dialogo suo cum Tryphone conscripsit, Polycarpus Romam venit de paschali controversia cum Aniceto tractaturus, ibique « hæreticos convertit in Ecclesiam Dei, unam et solam hanc veritatem annuntians ab Apostolis percepisse se, quam et Ecclesiæ tradidit » *(Ir. adv. H.* III, 3, 4). Alibi ait Irenæus *(fragm. epist. ad. Vict.* Harvey, II, p. 476) : « Neque Anicetus Polycarpo poterat persuadere, ut observare desisteret ; quippe cum Joanne discipulo Domini nostri, et cum *reliquis apostolis* quibuscum multum versatus fuerat, semper observarat ». — Unde auctoritas Joannis, Polycarpi magistri, sæpe fuerit circa 154 Romae invocata. Si 30 annis postea Irenæus, Polycrates (1) aliique Romam scribentes, Apostolum pro presbytero nominassent, an nullus hoc animadvertisset ?

Insuper non omnes quos citavimus testes a Justino et Irenæo pendent, sed alios fontes præ manibus habebant, pluresque forsan opus Papiæ cognoscebant.

4) Nec solus Irenæus Joannem asiaticum a Polycarpo in testem invocari audiverit, sed plures discipuli ab episcopo Smyrnensi edocti fuerunt. An ex illis quibuscum Polycarpus conversatus erat Irenæus nullum vidit? Quod a priori non est verosimile, ex ipso ejus opere reprobandum ostenditur (*adv. H.* III, 3, 4). Ait Harnack (2) ex hoc loco nihil relate ad joanneam quæstionem concludi posse. Sed hoc saltem deducitur, Irenæum propriam, quam a Polycarpo tenebat de Joanne traditionem, cum aliis testimoniis comparare potuisse.

5) Sed Irenæi testimonio fidendum esse putamus.

Etenim principale argumentum quod ad probandum istam

(1) Qui ut vidimus circa a. 125 natus traditionem *localem* ephesinus episcopus refert.

(2) *Chron. ACL.* I, p. 659.

confusionem ab Irenæo patratam fuisse olim allegabatur, ex eo deducebatur, quod similem errorem relate ad Papiam admisisset. At præterquam quod hanc Eusebii interpretationem rejiciendam esse vidimus, certe similem errorem relate ad Polycarpum minime admittimus, cum ad hujus cum Joanne relationes definiendas Irenæus ad *propriam* cognitionem expresse provocaverit.

Ad relationes autem illas quod spectat, — etiam attenta manca et truncata litteraturæ hujus epochæ, in specie Irenæi scriptorum conditione, — ad quasdam prædicationes eas nequaquam restringi posse, e contra ad intimam vitæ conversationem extendi debere compertum habuimus. Licet hoc vitæ commercium in juventute Irenæi reponendum sit, quadraginta circiter annis postea vividam eorum quæ a Polycarpo didicerat, memoriam conservabat. Nomen « Joannes » præ cæteris menti ejus impressum erat, ut locutionis modus innuit : « καὶ τὴν μετὰ Ἰωάννου συναναστροφὴν ὡς ἀπήγγελλε, καὶ τὴν μετὰ τῶν λοιπῶν τῶν ἑωρακότων τὸν Κυρίον » (1). Cæterum summa confidentia quacum Irenæus hanc Polycarpi cum *apostolo* conversationem tanquam irrefragabile argumentum iis proponit, qui, ut Florinus (et Victor Papa), de ejus veritate certiores fieri poterant, omnem erroris formidinem depellere nata est (2). — Non leviter sane homo cæteroqui doctus talia profert. Insuper plures Irenæus habere potuit fontes qui Eusebium latuerunt et nos adhuc latent, licet catenæ illius quacum apostolico ævo annexus apparet, sufficientes annuli nobis servati sint, unde vera historica certitudo eruatur.

(1) *Ep. ad Florinum*. HARVEY, II, p. 472. — Cfr. *ep. ad Victorem*, ibid., p. 476 : « ἅτε μετὰ Ἰωάννου τοῦ μαθητοῦ Κυρίου ἡμῶν, καὶ λοιπῶν ἀποστόλων »...

(2) Cfr WEIZSÆCKER, *Ap. ZA.* p. 481 : « Das ganze Gewicht, welches Irenäus gerade auf die Aposteleigenschaft seines Johannes legt, widerstreitet dieser Annahme (der Verwechselung sc.). »

CAPUT IV.

DE ALOGIS EORUMQUE ADVERSUS JOANNIS EVANGELIUM OPPOSITIONE.

De Cajo presbytero romano supra agentes, quæstionem indicavimus postea solvendam : an et quænam nempe hunc auctorem inter et Alogos relate ad joannea scripta intercederet dependentia. Non parum sane interest hanc relationem accurate determinare, ut æquum de Caji sententia feratur judicium. Præsens quod suscepturi sumus examen latius tamen ducemus. In Alogos enim, eruditorum attentionem plures auctores, præsertim recentiores (1), excitarunt, eorumque adversus joannea scripta oppositionem varie dijudicarunt. Auctores quidam Alogos ut orthodoxos eamdem ut Ecclesia fidei regulam habentes, exhibent, unde eorum adversus quartum evangelium contradictionem, in ipsa Asia Minori ortam, libri apostolicæ origini parum favere tenet. Motivum igitur Alogorum oppositionis sedulo est investigandum.

Quæstioni de Alogis novum adhuc momentum Corssen adjunxit, in eruditissima dissertatione quam circa prologos in multis Vulgatæ manuscriptis præpositos edidit. Quos prologos sæculo tertio confectos dicit auctor atque hæresi infectos, et talia in eis depromit indicia e quibus eruit non solum in Asia, sed Romæ etiam adversarios cum Alogis connexos exstitisse, unde difficul-

(1) Bibliographia qua usi sumus : HEINICHEN, *De Alogis* 1829. — OLSHAUSEN, *Die Ächtheit der vier kanon. Evangelien*, 1823, p. 241 ss. — DOELLINGER, *Hippolytus und Kallistus*, Regensburg 1853, p. 293 ss. — LIPSIUS, *Quellen der ältesten Ketzergeschichte*, 1875 passim. — JUELICHER, *Th. LZ.* 1889, n. 7.— HARNACK, *Dogmengeschichte*, 1894, I, p. 660 ss. — *Chron. ACL.* I, p. 670. — *Das Neue Testament um das Jahr* 200, 1889, p. 58 ss. — LIGHTFOOT, *Biblical Essays*, 1893, p. 114 ss. — DUCHESNE, *Les origines chrétiennes*, p 256 ss. — P. EWALD, *De voornaamste vraag* etc., p. 115 s. — ZAHN, *G. N. K.* passim. — LOISY, *Histoire du canon du N. T.* 1891, p. 132 ss. — SALMON, *Hermathena*, 1892, p. 161 ss. — CORSSEN, *Monarchianische Prologe zu den vier Evangelien*, 1896, p. 47 ss. (*T. U.* XV, 1). — HILGENFELD, *Z. WTh.* 1889, p. 330 ss.; 1895, p. 292 ss. — WURM, *Kath.* 1889, II, p. 187 ss. — ROSE, *R. B.* 1897, p. 816 ss.

tatem gravissimam contra apostolicam quarti evangelii originem oriri contendit.

Hæc igitur connexa quæstio etiam examinanda erit.

Articulus I. — De Alogis Asiaticis.

Annis circiter 165-175 (1) in Asia cœtum quemdam exstitisse qui scripta joannea repudiabat, ex Epiphanio et Philastro (2) novimus. Duo hi scriptores quoad doctrinam et etiam quoad verba consonantes, quæ de Alogorum secta referunt ex Hippolyti « Σύνταγμα πρὸς ἁπάσας τὰς αἱρέσεις » hauserunt (3). Hippolytus

(1) Haud facile est chronologiam Alogorum accurate determinare. Cfr Zahn, *G. N. K.* I, p. 223, n. 2 : « Dass die Zeitangaben bei Epiph. haer. 51, 33 nicht geeignet sind das Alter der von Epiphanus benutzten Quelle und somit diese selbst zu bestimmen, wird Beil, XV, 11 gezeigt. Dürfte man dort die Zahl 112 in 212 ändern, so würde sich A. 163 als die Zeit der sogenannten Aloger ergeben. » — Cfr Harnack, *Chron. ACL.* I, 376 ss. p. 380 : « In den sechsiger Jahren treten wahrscheinlich die « Aloger » in Wort und Schrift gegen die neue Prophetie auf. »

(2) Cfr *Epiph. haer.* 51 (Migne, *P. G.* 41, p. 887 ss. : hac editione usi sumus excepto pro textibus quibus lam statim indicandis). — Philast. *haer.* 60 (Migne, *P. L.* 12, p. 1174).

(3) Zahn, *G. N. K.* I, p. 223. — Harnack, *Dogmengeschichte*, I, 1896, p. 660. Zahn possibile esse ait, licet probari nequeat, Epiphanium insuper a scripto Hippolyti : Ὑπὲρ τοῦ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγελίου καὶ Ἀποκαλύψεως pendere. Cfr etiam Harnack, *o. c.*, p. 661, n. 2 — et Zahn, *G. N. K.* II, p. 970 s., n. 8. — Cfr Rolffs, *T. U.* XII, 4 (1895), p. 140 : Der Abschnitt über die Aloger bei Epiph. h. 51 ist in der Schrift Hippolyts, wie es scheint, recht kurz gewesen, Epiphanius benutzt hier für den grössten Teil seiner Ausführungen Hippolyts Schrift ὑπερ τοῦ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγελίου καὶ ἀποκαλύψεως. Wenn nicht alles täuscht, so beginnt ihre Benutzung c. 4 mit den Worten : καὶ τί, φησὶν, εἶπεν (p. 453, 8) ; denn hier setzt ein neuer Gedankengang ein, da mit dem vorhergehenden Satze : καὶ δοκοῦσι λοιπὸν ἐπιλαμβάνεσθαι τῆς ἁγίας καὶ ἐνθέου διδασκαλίας ein Schlussurteil abgegeben ist. Cap. 1, 2 kommen ganz auf Rechnung des Epiphanius. Hippolyts Schrift kann also nur in Kap. 3 und dem ersten Abschnitt von Kap. 4 benutzt sein, und hier ist sie bestimmt benutzt; man erkennt sie an der milderen Beurteilung, welche die Aloger im Gegensatz zu der des Epiphanius erfahren (s. Lipsius, *Quellen* 108)... Mit dem Satze προσφασίζονται γὰρ οὗτοι κτλ (p. 452, 15) beginnt die Darstellung Hippolyts, die bis zu dem oben citierten Satz (p. 453, 8) reicht; sie umfasst nur 27 Zeilen ».

præterea specialia contra Alogos eorumque sectatores edidit scripta scil. Ὑπὲρ τοῦ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγελίου καὶ ἀποκαλύψεως et Κεφάλαια κατὰ Γαΐου. Cajus ille contra Proclum, Cataphrygarum sectæ patronum, *dialogum* scripsit; at, ut supra vidimus, Apocalypsin rejiciebat — cujus ipse dialogus probabiliter novæ huic Hippolyti in favorem Apocalypseos apologiæ occasio fuit (1).

Ut postea videbimus, quænam reipsa ex Hippolyti scriptis in longa sua tractatione Epiphanius citaverit (2), ægre determinatur. Attamen Alogos in *syntagmate* Hippolyti immediate cum Montanistis ac Quartodecimanis enumeratos fuisse ex Epiphanii, Philastri et Pseudo-Tertulliani catalogis concludere licet (3). Unde Alogos eodem fere tempore in Asia sectam constituisse admittendum est. Jure igitur Epiphanius (h. 51, 1) eorum ortum Montanistarum epochæ annectit. Connexio cum Montanistis certa omnino fieret, casu quo, quod omnino concedendum videtur, caput 33 ab Hippolyti syntagmate penderet : in illo capite autem tanquam acerrimi Montanistarum adversarii apparent. Quæ inimicitia ex capite 35, ubi tanquam Spiritum sanctum ejusque charismata rejicientes exhibentur, egregie confirmatur.

Licet « Alogorum » nomen prior Epiphanius eis tribuerit (4) eorum jam Irenæus mentionem facit *(adv. H.* III, 11, 9), nam convenientiæ Irenæum inter et Epiphanium vigentes, hunc auctorem ex fonte ab Irenæo ipso pendente, ab Hippolyto nempe hausisse ostendunt. Ut autem comparatio facilius instituatur, textum Irenæi exscribimus : « His igitur sic se habentibus, vani omnes, et indocti, et insuper audaces qui frustrantur speciem evangelii et vel plures, quam dictæ sunt, vel rursus pauciores inferunt personas evangelii, quidam ut plus videantur quam est

(1) Zahn, *G. N. K.* I, p. 222.

(2) Zahn, *G. N. K.* I, 224, n. 1 summarie loca excerpta indicat

(3) Bousset, *Die Offenbarung*, p. 162, n.

(4) *Haer.* 51, 3 : Φάσκουσι τοίνυν οἱ Ἀλογοι ταύτην γὰρ αὐτοῖς τιθημι τὴν ἐπωνυμίαν. Ἀπὸ γὰρ τῆς θεῦρο οὕτως κληθήσονται · καὶ οὕτως, ἀγαπητοὶ, ἐπιθῶμεν αὐτοῖς ὄνομα, τουτέστιν Ἄλογοι. Εἶχον γὰρ τὴν αἵρεσιν καλουμένην, ἀποβάλλουσαν Ἰωάννου τὰς βίβλους. — Ex quibus verbis novam fuisse « Alogorum » appellationem, et quænam antiqua fuerit constat.

veritatis adinvenisse, quidam vero ut reprobent dispositiones Dei. Etenim Marcion totum rejiciens evangelium, imo vero seipsum abscindens ab evangelio, partem (Zahn : pariter) gloriatur se habere evangelium. Alii vero ut donum spiritus frustrentur quod in novissimis temporibus secundum placitum Patris effusum est in humanum genus, illam speciem non admittunt quæ est secundum Joannis (Z. Joannem) evangelium, in qua Paracletum se missurum Dominus promisit, sed simul et evangelium et propheticum repellunt spiritum; infelices vere, qui pseudoprophetæ (Z. pseudoprophetas) quidem esse volunt (Z. nolunt) (1), prophetiæ *(al.* propheticam) vero gratiam repellunt ab ecclesia, similia patientes his, qui propter eos qui in hypocrisi veniunt, etiam a fratum communicatione se abstinent. Datur autem intelligi, quod hujusmodi neque Apostolum Paulum recipiant. In ea enim epistola, quæ est ad Corinthios, de propheticis charismatibus diligenter locutus est et scit viros et mulieres in ecclesia prophetantes. Per hæc igitur omnia peccantes in Spiritum Dei, in irremissibile incidunt peccatum. Hi vero qui sunt a Valentino iterum existentes extra omnem timorem, suas conscriptiones proferentes, plura habere gloriantur, quam sint ipsa, evangelia ».

Quidam auctores dubitarunt utrum anonymi hi adversarii cum Alogis Epiphanii identificandi sint, vel etiam negarunt (2). Immerito tamen.

Uti ex Irenæi verbis patet, anonymi illi Joannis evangelium repellunt « ut donum spiritus frustrentur, quod in novissimis temporibus effusum est in humanum genus », nam in Joannis evangelio « Paracletum » se missurum Dominus promisit. Prætextu pseudoprophetas refellendi, ipsam « propheticam gra-

(1) Putamus cum Zahn *(G. N. K.* II, p. 971 ss.) scribendum esse « nolunt » loco « volunt », propter oppositionem quæ ob verba « *quidem-vero* » requiritur, quæque legendo « volunt » disparet. Illa lectio etiam postulatur ob parallelismum cum membro : « similia patientes his » etc. Optime ostendit Zahn lectionem « pseudoprophetæ quidem esse volunt » a græco textu « οἱ ψευδοπροφήτας μὲν μὴ θέλοντες εἶναι » derivari, unde μή exciderit, et consequenter ψευδοπροφήτας in ψευδοπροφήται mutatum fuerit.

(2) Cfr apud Zahn, *G. N. K.* I, p. 240, n. 2. — Cfr Hilgenfeld, *Z. W Th.* 1889, p. 331-334. — Holtzmann, *Einl.*, p. 426, n. 3.

tiam repellunt ab ecclesia ». — Apostolum Paulum « propheticis charismatibus » faventem etiam rejiciunt ». — Per hæc omnia peccant « in Spiritum Dei ».

His verbis satis clare adversarii Montanistarum immoderati describuntur : non ipsorum Montanistarum sed imperitorum adversariorum doctrina hic dijudicatur. Animadvertendum est insuper Irenæum quasi per transennam de eorum doctrina sermocinari, in quantum scilicet respicit quadriforme evangelium de quo in contextu agitur. Utrum in aliis punctis ab orthodoxia recedant, vel etiam alios Joannis libros repudient, Irenæus hic non tradit (1). Sed cum Zahn recte confici potest propheticam Apocalypsin ab iis non fuisse receptam, qui *omnem prophetiam* ab Ecclesia repellendam contendebant.

His agitur statutis, quid Philaster (*hær.* 60) et Epiphanius (*hær.* 51) circa Alogos tradant. consideremus. Ita Philaster loquitur, (LX *Hæresis evangelium Joannis et Apocalypsin ipsius rejiciens)* : « Post hos sunt hæretici qui evangelium secundum Joannem et Apocalypsin ipsius non accipiunt, et cum non intelligunt virtutem Scripturæ, nec desiderant discere, in hæresi permanent pereuntes, ut etiam Cerinthi illius hæretici esse audeant dicere et Apocalypsin itidem, non beati Joannis evangelistæ et apostoli, sed Cerinthi hæretici, qui tunc ab Apostolis beatis hæreticus manifestatus, abjectus est ab Ecclesia ».

Epiphanius modo prolixo et satis diffuso per 35 capita de Alogis disserit. Sufficiat pro tempore præcipua indicare loca e quibus affinitas Irenæo cum desumi potest. C. 1 indicium aliquod reperitur : dicuntur nempe « ἐπιγέοι ὄντες καὶ πρὸς τὰ ἐπουράνια ἀπεχθανόμενοι », quibus verbis ad chiliasmum eorum alludi videtur.

C. 3 : Εἶχον γὰρ τὴν αἵρεσιν καλουμένην, ἀποβάλλουσαν Ἰωάννου τὰς βίβλους..., et in fine : Λέγουσι γάρ μὴ εἶναι αὐτὰ

(1) Quod ex Marcionis exemplo immediate antea citati apparet : dicitur hic Marcion « totum evangelium » rejecisse, quin de ejus erga cætera Novi Testamenti scripta relatione quidquam exprimatur. Scimus autem ex aliis Irenæi locis (v. g. III, 12, 12) Marcionem « quasdam quidem (scripturas) in totum non cognovisse, secundum Lucam autem Evangelium et epistolas Pauli decurtasse ».

Ἰωάννου, ἀλλὰ Κηρινθου· καὶ οὐκ ἄξιά αὐτά φασιν εἶναι ἐν Ἐκκλησίᾳ.

Capita 4-31 exclusive evangelium respiciunt, eaque pro tempore seponimus, utpote postea examinanda et præsenti quæsito elucidando haud apta.

C. 32 ait Epiphanius eosdem illos (οἱ τοιοῦτοι) evangelii adversarios etiam Apocalypsin impugnare, tresque eorum contra propheticum librum objectiones refert :

1) « Φάσκουσι δὲ κατὰ τῆς Ἀποκάλυψεως τάδε κλευάζοντες· Τί με, φησίν, ὠφελεῖ ἡ Ἀποκάλυψις Ἰωάννου, λέγουσά μοι περὶ ἑπτὰ ἀγγέλων, καὶ ἑπτὰ σαλπίγγων »;

2) C. 33 : « Εἶτά τινες ἀξ αὐτῶν πάλιν ἐπιλαμβάνονται τούτου τοῦ ῥητοῦ ἐν τῇ Ἀποκαλύψει τῇ αὐτῇ καὶ φάσκουσιν ἀντιλέγοντες, ὅτι εἶπε πάλιν· Γράψον τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐκκλησίας τῷ ἐν Θυατείροις, καὶ οὐκ ἔνι ἐκεῖ ἐκκλησία Χριστιανῶν ἐν Θυατείρῃ· Πῶς οὖν ἔγραφε τῇ μὴ οὔσῃ »;

3) C. 34 : « Καὶ φασιν ὅτι : εἶδον, καὶ εἶπε τῷ ἀγγέλῳ· Λύσον τοὺς τέσσαρας ἀγγέλους τους ἐπὶ τοῦ Εὐφράτου κτλ ».

Jamvero ex secunda objectione Alogos propheticum Apocalypseos characterem negasse apparet ; — quod cum Irenæi de Alogis doctrina convenit. Quin omnes hujus capituli difficultates solvere velimus (1), hoc tamen statuere liceat : Alogi falsam et fictitiam epistolam (*Apoc.* II, 18) ad ecclesiam Thyatiræ scriptam, adeoque prophetico spiritu orbatam dicebant Apocalysin, quatenus ecclesia illa tota ad Montanistas transiisset, adeoque nullam jam tunc temporis ecclesia christiana ibi existeret (Ἐὰν γὰρ εἴπωσιν, οὐκ ἔνι νῦν ἐκκλησία εἰς Θυάτειρα. Τότε δὲ ἡ πᾶσα Ἐκκλησία ἐκενώθη εἰς τὴν κατὰ Φρύγας... ὡς μελλούσης τῆς ἐκεῖσε ἐκκλησίας πλανᾶσθαι καὶ χωρεύεσθαι ἐν τῇ κατὰ Φρύγας αἱρέσει). Ita prophetia de Thyatirensi ecclesia falsa dicebatur.

(1) Cfr Lipsius, *Die Quellen der aeltesten Kirchengeschichte*, 1875, p. 109 s. — Duchesne, *Les origines chrétiennes*, p 334. — *Kath.* 1889, II, p. 187 ss. — Hennecke, *Th. LZ.* 1894, p. 439. — Rolffs, *T. U.* XII, 4 (1895), p. 124 ss — H. Holtzmann, *Th. LZ.* 1897, p 332 s. — Zahn, *G. N. K.* I, 216 s., n. — Harnack (*Chron. ACL.* I, p. 376, n. 2) loco « ἐνοικησάντων γὰρ τούτων ἐκεῖσε καὶ τῶν κατὰ Φρύγας κτλ» legendum proponit ἐνοικησάντων γὰρ τούτων ἐκεῖσε τῶν κατὰ Φρύγας κτλ; quæ lectio ex contextu commendatur, et miram illam Alogorum cum Montanistis conjunctionem tollit.

Epiphanius totus in eo est ut characterem Apocalypseos propheticum ostendat. Factum illud transitus totius communitatis ad Montanismum concedit, sed consequentiam inde deductam negat, quatenus scilicet ecclesiæ Thyatirensis, falsa prophetici spiritus persuasione deceptæ, momentanea interruptio a Spiritu sancto prædicta fuerit (1). Joannes, ait, « ἄρα γοῦν κατὰ προφητείαν ἔγραφε », et concludit tandem : « δεικνυμένου τοῦ κατὰ τὴν Ἀποκάλυψιν λόγου προφητικοῦ ὄντος, ἐκ Πνεύματος ἁγίου κατὰ ἀλήθειαν ».

Ex quibus adversarios prophetici in ecclesia Spiritus ab Epiphanio impugnari jure merito colligitur.

Tertia objectio (c. 34), collata cum quarto fragmento Gwynn (2), ostendit Epiphanium ex Hippolyti scriptis argumenta quædam contra Alogos hausisse. Utrobique enim « Angeli qui alligati sunt in flumine magno Euphrate » (*Apoc.* 9, 14 ss.), intelliguntur quatuor cædem nationes (3) Persæ, Medæ, Babylonii et Assyrii ; utrobique ad probandam gentes Angelis esse subjectas *Deut.* 32, 3 introducitur.

Exinde sane Epiphanium scriptum Hippolyti Κεφάλαια κατὰ Γαΐου adhibuisse nondum probatur : iisdem quandoque argumentis adversus Alogos in Συνταγμα πρὸς ἁπάσας τὰς αἱρέσεις (vel etiam in tractatu Ὑπὲρ τοῦ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγελίου καὶ ἀποκαλύψεως) et in Κεφάλαια κατὰ Γαΐου Hippolytum usum esse apparet : illa autem argumenta Hippolytus iis quæ apud Irenæum III, 11, 9 inveniebat, adjunxerit. Porro satis intimam connexionem Irenæum inter et Epiphanium (c. 35) reperire est. Ita enim Epiphanius scribit : « Ἀλλὰ οὗτοι μὴ δεξάμενοι Πνεῦμα ἅγιον, ἀνακρίνονται μὲν πνευματικῶς, μὴ νοοῦντες τὰ τοῦ Πνεύματος καὶ κατὰ τὸν λόγον (Cod. Ven. κατὰ τῶν λόγων τοῦ Πνεύματος) βουλόμενοι λέγειν καὶ οὐκ εἰδότες τὰ ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ χαρίσματα ἅτινα ἀληθῶς (Ven. ἀληθινῶς) καὶ εὐσταθῶς ἐν παρα-

(1) Vult Epiphanius Apocalypsin 2, 20-23 prædictionem in Priscillam, Maximillam et Quintillam quadrantem continere.

(2) Gwynn, *o. c.* p. 402, 414 coll. Zahn, *G. N. K.* II, p. 237, II, 977 ss.

(3) *Epiph.* « Εἰ οὖν τὰ ἔθνη ὑπὸ ἀγγέλους εἰσὶ τεταγμένα » *Hippol.* in IV fragm. (trad. Zahnii, p. 978) : « Da also die Völker Engeln übergeben sind, und ein jedes Volk einem Engel zugefallen ist ».

κολουθήσει καὶ ἐῤῥωμένῳ νῷ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον διηγήσατο, οἵ τε ἅγιοι προφῆται καὶ οἱ ἅγιοι ἀπόστολοι· ἐν οἷς καὶ ὁ ἅγιος Ἰωάννης διὰ (τε add. Ven.) τοῦ εὐαγγελίου καὶ τῶν ἐπιστολῶν καὶ τῆς ἀποκαλύψεως ἐκ τοῦ χαρίσματος τοῦ ἁγίου μεταδέδωκε (Ven. add. τῇ ἁγίᾳ Ἐκκλεσίᾳ). Φθάνει δὲ καὶ ἐπ' αὐτοὺς τὸ εἰρημένον ὅτι : Τῷ βλασφεμοῦντι εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιόν, οὐκ ἀφεθήσεται αὐτῷ οὐδὲ ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, οὐδὲ ἐν τῷ μέλλοντι ». (Cfr Iren. : ut donum Spiritus frustrentur... propheticum repellunt spiritum... propheticam (al. prophetiæ) gratiam repellunt ab Ecclesia... Per hæc igitur omnia peccantes in Spiritum Dei, in irremissibile incidunt peccatum) (1).

Non alios igitur quam ipsos Alogos, Montanistarum adversarios, Irenæus II, 11, 9 refellere intenderit. Irenæum, novis tamen adductis argumentis, Hippolytus secutus fuerit, cujus refutationem iterum Epiphanius sat longo sermone evolverit. Irenæus clare indicaverat ideo Alogos quartum evangelium respuere, quia « pseudoprophetas esse nolebant », ex nimia scilicet contra Montanismum repugnantia, ad modum illorum qui ad hypocritas devitandos » etiam a fratrum communicatione se abstinent «. — Causa illa erroris apud Epiphanium vix aut ne vix quidem apparet (2) : potius criticam eorum contra quartum evangelium et Apocalypsin fuse exponit. Manet igitur, antequam Alogorum adversus joannea scripta repugnantiam dijudicemus, ut doctrinam illorum — qualis ex Epiphanio erui potest, — eorumque cum Ecclesia relationem investigemus.

Alogi, ut hucusque vidimus, fervidi omnino Montanistarum adversarii erant, ita ut montanistas communitates extra Ecclesiam dicerent (Epiph. 51, 33), omnem omnino prophetiam ab Ecclesia repellerent, Spiritum sanctum ejusque charismata rejicerent (Ir. III, 11, 9, Epiph. 51, 35). Scripta joannea quibus

(1) Videsis quæ de hac dependentia Zahn, *G. N. K.* I, p. 226 (et n. 1) s. tradit.

(2) Apud Epiph. *h.* 51, c. 33 nullo modo tanquam Montanistis consentientes atque unanimes exhibentur. Rem optime Zahn, *G. N. K.* I, p. 246-47, n. 1 explicat. Putamus insuper in ipsis Alogorum verbis (horum etenim verba censemus esse : « καὶ οὐκ ἔνι ἐκεῖ ἐκκλησία Χριστιανῶν ἐν Θυατείρῃ) indicium Alogorum odii in Montanistas reperiri putamus, quatenus scilicet eos Alogi tanquam Ecclesiæ extraneos haberent.

Montanistæ ad suam doctrinam defendendam præsertim nitebantur, rejiciebant (Ir. Epiph. Phil.), eaque a Cerintho scripta fuisse volebant (Epiph. Phil.). Cur de evangelio tantum loquatur Irenæus jam supra notavimus. Epiphanius et Philaster Apocalypseos etiam mentionem faciunt. Ut ex formulis generalibus apud Epiphanium (1) conjicere licet, Hippolytus in genere etiam de « scriptis Joannis » a Montanistis rejectis, locutus fuerit; de epistolis tamen Epiphanius specialem habuerit mentionem (2). Jam supra objectiones quas contra Apocalypsin movebant Alogi, exposuimus. Hæc autem contra evangelium afferebant scilicet evangelium Joannis cum ceteris apostolorum scriptis minime convenire (51, 4, ὅτι οὐ συμφωνεῖ τὰ αὐτοῦ βιβλία τοῖς λοιποῖς ἀποστόλοις); — illud evangelium falsum continere (51, 18, ψεύδεται); — denique debita ordinatione carere (ibid. ἀδιάθετον (3) εἶναι).

Hæ in specie indicantur discrepantiæ cum Synopticis :

1) Joannes statim post prologum narrat baptismum Christi, iter in Galilæam, electionemque discipulorum; alii vero evangelistæ prius commerationem in deserto et tentationem referunt (c. 4). — Respondet Epiphanius « Καὶ οὐκ οἰδασιν οἱ ἀπαρακολούθητοι, ὅτι ἑκάστῃ εὐαγγελιστῇ μεμελέτηται συμφώνως μὲν τοῖς ἑτέροις λαλῆσαι τὰ ὑπ' ἐκείνων εἰρημένα· ἀλλὰ δὴ τὰ ὑπ' ἐκείνων ῥηθέντα παραλειφθέντα οὕτως ἀποκαλύψαι » (c. 4, coll. c. 17). Ostendit insuper initium etiam apud synopticos differre, quos tam inter se quam cum Joannis evangelio harmonice convenire

(1) Epiph. *h.* 51, 3 : Εἶχον γὰρ τὴν αἵρεσιν καλουμένην, ἀποβάλλουσαν Ἰωάννου τὰς βίβλους. « Καὶ εἰ μὲν ἐδέχοντο τὸ Εὐαγγέλιον, τὴν δὲ Ἀποκάλυψιν ἀπεβάλλοντο, ἐλέγομεν ἄν, μὴ πῆ ἄρα κατὰ ἀκριβολογίαν τοῦτο ποιοῦνται, ἀπόκρυφον μὴ δεχόμενοι, διὰ ἐν τῇ Ἀποκαλύψει βαθέως καὶ σκοτεινῶς εἰρημένα ὁπότε δὲ οὐ δέχονται φύσει τὰ βιβλία τά ἀπὸ τοῦ ἁγίου Ἰωάννου κεκηρυγμένα »; vide et n. seq.

(2) 51, 34... ἵνα δόξωσι παρεκβάλλειν τὰ του ἁγιου Ἀποστόλου βιβλία, φημὶ δὲ Ἰωάννου τό τε εὐαγγέλιον καὶ τὴν Ἀποκάλυψιν, τάχα δὲ καὶ τὰς ἐπιστολάς. Συνάδουσι γὰρ καὶ αὗται τῷ Εὐαγγελίῳ καὶ τῇ Ἀποκαλύψει. Ratiocinando tamen ad hanc de epistolis conclusionem devenisse videtur.

(3) Putamus enim hunc sensum huic voci in nostro loco tribuendum esse a Zahn (*G. N. K.* II, p. 971 s. n.) contra Juelicher (*Th. LZ.* 1889, p. 169) peremptorie fuisse demonstratum.

firmissime tenet et componere conatur, variasque hæreses in eis jam refutatas fuisse ostendit (c. 4-c. 21).

2) Alia differentia in chronologia reponebatur, c. 22 : « φησίν, ὁ Ἰωάννης ἔφη περὶ δυο Πασχῶν τὸν Σωτῆρα πεποιηκότα, οἱ δὲ ἄλλοι εὐαγγελισταὶ περὶ Πάσχα ἑνός ». — Probat Epiphanius tria Christum paschata celebrasse.

Varias quas juxta Epiphanii testimonium contra evangelium et Apocalypsin Alogi inferebant difficultates, ex fontibus suis Epiphanius recte hausisse videtur, uti ex formulis λέγουσι γὰρ... φάσκουσι γὰρ... φάσιν etc. apparet, et præsentis temporis usus ostendit. Nam ubicumque proprium de Alogis refert judicium præterito utitur tempore, et de Alogis tanquam de epochæ jam aliquatenus anteactæ hæreticis loquitur (1).

* * *

Examinanda jam venit quæstio acriter hodie inter acatholicos præsertim disputata de Alogorum orthodoxia.

Zahn (2) Alogos ab Epiphanio ut plane orthodoxos exhiberi putat. Plures alii auctores christologicos errores eis tribuunt (3). Harnack quidem præter tendentiam antimontanisticam, adhuc doctrinam antignosticam (antidocetistam) Alogis attribuit, quatenus scilicet (ad evangelium Joannis quod attinet), Docetarum christologiæ Adoptianistarum christologiam opponebat (4) : criteriis internis moti fuerint ut scripta joannea falsa et Joanni a Cerintho supposita fuisse dicerent. Corssen vero Alogos omni Monarchianismo expertes fuisse dicit, quin tamen quemadmodum Zahn et Harnack tenent, eos plane ecclesiasticos seu catholicos viros habitos fuisse concedat (5).

(1) 51, 3 : Εἶχον γὰρ τὴν αἵρεσιν... 33 ἐστρατεύοντο.

(2) *G. N. K.* I, p. 247 ss. : « In den thatsächlichen, aus der alten Quelle geflossenen mittheilungen des Epiphanius über diese Aloger ist nichts erhalten was sie als Gegner der Logoslehre darstellte. » Ei Bousset consentit, *Die Offenbarung*, 1896, p. 17.

(3) Luthardt, *o. c.* p. 19 ss. — Wurm, *Kath.* 1889, II, p. 187 ss. etc.

(4) *Das Neue Testament um das Jahr* 200, p. 61 ss. — *Dogmengeschichte* 1894, I, p. 660 ss. — *Chron. ACL.* I, p. 670. — Cfr Lipsius, *Die Quellen der aeltesten Kirchengeschichte* 1875, p. 101 ss.

(5) *o. c.* p. 59 ss.

Peculiarem de Christo doctrinam Alogis neque Irenæus, neque Philaster tribuit. Fons hic unicus est Epiphanius, nam ea quæ Philaster cum Epiphanio communia habet omnino generalia sunt. E contra Epiphanius, ut diximus, sententiam Alogorum circa joannea scripta membratim exponit, eorum argumenta refutat, et media in hac refutatione varia ad christologiam spectantia introducit. Undenam illa specialia argumenta desumpta sunt? Quosnam in his tractandis fontes præ manibus habebat Epiphanius? Responsio non ita patet.

Longam illam Epiphanii dissertationem attente legenti apparet singulis fere capitibus Epiphanium tum fontes adhibuisse, tum etiam propria admiscuisse elementa. Utrorum vero principiorum distinctio plerumque non est obvia : a fontium tamen determinatione integra pendet orthodoxiæ Alogorum quæstio. Imprimis, notemus immerito plura loca invocari ad hanc peculiarem Alogorum christologiam probandam.

Ita Wurm (*Kath.* 1889, II, p. 193 s.), ipso « Alogorum » nomine ac pluribus talibus nititur locis, in quibus τὸν Λόγον rejicere dicuntur (c. 3 et 28). At, imprimis ad nomen ipsum quod attinet, eum ab Epiphanio impositum fuisse satis clare indicatur, ut monuimus. Initio autem c. 36 (1), et medio c. 18 (2) ubi novam appellationem justificare intendit, ipse loquendi modus manifestat eum e solo Joannis scriptorum rejectionis facto ad hanc conclusionem « τὸν Λόγον οὐ δέχονται » devenisse. Imme-

(1) C. III : Φάσκουσι τοίνυν οἱ Ἄλογοι ταύτην γὰρ αὐτοῖς τίθημι τὴν ἐπωνυμίαν. Ἀπὸ γὰρ τῆς δεῦρο οὕτως κληθήσονται καὶ οὕτως, ἀγαπητοί, ἐπιθῶμεν αὐτοῖς ὄνομα, τουτέστιν Ἄλογοι. Εἶχον γὰρ τὴν αἵρεσιν καλουμένην, ἀποβάλλουσαν Ἰωάννου τὰς βίβλους. Ἐπεὶ οὖν τὸν Λόγον οὐ δέχονται τὸν παρὰ Ἰωάννου κεκηρυγμένον, Ἄλογοι κληθήσονται. Ἀλλότριοι τοίνυν παντάπασιν ὑπάρχοντες τοῦ κηρύγματος τῆς ἀληθείας, ἀρνοῦνται τὸ καθαρὸν τοῦ κηρύγματος, καὶ οὔτε τὸ τοῦ Ἰωάννου Εὐαγγέλιον δέχονται, οὔτε τὴν αὐτοῦ Ἀποκάλυψιν. Ex quibus verbis apparet Epiphanium Verbum scriptis substituisse. Quod ex verbis sequentibus adhuc clarius ostenditur, cum scriptorum repudiatio ut motivum indicetur cur eis I Jo. 2, 18 applicandum sit.

(2) Ἠλέγχθησαν καὶ οἱ ἀποβαλλόμενοι τὸ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγέλιον, οὓς δικαίως Ἀλόγους καλέσομαι, ἐπειδὴ τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ ἀποβάλλονται, τὸν διὰ Ἰωάννην κηρυχθέντα....

rito etiam Lipsius *(o. c.* p. 103) locum c. 18 allegat ut probet Alogos docuisse « ἀπὸ Μαρίας καὶ δεῦρο Χριστὸν αὐτὸν καλεῖσθαι καὶ Υἱὸν Θεοῦ ἄνθρωπον, κατὰ προκοπὴν δὲ ἠκέναι εἰς τὸ καλεῖσθαι Υἱὸν Θεοῦ ». Harnack *(Chron. ACL.* I, p. 663 n. 4) utrum illa verba Alogos respiciant dubitat. Censemus autem verbis « τῶν νομιζόντων » Alogos non designari.

Illis verbis enim generatim tantum scopus seu character quarti evangelii enuntiatur, ut ex vocibus « τῆς θείας φράσεως » et « τὴν ἀνωθεν. οἰκονομίαν » liquet : tota illa periphrasi Epiphanius quartum evangelium contra eos qui Christi divinitatem negabant scriptum fuisse affirmat. Ita alibi sæpe Joannem contra Cerinthum, Ebionem aliosque scripsisse ostendit, quin idcirco Alogis illorum hæreticorum doctrinam adscribat. Ita scopus refellendi Ebionem et Cerinthum « τὸν Χριστὸν ἐκ παρατριβῆς ψιλὸν ἄνθρωπον » dicentes, jam c. II (quod integrum Epiphanius ipse exarasse videtur) Joannis evangelio tribuitur ejusque « divinus character ostenditur ». C. 3 quam parum Cerinthi doctrinæ faverent Alogi, ipse Epiphanius ex fontibus ostendit : « Λέγουσι γὰρ μὴ εἶναι αὐτὰ Ἰωάννου, ἀλλὰ Κηρίνθου καὶ οὐκ ἄξια αὐτὰ φασιν εἶναι ἐν Ἐκκλησίᾳ ». Alogi igitur Cerintho ejusque doctrinæ nullo modo favebant. Pluribus insuper aliis locis de hæresi illa Epiphanius agit, quin ulla unquam indicia adsint unde concludere liceat eumdem vel similem errorem Alogos professos fuisse. Ita in fine c. 6 Alogos intendi contra Harnack (1) et Corssen (2) negandum putamus : nam verba « τοῖς προειρημένοις » (3) minime Alogos designant. Hoc variis rationibus suadetur.

Etenim « τοῖς προειρημένοις » intelliguntur « Cerinthus, Ebio,

(1) *Chron. ACL.* I, p. 662.

(2) *o. c.* p. 47 s.

(3) Δευτέρου δὲ γενομένου εὐαγγελιστοῦ καὶ μὴ περὶ τῆς ἄνωθεν καταγωγῆς Θεοῦ Λόγου τηλαυγῶς σημάναντος· ἀλλὰ πάντη μὲν ἐμφαντικῶς, οὐ μὴν κατὰ ἀκριβολογίαν τοσαύτην, γέγονε τοῖς προειρημένοις, εἰς δεύτερον σκότωσιν τῶν διανοημάτων, τοῦ μὴ καταξιωθῆναι πρὸς φωτισμὸν τοῦ Εὐαγγελίου, λεγόντων αὐτῶν, ὅτι Ἰδοὺ δεύτερον Εὐαγγέλιον περὶ Χριστοῦ σημαῖνον, καὶ οὐδαμοῦ ἄνωθεν λέγων τὴν γέννησιν· ἀλλὰ φησιν· Ἐν τῷ Ἰορδάνῃ καθῆλθε τὸ Πνεῦμα ἐπ' αὐτὸν, καὶ φωνή· Οὗτός ἐστιν ὁ Υἱός ὁ ἀγαπητός, ἐφ' ὃν ηὐδόκησα.

Merinthus, et Cleobius sive Cleobulus, et Claudius ac Demas et Hermogenes » de quibus statim antea locutus erat Epiphanius (1). Dein verba « εἰς δεύτερον σκότωσινη » (2) circa hanc identificationem nullum relinquunt dubium. Epiphanius quatuor evangeliorum coordinationem, et eorum ad invicem nonobstante uniuscujusque peculiari scopo et charactere harmoniam, exponere conatur (3). Marci evangelii initio non Joannis evangelii exordium opponit, ut Harnack et Corssen putant, sed objectionem Cerinthi aliorumqae « merum hominem » Christum fuisse dicentium refert, unde divinitati Christi Marci evangelium minime favere contendebant. In hoc de quatuor evangeliorum consonantia et opportunitate ratiocinandi modo, postea tantum (c. 12) de quarto evangelio sermo fit (4). Scimus præterea Cerinthum descensui Spiritus sancti sub columbæ specie peculiarem significationem tribuisse (5) : hunc autem locum illi « προειρήμενοι » præcise laudant, illumque in favorem cælestis « generationis » seu divinæ naturæ Christi procedere negant (cfr c. 20).

Postea c. 7 (6), 10 (7), 12 (8) Cerinthus citatur, eique « οἱ

(1) De iis dein ait connexionem cum sequentibus indicans : « Παρατρίψασα δὲ ἑαυτῆς τὸ μετώπιον ἡ ἀναισχυντία, ἑαυτῇ κατὰ ἐπισπάσασθαι ἐφιλομήσατο ».

(2) Priori errori Matthæi evangelium occasionem dedit, ut initio capitis exponitur.

(3) Circumstantiæ hic etiam in quibus orta sunt evangelia indicantur, quin tamen omnia ad litteram sumenda ipse Epiphanius voluerit : opportunitas seu utilitas, character et origo historica evangeliorum confuso modo simul tractantur.

(4) Quatuor evangeliorum coordinatam mentionem observa : c. 5 « Οὗτος τοίνυν ὁ Ματθαῖος...; c. 6 : Εὐθὺς δὲ μετὰ τὸν Ματθαῖον... ὁ Μάρκος...; c. 7 : Ἐπειδὴ δὲ ταῦτα οὕτως ἐν τοῖς τοιούτοις ἀνοήτως ἐτελεῖτο, ἀναγκάζει τὸ ἅγιον Πνεῦμα, καὶ ἐπινύττει τὸν ἅγιον Λουκᾶν...; c. 11 : Ἰδοὺ τρίτον εὐαγγέλιον τὸ κατὰ Λουκᾶν..., et c. 12 : Διὸ ὕστερον ἀναγκάζει τὸ ἅγιον Πνεῦμα τὸν Ἰωάννην. »

(5) Immerito HARNACK (*Chron. ACL.* I, p. 663) Alogis hanc similem doctrinam adjudicat, dicens : « Auf Grund von Mrc 1 war ihnen die Ausstattung Jesu bei der Taufe von entscheidender Bedeutung, und so werden sie, ohne selbst die Formel : ψιλὸς ἄνθρωπος zu gebrauchen, eine προκοπή des bei der Taufe zum Sohn Gottes eingesetzten Christus angenommen haben ». Hanc cerinthianam theoriam Cerinthi acerrimi adversarii certe non professi fuerint.

(6) Φημὶ δὲ τοὺς περὶ Κήρινθον, καὶ Μήρινθον καὶ τοὺς ἄλλους.

(7) Ὡς ὑπεβλήθη ὑπὸ Κηρίνθου, καὶ Ἐβιωνος, καὶ τῶν ἄλλων.

(8) Ποῖ πλανᾶστε Κήρινθε, καὶ Ἐβίων, καὶ οἱ ἄλλοι.

ἄλλοι » adduntur, quin tamen iterum vel ejus errores Alogis adscribantur, vel nomine « οἱ ἄλλοι » Alogi intelligantur.

Veteres hæretici commemorantur, quatenus illorum errores in quatuor evangeliis de facto refutati inveniuntur, sicque uniuscujusque evangelii opportunitas seu utilitas ostenditur. Et ita c. 19 (in fine) conclusio fert... « ἵνα ἀπὸ τεσσάρων εὐαγγελιστῶν τὴν πᾶσαν κατὰ τε τὴν σάρκα καὶ κατὰ τὴν θεότητα ἀκρίβειαν κατάσχωμεν ».

Lipsius, Corssen et Rose textum c. 21 « ἴσον γὰρ, φασίν, ἑαυτὸν ποιῶν τῷ Θεῷ λέγει τὸ εὐαγγέλιον » (1) Alogos respicere autumant; Corssen et Rose ibi argumentum reperire volunt, quo probaretur Alogos minime Monarchianismo favisse, filiationem divinam ingenue accepisse, ac de dogmatis subtilitatibus minime inquisivisse.

Huic conclusioni, — dummodo Alogos intendi certo constaret — subscriberemus. At, quominus Alogi designentur ab Epiphanio, mentio *Jo.* 5, 18 cum formula « λέγει τὸ εὐαγγέλιον », obstare videtur (2).

Cæterum non putamus Epiphanium quidquam certi ac definiti circa Alogorum christologiam e fontibus suis hausisse.

Etenim, de eis tanquam de secta antiquiori nec jam coæva loquitur. Irenæus nihil de eorum christologia refert, nec alium errorem Philaster, præter Joannis scriptorum rejectionem, eis objicit; « nec intelligunt virtutem Scripturæ » ait (3). Ipse tamen

(1) MIGNE, *P.G.* T. 41 hunc textum non habet. Legi potest apud DINDORF, II, p. 481 vel ŒHLER : *Corpus hæresiologicum*, 2, *Epiphanius*, tomi secundi pars prior, Berolini 1861, p. 631. Ita DINDORF : « ... εἶτα πάλιν λέγει « ἐπι πλέον ἐδίωκον οἱ Ἰουδαῖοι τὸν Ἰησοῦν, ὅτι οὐ μόνον ἔλυε τὸ σάββατον, ἀλλὰ καὶ Πατέρα Ἴδιον ἔλεγε τὸν Θεὸν, ἴσον ἑαυτὸν ποιῶν τῷ Θεῷ » Πῶς οὖν (ŒHLER addit οὐ) καταγνωστέαι αἱ αἱρέσεις ἐλλιπῆ ποιοῦσαι τὸν Υἱον πρὸς τὸν Πατέρα; ἴσον γὰρ, φασὶν, ἑαυτὸν ποιῶν τῷ Θεῳ λέγει τὸ εὐαγγέλιον μετὰ δὲ ταῦτα ἀπῆλθεν ὁ Ἰησοῦς... Cfr etiam CORSSEN, *o. c.* p. 62, n. 2 : « Das nothwendige « οὐ » (καταγνωστέαι) fehlt in dem verwildertem Dindorfschen texte. »

(2) Addit ZAHN, *G. N. K.* I, 250, n. : « Dass sie aber mit denjenigen identisch seien, welche den Sohn niedriger als den Vater stellen, ist schon dadurch ausgeschlossen, dass dort von « diesen so geärteten Häretikern », hier von allen denjenigen « Häresien » die Rede ist, welche subordinatianisch lehren ».

(3) *Epiph. h.* 51, *c.* 17 : « μὴ νοοῦντες γὰρ τὴν δύναμιν τῶν εὐαγγελίων. » Hæc verba ex Hippolyto Philaster et Epiphanius hauserint, « wie sie

Epiphanius juxta novi nominis impositionem, eos errorem in christologia admisisse suspicatur, illumque qui Verbi evangelium respuit, ipsam de Verbo doctrinam rejicere tenet. Unde, licet nihil positivi hac de re afferre possit, sæpissime de Alogis loquitur quasi doctrinales et christologicos errores admisissent.

Objectiones quas contra quartum evangelium movebant — ut ex textibus servatis constat — non ipsam doctrinam, sed potius *ordinem successionem factorum et eventuum* (ἡ ἀκολουθία c. 4) spectant, quatenus inde cum aliis evangeliis contradictio oriatur (1) : doctrinalem autem oppositionem ibi latere Epiphanius *suspicatus* fuerit.

Etenim Alogos ut hæreticos traducit, eosque severe reprehendit. Ita præter caput 1 conferri potest caput 3 : « Ἀλλότριοι τοίνυν παντάπασιν ὑπάρχοντες τοῦ κηρύγματος τῆς ἀληθείας, ἀρνοῦνται τὸ καθαρὸν τοῦ κηρύγματος ». — Eos Antichristos vocavit Joannes in epistola (ibid.) c. 18 : κατὰ πάντα πεπλανημένοι καὶ τυφλώττοντες τὴν διάνοιαν. Similia in c. 32 — c. 35 ubi de eorum adversus Apocalypsin critica agitur, reperiuntur.

Plures, auctores inter quos Lightfoot *(Biblical Essays*, 1893, p. 117), Zahn, *(G. N. K.*, p. 248) et Harnack *(Dogmenges.* I, p. 663) Epiphanium c. IV orthodoxiam Alogorum testari arbitrantur (2). Verum parum recte : nedum Alogorum

auch wieder an Irenæus (III, 11, 9 ἀμαθεῖς) erinneren ». Zahn, *G. N. K.* I, p. 248, n.

(1) V. supra, p. 153 s. Prior objectio præsertim qua dicitur « Joannis evangelium ab incarnatione statim ad nuptias Cana transire » Epiphanii suspicionem movere poterat. Attamen ita respondet quasi in fontibus nihil christologiam Alogorum respiciens invenisset. Ita c. 4 : « Καὶ οὐκ οἴδασιν οἱ ἀπαρακολούθητοι, ὅτι ἑκαστῳ εὐαγγελιστῇ μεμελέτηται συμφώνως μὲν τοῖς ἑτέροις λαλῆσαι τὰ ὑπ' ἐκείνων εἰρημένα· ἀλλὰ δὴ τὰ ὑπ' ἐκείνων ῥηθεντα παραλειφθέντα οὕτως ἀποκαλύψαι. Οὐ γὰρ ἦν αὐτῶν τὸ θέλημα ἀλλὰ ἐκ Πνεύματος ἁγίου ἡ διδασκαλία καὶ ἡ ἀκολουθία. Καὶ ὁρᾷς ὅτι οὐδὲν κατὰ λησμονὴν ὑφηγεῖται παρέλειψε δὲ τὰ τῷ Ματθαίῳ πραγματευθέντα.» — Supra vidimus verba sequentia Alogis minime applicari posse. Cfr c. 30 in fine : Καὶ πανταχόθεν διέπεσεν ὁ περὶ τούτων πεπλανημένος λόγος τῶν εὐαγγελίων συνῳδὰ πρὸς ἄλληλα ἐχόντων, καὶ μηδ' ὁπότερον τῶν εὐαγγελίων ἀντίθετον πρὸς τὸν ἕτερον ἐχόντων.

(2) Contextum citamus : « Καὶ ἀπ' αὐτῆς τῆς ἐπίβολῆς εὐθὺς ἐλέγχονται μήτε ἃ λέγουσιν νοοῦντες, μήτε περὶ τίνων διαβεβαιοῦνται. Πῶς γὰρ ἔσται

orthodoxia affirmetur illos in his verbis potius reprehendi censemus. Verba enim « Δοκοῦσι γὰρ καὶ αὐτοὶ τὰ ἴσα ἡμῖν πιστεύειν κτλ », reddi debent : Nam *putant* se eamdem fidem de nos habere (1).

Eodem modo secundus textus « Καὶ δοκοῦσι λοιπὸν ἐπιλαμβάνεσθαι τῆς ἁγίας καὶ ἐνθέου διδασκαλίας » non magis illorum orthodoxiæ favere videtur. Nam, ut Zahn l. c. ait ἐπιλαμβάνεσθαι reddendum est, ut liquet ex c. 33 (ἐπιλαμβάνονται τούτου τοῦ ῥητοῦ), « redarguere », nequaquam autem « admittere » ; ita ut sensus sit « contendunt contra semetipsos — nam nequit dici contra veritatem — libros ejus (Joannis) cum cæteris apostolis non consentire, et sanctam divinamque doctrinam redarguere imaginantur (2).

At iterum, licet in hoc textu reprehendantur Alogi, nihil aliud eis objicitur quam repudiatio scriptorum joanneorum, monumentorum in quibus Spiritus sancti doctrina continetur, quin positiva quævis christologica doctrina eis tribuatur. Eamdem etiam contra Joannis scripta objectionem movent, illam nempe cui tam longo sermone respondet Epiphanius : illos libros cum cæterorum apostolorum scriptis non consentire.

Κηρίνθου τὰ κατὰ Κηρίνθου λέγοντα. Κηρίνθος γὰρ πρόσφατον καὶ ψιλὸν τὸν Χριστὸν ἔχει ἄνθρωπον· Ὁ δὲ Ἰωάννης ἀεὶ ὄντα τον Λόγον κεκήρυχε, καὶ ἀνωθεν ἥκοντα, καὶ σαρκωθέντα. Ἀπ' αὐτῆς τοινυν τῆς εἰσβολῆς ἐλήλεγκται ἡ τούτων ματαιοσυκοφαντία μωρία (Dind. μωρά) τις οὖσα, καὶ μὴ νοοῦσα πόθεν διελέγχεται. Δοκοῦσι γὰρ καὶ αὐτοὶ τὰ ἴσα ἡμῖν πιστεύειν. μὴ κατέχοντες δὲ τὰ ἀσφαλῆ τοῦ ἐκ Θεοῦ οἰκονομηθέντος ἡμῖν διὰ τοῦ ἁγίου Ἰωάννου κηρύγματος, εὑρεθήσονται διελεγχόμενοι ἐν οἷς ἀγνοοῦσι, πῶς κατὰ τὴν τῆς ἀληθείας ἐπαίρονται γνῶσιν. Καὶ ἐάν γε θελήσωσιν ἀνανῆψαι, καὶ κατανοῆσαι γνώσονται. Ἡμεῖς γὰρ τὰς ἀπὸ τοῦ ἁγίου Πνεύματος διδασκαλίας ἀξιολόγως καὶ ἠσφαλισμένως οὔσας οὐκ ἀποβάλοιμεν. Φάσκουσι γὰρ καθ' ἑαυτῶν, οὐ γὰρ εἴποιμι κατὰ τῆς ἀληθείας, ὅτι οὐ συμφωνεῖ τὰ αὐτοῦ βιβλία τοῖς λοιποῖς ἀποστόλοις, καὶ δοκοῦσι λοιπὸν ἐπιλαμβάνεσθαι τῆς ἁγίας καὶ ἐνθέου διδασκαλίας. Καὶ τί, φησιν, εἶπεν; Ὅτι Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος... » Evidenter ex fonte suo totum hunc locum Epiphanius depromsit.

(1) Corssen, *l.* c. « Sie bilden sich ein, sie hätten denselben Glauben wie wir, und wissen nicht, dass sie in ihrer (eingebildeten) Erkenntnis sich gegen die Wahrheit erheben. »

(2) Corssen, *l.* c. « Sie bilden sich ein » ; Gall. « Ils s'imaginent d'attaquer... »

Animadvertamus Epiphanium totum hunc locum ex fonte suo hausisse (1); adeoque Hippolytus, in quantum ex Philastro et Epiphanio concludere licet, contra Alogorum christologiam positivi nihil retulerit.

Nec illud silentio præteriri potest, ab Hippolyto quemadmodum ab Irenæo, Alogos non ut penitus ab Ecclesia separatos exhiberi (2), quod iterum cum errore in christologia difficile componitur. Nam modo tam benigno Irenæus eos non tractasset, si revera, ut Epiphanius habet, « Verbum » rejecissent.

Insuper, si revera christologiæ quarti evangelii contradictores Alogi declarentur, quomodo tunc eorum contra Apocalypsin vehemens oppositio explicatur? (3)

* * *

Post expositam sententiam hæresiologorum circa Alogorum doctrinam, manet jam ut eorum adversus Joannis scripta, in specie adversus evangelium, oppositionem dijudicemus.

Omnes auctores qui evangelii apostolicæ origini haud favent, Alogorum testimonio summum momentum tribuunt (4). Ita Harnackii judicio, tota de quarti evangelii traditio, hac oppositione labefactatur (5).

(1) Eidem fonti tribuenda verba c. 3 immediate præcedentia : Προφασίζονται γὰρ οὗτοι, αἰσχυνόμενοι ἀντιλέγειν τῷ ἁγίῳ Ἰωάννῃ διὰ τὸ εἰδέναι αὐτοὺς καὶ αὐτὸν ἐν ἀριθμῷ τῶν ἀποστόλων ὄντα, καὶ ηγαπημένον ὑπὸ τοῦ Κυρίου ὅς ἀξίως τὰ μυστήρια ἀπεκάλυψε, καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ ἀνέπεσε. Καὶ ἑτέρως αὐτὰ ἀνατρέπειν πειρῶνται. Λέγουσι γὰρ μὴ εἶναι αὐτὰ Ἰωάννου, ἀλλὰ Κηρίνθου, καὶ οὐκ ἄξια αὐτα φασιν εἶναι ἐν Ἐκκλησίᾳ. Cfr Rolffs T. U. XII, 4, p. 140 s. putat Hippolyti de Alogis tractationem hoc Epiphanii loco vix longiorem fuisse.

(2) Ipsi etiam Alogi se non ab Ecclesia extorres putabant. Utrumque probatur ex Epiph. *h.* 51, c. 3 : « καὶ οὐκ ἄξια αὐτὰ φασιν εἶναι ἐν Ἐκκλησίᾳ »; c. 4. « Καὶ ἐάν γε θελήσωσιν ἀνα νῆψαι καὶ κατανοῆσαι, γνώσονται » et c. 33 (v. supra).

(3) Hanc de Alogis sententiam, ut mihi præplacentem, cum propriis argumentis proferendam duxi. Huic tamen, propter haud spernendam S. Epiphanii auctoritatem, pertinacius inhærere non intendo, nec me latet momentum sententiæ virorum eruditorum, ut Ill. Lamy, studiorum meorum moderatoris, qui Alogos, vere hæreticos, doctrinæ catholicæ de Verbo divino adversantes, habendos esse existimant.

(4) Holtzmann, *Einl.*, p. 469. — Corssen, *o. c.*, p. 49.

(5) *Das Neue Testament*, p. 58 s., 66 s. — *Dogmengeschichte*, p. 664. — *Chron. ACL.*, I, p. 670 s.

Sed, duo hic exaggerasse videtur eruditissimus auctor, valorem historicum Epiphanii contra Alogos dissertationis, et præsertim Alogorum adversus evangelium oppositionis significationem. Ad primum quod attinet, Irenæi de Alogorum christologia silentium, benignaque ejus erga eos agendi ratio, silentium pariter Philastri, incertis ac parum liquidis Epiphanii notitiis prævalere debent. Hippolytus etiam Alogorum christologiam non attigerit, quemadmodum præterea constat ex omnibus iis locis in quibus Epiphanius fontes adducit. Hic igitur, ut nominis impositio ostendit, a scriptorum rejectione ad ipsius doctrinæ repudiationem conclusionem duxerit. Omnes quas ex fontibus desumptas objectiones refert, factorum et eventuum ordinem respiciunt ; ita etiam Epiphanius respondet quasi sola evangeliorum harmonia contra Alogos ostendenda foret. Uniuscujusque evangelii proprium characterem exhibet, ejusque contra hæreticos opportunitatem demonstrando, Cerintho autem et Ebioni *alios* indeterminatos sæpe (τοὺς ἄλλους) addendo, ad Alogos alludere apparet.

Sed ex una parte, huic conclusioni contextus nullo modo favet. Ex alia parte Alogi, Cerinthi doctrinam tantopere repudiantes, contra illam consociationem reclamant.

Solum igitur fundamentum historice certum, quod ad Alogorum adversus quartum evangelium oppositionem dijudicandam suppetit, irremeabilis remanet eorum antimontanismus.

Quisnam igitur valor eorum testimonio est tribuendus ? Imprimis quod se intra Ecclesiam putabant Alogi, quod Joannis scripta in ipsius Ecclesiæ bonum repellere volebant, quod Irenæus eos non ut hæreticos proprie dictos intra catologi fines computavit, talia nondum probant illos, *traditione* quadam nixos, apostolicam Joannis scriptorum originem negasse.

Traditionem autem quamdam ab eis invocatam fuisse nullus hæresiologus nobis retulit : omnes (1) e contra antimontanismum exaggeratum tanquam oppositionis motivum allegant. Quod distincte Irenæus, illis coævus, expressit : « Alii vero ut donum Spiritus frustrentur quod in novissimis temporibus secundum

(1) Etiam Epiphanius ut vidimus, cfr c. 35.

placitum Patris effusum est in humanum genus, illam speciem non admittunt quæ est secundum Joannem evangelium, in qua Paracletum se missurum Dominus promisit, sed simul et evangelium et propheticum repellunt Spiritum, infelices, qui pseudoprophetas quidem esse nolunt, prophetiæ vero gratiam repellunt ab Ecclesia ». Fundamenta igitur quo nitebantur pseudoprophetæ Montanistæ, Apocalypsin nempe et quartum evangelium (1), eis eripere volentes, scripta ipsa rejiciebant. Subjectivam igitur ac theologicam considerationem tanquam suæ censuræ basin ponebant : nihil autem historiæ turbandæ magis natum est quam subjectiva atque polemica hujusmodi præjudicia.

Revera quodcumque traditionale argumentum, quo quarti evangelii originem apostolicam impugnarent Alogis defuisse, liquet ex stupendo illo argumento quod invocabant, evangelium et Apocalypsin a Cerintho fuisse conscripta (2).

Ut Epiphanius post Hippolytum jam exclamat « Πῶς γὰρ ἔσται Κηρίνθου τά κατὰ Κηρίνθου λέγοντα »; Doctrinam enim e diametro oppositam docebat Joannes : Κηρίνθος γὰρ πρόσφατον καὶ ψιλὸν τὸν Χριστὸν ἔχει ἄνθρώπον. Ὁ δὲ Ἰωάννης ἀεὶ ὄντα τὸν Λόγον κεκήρυχε, καὶ ἄνωθεν ἥκοντα καὶ σαρκωθέντα ».

Ejusmodi assertio Alogorum sententiam parum commendat, nec ullo modo æstimationem erga eorum criticam gignere nata est (3). Quomodo ad talem inauditam thesin devenerunt. Discrepantia in christologia, — quæ cæteroqui nullo antiquiori textu commendatur, — nedum difficultatem solvat, eam potius aggravat. Sola S. Irenæi explicatio possibilitatem miræ ejusmodi sententiæ ostendit : zelus immoderatus atque inconsideratus erga adversarios materiali millenarismo (4) et Paracleti promis-

(1) Apocalypsin somniis suis millenaristicis favere dicebant Montanistæ, donique prophetiæ abusum Joannis evangelio « in quo Paracletum se missurum Dominus promisit » legitimare conabantur.

(2) Cum Irenæus hanc evangelii Cerintho attributionem non referat, possibile est Hippolytum hoc de Alogis sæculi tertii tantum affirmare.

(3) Quam parvi eos Epiphanius (et Hippolytus c. 4 v. g.) penderit pluribus locis constat.

(4) Notemus jam medio sæculo secundo duo scripta eidem auctori fuisse tributa, eademque habuisse fata. Idcirco ex repugnantia erga millenarismum quod in Apocalypsi detegere Montanistæ putabant, jam contra evangelium apud eorum adversarios præjudicium nasci poterat.

sione abutentes, integrasque ecclesias in suum errorem seducentes, desperatam Alogorum argumentationem provocavit. Doctrinam suam Joannis auctoritate commendabant Montanistæ, quatenus ad ejus scripta provocabant. Adversarii Alogi talem doctrinam Apostolo plane indignam censentes, omnique quo traditionem de librorum origine impugnare possent argumento historico destituti, Cerinthum, quem ut Joannis coævum ejusque adversarium traditio exhibebat, perversæ illius doctrinæ adeoque librorum quibus niti contendebat, auctorem reputaverint.

Quidam auctores hanc Alogorum desperatam sententiam traditioni de apostolica evangelii origine parum favere autumant. Alii multi (1) ex facto quod Cerintho, Joanni coævo, tribuerint evangelium Alogi, argumentum pro antiquitate evangelii desumunt (2). Qualecumque autem circa hoc punctum judicium feratur, quicumque cujusvis historici argumenti absentiam apud Alogos notaverit, eorumque cæco antimontanismo attenderit, nulla eos traditione nisos fuisse perspectum habebit.

Simplex autem oppositionis factum traditionem non infirmat, ut Harnack affirmat (3) : argumenta enim ab adversariis prolata simul ac motiva quæ contradictores impulerunt sola pensanda sunt : hæc autem contradictionis rationem produnt, ejusque psychologicam possibilitatem, absente etiam quocumque objectivo fundamento, ostendunt.

Cæterum, non minor remanet in Harnackii systemate difficultas. Ait enim ; « Si Apostolus Joannes per plura decennia in Asia mansisset, et revera auctor scriptorum ejus nomini tributorum auctor fuisset, quomodo contradictio oriri potuisset »? (4)

(1) Dorner, Luthardt, Godet, Zahn, Rose, etc.

(2) Revera Alogi circa 165 evangelium Cerintho tribuentes, implicite illud non recenter scriptum, sed, juxta suam opinionem, circa sæculi secundi initium fuisse compositum implicite confitentur.

(3) *Dogmengeschichte*, I, p. 664, n. 1 : « Die Bezeugung des Evangeliums kann keine befriedigende gewesen sein, wenn man eine solche Kritik in der Kirche gewagt hat ».

(4) *Chron. ACL.* I, p. 671, n. 1 : « War Johannes der Apostel Jahrzehnte in Asien und der Verfasser der unter seinem Namen stehenden Schriften, wie konnte überhaupt in Asien ein Widerspruch entstehen? »

At, an hoc argumentum contra ipsius Harnackii de quarti evangelii origine sententiam verti non posset? Si solum oppositionis factum contra Apostoli commorationem asiaticam, et originem evangelii apostolicam probat, an idem factum contra « presbyterum » non probaret? Illum tamen summa præditum auctoritate in Asia diu degisse et evangelium scripsisse Harnack firmissime tenet (1).

Nihil igitur aliud quam acerrimæ controversiæ phænomenon quoddam Alogorum repugnantia est reputanda. Communem traditionem particularis illa sententia nullo modo labefactare valet (2).

* * *

Antequam huic articulo finem imponamus, quædam adhuc circa sententiam quæ presbyterum Joannem cum apostolo commutatum fuisse tenet animadvertere juvat. Nam cum traditione de quarti evangelii auctore contradixerint, speciali modo quid de Joanne asiatico senserint notandum est.

Uti Zahn observat (*G. N. K.* I, p. 253), de hypothesi postea in subsidium vocata, alius scil. Joannis præter apostolum Alogi nondum cogitarunt.

Præterea Alogos Joannem de quo agitur *apostolum* intellexisse, non solum ex hæresiologorum implicito et explicito testimonio, sed etiam ex ipsis Alogorum verbis apparet. Ita Epiph. *h.* 51, 4 Φάσκουσι... ὅτι οὐ συμφωνεῖ τὰ αὐτοῦ βιβλία τοῖς λοιποῖς ἀποστόλοις. Testimonium hoc est maximi momenti : etenim si medio sæculo secundo vel minimum de Joannis asiatici identitate dubium exstitisset in ipsa Asia, si unquam Alogi Joannem a Montanistis invocatum non fuisse apostolum suspicari potuissent, hoc opportunum effugium non prætermisissent. Ex eorum silentio igitur medio sæculo secundo *solum apostolum*

(1) Possibilitas substitutionis, seu presbyteri in Apostolum commutationis hic nihil ad rem facit, cum in omni hypothesi concedendum sit oppositionem contra opera illius auctoris, qui diu in ipsa Asia degerat, ortam esse.

(2) In sequenti articulo videbimus non magnum eorum criticam influxum habuisse.

Joannem tanquam Asiæ patriarcham agnitum fuisse, concludere debemus. Imo c. 3 apud Epiph. *h.* 51 talia occurrunt Alogorum verba quibus *unicitas* Joannis ipsis noti non obscure innuitur : « Λέγουσί γὰρ μὴ εἶναι αὐτὰ Ἰωάννου, ἀλλὰ Κηρίνθου καὶ οὐκ ἄξια αὐτὰ φασιν εἶναι ἐν Ἐκκλησίᾳ ». At, si quinquaginta circiter annis post Joannis Asiatici mortem, omnes asiatici tam heterodoxi quam orthodoxi, tam ii qui Joannis auctoritate nitebantur quam illi qui eam acriter impugnabant, unanimes in Apostoli commoratione asiatica asserenda inveniuntur, substitutionis seu commutationis probabilitas penitus evanescere videtur. Tot enim huc circumstantiæ concurrunt — Justini, Irenæi aliorumque testimoniis etiam sepositis, — ut certitudo historica proprie dicta elucescat. Traditio enim illa generalis in iis ecclesiis vigens, in quibus Joannes conversatus est, adeoque localis, cujusque auctores plures ad ipsam pertingunt Trajani ætatem, in qua obiitJoannes, omne fundatum dubium excludit.

SCHOLION.

Semel autem ac de ephesina Joannis *apostoli* commoratione historice constat, de ipsa *apostolica* origine quarti evangelii, — attento controversiæ statu hodierno, attentisque omnibus hucusque disputatis — satis constare apparet. Diximus enim universam antiquam traditionem christianam in Joanne apostolo tanquam quarti evangelii auctore asserendo, unanimem inveniri — ut infra fusius data opera ostendemus. Semota igitur apud antiquos testes — quemadmodum reapse vidimus semovendam — errandi circa Joannis personam historica possibilitate, concors illorum testificatio plenam sibi conciliare fiduciam nata est. Unde methodum hucusque adhibitam ut mere negativam immerito quis traduceret.

Articulus II. — De Alogorum influxu in Occidentales.

Supra (p. 80 ss.) de Caji et Dionysii circa Apocalypsin critica investigantes, quæstionem attigimus : utrum Alogos cognoverint

et ab eis argumenta fuerint mutuati. Quæ inquisitio post exploratam Alogorum doctrinam jam facilior fiet. Quæstio tamen de « Alogis occidentalibus » non solos Cajum et Dionysium respicit, verum etiam fragmentum Muratorii atque Prologos a P. Corssen editos attingit. Unde quatuor distinctis paragraphis agemus :

§ I. De Alogorum doctrinæ cum Muratorii fragmento connexione;
§ II. De Caji Romani et Dionysii Alexandrini ad Alogos relatione;
§ III. De Theodoti Coriarii et Artemonis erga Joannis evangelium habitudine;
§ IV. De Alogorum doctrina in Prologis monarchianis.

§ 1. — *De Alogorum doctrinæ cum Muratoriano fragmento connexione* (1).

Alogorum contra Joannis scripta oppositionem in Muratorii fragmento respici, a priori non est improbabile, cum eodem fere tempore Irenæus in Occidente illorum mentionem fecerit, et post ipsum Hippolytus tum in Syntagmate, tum in peculiari scripto eos aggressus sit.

Textum (lin. 9-34) a Zahn restitutum (G. N. K. II, p. 139) adducimus : « Quartum evangeliorum Joannis ex discipulis. [Is.] cohortantibus condiscipulis et episcopis suis dixit : » conjejunate mihi hodie triduo, et quid cuique fuerit revelatum, alterutrum nobis enarremus. Eadem nocte revelatum Andreæ ex apostolis, ut recognoscentibus cunctis Joannes suo nomine cuncta describeret.

Et ideo, licet varia singulis evangeliorum libris principia (2) doceantur, nihil tamen differt credentium fidei, cum uno ac prin-

(1) Cfr Zahn, *G. N. K.* I, p. 258, p. 32, 139. — Harnack, *Das Neue Testament um das Jahr* 200, p. 69 s. — Corssen, *o. c.*, p. 66.

(2) Circa hujus verbi significationem et loca parallela apud antiquos scriptores cfr Zahn, *G. N. K.* II, p. 42 ss.

cipali spiritu declarata sint in omnibus omnia de [domini] nativitate, de passione, de resurrectione, de conversatione cum discipulis suis ac de gemino ejus adventu, primo in humilitate despecto, quod fuit, secundo potestate regali præclaro, quod futurus est.

Quid ergo mirum, si Joannes tam constanter singula etiam in epistulis suis proferat, dicens in semetipsum « quæ vidimus oculis nostris et auribus audivimus et manus nostræ palpaverunt, hæc scripsimus vobis ». Sic enim non solum visorem se et auditorem, sed et scriptorem omnium mirabilium Domini per ordinem profitetur ».

Hoc imprimis ex fragmenti textu erui potest : auctorem evangeliorum initio multum insistere. Animadvertit enim esse « varia singulis evangeliorum libris principia », notat præterea Lucæ evangelii initium : « Et idem prout assequi potuit a nativitate Joannis incipit dicere (l. 8) », unde non immerito conficit Zahn Matthæi et præsertim Marci initium etiam ab auctore in fragmenti exordio notatum fuisse.

Auctor, admissa principiorum varietate, « nihil tamen differre (1) credentium fidei » asserit, cum sint opus « unius ac principalis spiritus ». Idearum connexio (Et *ideo*... Quid *ergo* mirum), ut Zahn demonstravit, apud fragmenti auctorem peculiarem erga Joannis scripta sollicitudinem revelat, qua nempe speciatim contradictionem contra quartum evangelium exortam refellere vult. Jam vero Alogos Joannis evangelii initium synopticis opposuisse, statim supra ex Epiphanio (Hippolyto) didicimus. Unde fragmenti auctorem hic Alogos respicere satis probabile est. Quod insuper ex secundi Christi adventus mentione confirmatur. In præcedenti articulo nullum ex quo Alogorum de secundo Christi adventu doctrina erui possit textum obviam habuimus. Sed quum, Irenæo et Epiphanio testantibus, tam immoderate Montanistis restiterint, illos quascumque eschatologicas ideas rejecisse summe probabile est. Quæ absoluta

(1) Græce fuerit « οὐδὲν διαφέρει τῇ τῶν πιστευόντων (vel πιστῶν) πίστει. » — Confer circa hanc Muratorii fragmenti cum Alogis relatione egregie disserentem Th. Zahn, *G. N. K.* II, p. 40 ss.

negatio apud fragmenti auctorem alterius Christi adventus mentionem provocaverit (1).

Quæ de Joannis epistolis fragmenti auctor habet, sententiæ Zahnii novam confirmationem tribuere videntur : « Quid *ergo* mirum... sic *enim*... » hæc verba apologiam evangelii Joannis, in lineis præcedentibus traditam, novo protendi argumento ostendunt. Vox » mirum » ad tales alludit, quibus I Jo. 1-4 parum acceptum videbatur. Audivimus autem ab Epiphanio Alogos Joannis epistolas minime agnovisse, omniaque Joannea scripta Cerintho tribuisse : sacrilegam forsan hæretici manum in I Jo. 1-4 latere crediderint. Dionysius Alexandrinus, quem Alogorum doctrinam sive directe sive mediate per Cajum cognovisse putamus, Apocalypsi infensus cum sit, ex una parte quarti evangelii cum I Jo. consonantiam prosequitur, et ex alia parte argumentum quod adversarii, in fragmento intenti, contra primam Joannis epistolam allegabant, ipse contra Apocalypsin producit (2). — Harnack (3) tamen utrum fragmenti auctor ad Alogorum criticam attenderit multum dubitat; Rose (4) illud negat. Unum hic mirandum videri posset : oppugnationem Apocalypseos non commemorari. Ex hoc silentio certe erui potest Cajum Romanum, tempore quo fragmentum scriptum fuit, nondum *Dialogum* suum contra Proclum edidisse; at cum ipsa controversia Romæ nondum vigeret, ex silentio de Apocalypseos impugnatione nihil contra Zahnii thesin deduci valet.

Quibus omnibus attentis, doctrinam Alogorum circa quartum evangelium respici in fragmento muratoriano, omnino probabilius esse censemus. Eodem fere tempore Irenæus in Occidente de eorum adversus quartum evangelium oppositione locutus est.

(1) Zahn, *l. c.* : « Weder hier noch sonst polemisirt unser Verf. direkt gegen jene Partei; aber seine apologetischen Ausführamgen 1. 9-26 sind wenigstens vorwiegend durch den Gegensatz zu denselben veranlasst. »

(2) Cfr Eus. *H. E.* VII, 25. — B. Weiss, *Einl.*, p. 78, n. 1 : « Das quid mirum bezieht sich ja gerade darauf, dass sich *in seinen Briefen* so manche Reminiscenzen an das Evangelium finden, was der Verf. damit erklärt, dass er sich im Eingange als Augenzeugen und Verf. des Evang. zu erkennen gibt. » — Logica idearum connexio a Zahnio indicata, magis naturalis apparet.

(3) *Das Neue Testament um das Jahr* 200, p. 69.

(4) *R. B.* 1898, p. 533.

Immerito igitur Batiffol (1) scripta Joannis tanquam in fragmento extra omnem controversiam posita exhibet. Ad controversiam non obscure alluditur, modus autem quo insinuatur præsentes adversarios respicere non videtur.

§ 2. — *De Caji Romani ad Alogos relatione* (2).

Tempore quo Cajus Romæ Dialogum suum adversus Proclum scripsit, Alogorum doctrina, ut ex Irenæo et Muratorii fragmento constat, in Occidente nota erat. Nulla tamen apud utrumque auctorem vestigia suppetunt, e quibus concludi liceat eorum doctrinæ assertores in occidentali ecclesia jam tunc temporis fuisse. Postea tamen Alogorum doctrina influxum Romæ habuit, prouti post plures criticos contra Hilgenfeld opinamur.

Quænam fuerit Caji doctrina, supra vidimus : Alogorum sententiam de Joannis scriptis partim tantum adoptavit; et, quod in nostro de quarti evangelii originis studio attentione dignum est, solummodo id quod de Apocalypsi tenebant Alogi professus est, cum illi omnia tamen joannea scripta Cerintho uniformi judicio tribuerent. Ex quo jam præsumptio oritur, non historicis argumentis, sed præjudiciis dogmaticis Cajum ductum fuisse. Etenim Alogorum sententia vel integra recipienda vel integra rejicienda erat, cum omnia Joannis scripta eidem auctori Cerintho ob eadem motiva tribuerent.

Alogorum autem doctrinam Cajo innotuisse, post fragmen-

(1) *Anciennes littératures chrétiennes, la littérature grecque* 1897, p. 24. « Le fait de parler des écrits de saint Jean, comme d'écrits indiscutés semble indiquer une époque antérieure aux controverses des Aloges et des Théodotiens condamnés par le pape Victor. »

(2) Bibliographia : Heinichen, *De Alogis*, p. 50 ss. — *Commentarius in Eusebium* 1870, p. 352. — Zahn, *G. N. K.* I, p. 233 s.; II, p. 47, n. 2; p. 977, n. 981-983; 991. — Gwynn, *Hermathena*, VI, 1888, p. 397 ss. — Harnack, *Th. LZ.* 1888, p. 643 s.— *Das Neue Testament*, p. 69.— *Dogmengeschichte*, I, p. 664, n. 2.— Hilgenfeld, *Z. WTh.* 1889, III, p. 330 ss. et 1895, p. 292 ss. — *T. U.* VI, 3, p. 127. — Corssen, *o. c.* p. 55. — Bousset, *Die Offenbarung*, p. 19. —W. Mœller, *Lehrbuch der Kirchengeschichte*, I B. 1 Abt., 2 Aufl. 1897, p. 249.

torum a J. Gwynn detectorum publicationem, vix dubium superesse potest.

Etenim quomodo Cajus eumdem Cerinthum nominasset auctorem, si Alogorum sententiam ignorasset. Contra Proclum montanistam scribens, præcise ut Alogi characterem propheticum libri aperte negat (1), et, ut ipsi fecerunt, hoc scriptum cum reliquis minime consentire Scripturis demonstrare aggreditur.

Ita ut unicum proferamus exemplum, quartum fragmentum Gwynn ita incipit :

(Ad Apoc. 9, 14 ss.) Cajus (ait) : « Non scriptum est, angelos bellum gerere, neque (scriptum est) tertiam partem generis humani perire, sed populum contra populum sese erecturum esse » (2).

Jam vero Epiphanius, ut vidimus (*h.* 51, 34), sic *de Alogis* loquitur : « Καὶ φασιν, ὅτι Εἶδον, καὶ εἶπε τῷ ἀγγελῳ. Λύσον τοὺς τέσσαρας ἀγγέλους τοὺς ἐπὶ τοῦ Εὐφράτου. Καὶ ἤκουσα τὸν ἀριθμον τοῦ στρατοῦ, μυρίαι μυριάδες καὶ χίλιαι χιλιάδες· καὶ ἦσαν ἐνδεδυμένοι θωρακάς πυρίνους καὶ θειώδεις, καὶ ὑακινθίνους. Ἐνόμισαν γὰρ οἱ τοιοῦτοι, μὴ πη ἄρα γελοῖόν ἐστιν ἡ ἀλήθεια », etc. Responsio autem apud Epiphanium, ut supra diximus (cfr p. 150 s.), omnino cum Hippolyti in fragmento ratiocinatione concordat. Fortuitam autem illam Caji atque Alogorum circa Apoc. 9, 14 ss. criticam nemo dicit, datis præsertim iis motivis quæ ante fragmentorum cognitionem jam dependentiam suadebant.

Immerito tamen ex hac Caji adversus Apocalypsin oppositione ad existentiam sectæ cujusdam Alogorum in ipsa romana ecclesia concluderetur : unice eorum de Apocalypsi judicium ab eis mutuatus est, hæcque Caji opinio ex antipathia contra millenarismum et montanismum, qui in Occidente eo tempore irrumpe-

(1) Eus. *H. E.* III, 28, cfr supra, p. 82 ss.

(2) Ita vertimus ipsius Zahnii traductionem *G. N. K.* II, p. 977 s. : Cajus (sagt) « Es steht nicht geschrieben dass Engel Krieg führen, und (auch) nicht, dass ein Drittel der Menschheit zu Grunde geht, sondern dass sich Volk gegen Volk erheben wird. »

bant (1), facile oriri potuit. Historicum argumentum ad suam singularem theoriam fundandam a Cajo invocatum fuisse, nullibi reperimus, neque Eusebius, qui tamen ejus opus legit, nobis tradidit (2).

Dionysium Alexandrinum *(Eus. H. E.* VII, 25), non ab Alogis directe, licet eorum oppositionem etiam cognoverit, sed a Cajo immediate pendere antea vidimus (p. 83 ss.).

Totam igitur de Apocalypseos auctore dubitationem atque controversiam ex theologicis et subjectivis præjudiciis exortam esse, iterum animadvertere liceat. Jamvero existentia *presbyteri* Joannis ab Apostolo diversi, cum hac priore quæstione tam intime connexa est, ut ex ea penitus nata sit, nec de altero illo Joanne unquam cogitassent Dionysius ac Eusebius, si ex odio adversus chiliasmi doctrinam, Alogorum sententiam iisdem præjudiciis vitiatam, non excepissent. Sententiæ illi historico fundamento orbatæ, basin quamdam traditione nitentem procurare conati sunt. Quam parum illa tentamina successerint, ex ipso traditionis examine didicimus : hic autem initiale Caji, Dionysii Eusebiique præjudicium, in Alogis tanquam in fontem reducendum esse reperimus.

Ita dogmaticæ illius contra Apocalypsin oppositionis, adeoque alterius cujusdam Joannis apparitionis ortus atque genesis patescit.

(1) Cfr Zahn, *G. N. K.* II, 991 : « Die Stellung des Cajus zur Apok. erscheint auch geschichtlich wohl begreiflich. Die chiliastischen Aufregungen der Zeit des Septinius Severus (Judas bei Eus. *H. E.* VI, 7; der Bischof in Syrien und der in Pontus bei Hipp. in Danielem, p 15, 9—16, 30; die Vision bei Tert. c. Marc. III, 24) und das Umsichgreifen des Montanismus im Abendland erklären sie ausreichend. »

(2) Putat Zahn, *l. c.* tantum mediate Alogorum doctrinam Cajum percepisse, scil. per Hippolyti opera : supponit nempe *Dialogum* Caji versus a. 210 vel etiam postea scriptum fuisse, *Apologiam* de Joannis evangelio et Apocalypsi a. circiter 205-210 ab Hippolyto fuisse compositam, eumque paulo postea *Capita adversus Cajum* edidisse. — Sed, cum supra (p. 53) vidimus, juxta Dionysium (Eus. *H. E.* VII, 25) Cajus Apocalypsin « κατὰ ἕκαστον κεφάλαιον » aggressus sit, et talem methodum servata fragmenta ostendant, undenam omnia illa desumpserit Cajus incertum est.

§ 3. — *De Theodoti Byzantii et Artemonis erga Joannis evangelium habitudine* (1).

Sectam Alogorum Romæ exstitisse, neque ex fragmento Muratoriano neque ex Caji Romani contra Apocalypsin repugnantia colligi potest (2). Plerique auctores, inter quos Zahn et Harnack, Theodotum coriarium et Artemonem quartum evangelium accepisse tenent. Nuperrime tamen Corssen nova protulit argumenta, e quibus tum Theodotum tum Artemonem rejecisse illud evangelium, constare arbitratur. Unde rursus existentia romanæ factionis, quarto evangelio oppositæ, sequeretur : Sub Zephyrino tantum liber ille ut apostolicus et canonicus definitive in ecclesia romana agnitus fuisset. Unde de hujus systematis veritate nobis inquirendum est; simul Theodoti doctrinam stabilire conabimur, ut videamus utrum jure necne illum Epiphanius « ἀπόσπασμα ὑπάρχων ἐκ τῆς προειρημένης ἀλόγου αἱρέσεως » vocaverit.

1° De Theodoti Coriarii christologia.

Dogma theodotianum ante omnia in negatione Christi divinitatis consistebat : de hoc puncto omnes fontes conveniunt, omnesque etiam Christum, Theodoti judicio, merum hominem fuisse testantur (3). Videtur etiam Theodotus admisisse Christum

(1) Cfr Zahn, *G. N. K.* I, p. 258 ss. — Harnack, *Das Neue Testament*, p. 69. — *Gesch. ACL.* I, p. 592. — *Dogmengeschichte*, I, p. 665 ss. (ubi fontes indicantur). — Corssen, *Monarch. Prol.* p. 70 ss. — Rose, *R. B.* 1897, p. 532 ss.

(2) *Ex solo facto* quod Hippolytus *Apologiam* pro Joannis scriptis confecerit, jure ad existentiam romanorum quarti evangelii adversariorum concludi nequit, ut Corssen (*o. c.* p. 70) supponere videtur.

(3) Eus. *H. E.* V, 28 : Θεόδοτον,... τὸν ἀρχηγὸν καὶ πατέρα ταύτης τῆς ἀρνησιθέου ἀποστασίας, ἀπεκήρυξε τῆς κοινωνίας, πρῶτον εἶποντα ψιλὸν ἄνθρωπον τὸν Χριστόν. — Contra Noet. (*M. P. G.* X, p. 805) : Καὶ ταῦτα βούλονται οὕτω διηγεῖσθαι καὶ αυτοῖς μονόκωλα χρώμενοι ὃν τρόπον εἶπεν Θεόδοτος ἄνθρωπον συνιστᾷν ψιλὸν βουλόμενος. — Philos. VII, 35... Θεὸν δὲ οὐδέποτε τοῦτον (Χριστὸν) γεγονέναι... X, 23... Θεὸν δὲ οὐκ εἶναι τὸν Χριστὸν θέλει. — Pseudo-Tert, c. LIII... Doctrinam enim introduxit qua Christum hominem tantummodo diceret.— Philast. *h.* 50 : Communis homo erat, ut omnes homines Christus. — Epiph. *h.* 54 passim.

supernaturali modo natum esse, operatione scil. Spiritus sancti; quod enim Epiphanius c. 1 addit « καὶ ἐκ σπέρματος ἀνδρὸς γεγεννῆσθαι » in Hippolyti syntagmate non invenit : nam Philaster de hoc nihil habet et Pseudo-Tertullianus positive contradicit (1) « ex spiritu sancto quidem natum ex Virgine (2) ». Unde quum parum recte de Theodoti christologia Epiphanius judicaverit, cum cautela jam illud quod plerique auctores, ut Harnack et Corssen, ad Alogorum christologiam stabiliendam usurpant, caute accipiendum est : « Ἀνέστη πάλιν Θεόδοτός τις, ἀπόσπασμα ὑπαρχων ἐκ τῆς προειρημένης ἀλόγου αἱρέσεως, τῆς ἀρνουμένης τὸ κατὰ Ἰωάννην Εὐαγγέλιον, καὶ τὸν ἐν αὐτῷ ἐν ἀρχῇ ὄντα Θεὸν Λόγον, καὶ τὴν αὐτοῦ Ἀποκάλυψιν ».

Quominus autem illam ab Alogis Theoditi dependentiam admittamus, variæ obstant rationes.

1°) Imprimis, ut Zahn *(G.N.K.* I, p. 259) dicit, non ex Asia Alogorum patria, sed ex Byzantia Theodotus est oriundus, atque *Hippolytus* non ut anterioris cujusdam hæreseos sequacem, sed ut propriæ doctrinæ *inventorem* eum exhibet : Ita *Pseudo-Tert.* « Accedit his Theodotus hæreticus Byzantius, qui posteaquam Christi negavit, in Christum blasphemare non destitit. Doctrinam enim *introduxit...* » — Et *Philast.* (*hær.* 50). « Theodotus quidam Byzantius genere, denegator Christi Dei nostri in persecutione exstitit Salvatoris, qui *cœpit dicere docens ita...* » — *Philosoph.* VII, 35 adhuc magis expresse aiunt : « εἰσήγαγεν αἵρεσιν καινὴν... et X, 23... εἰσηγήσατο αἵρεσιν τοιάνδε... » Et *Eus.* V 28 *(ex parvo Labyrintho)* : « ... ἀκριβῶς εἰδότες, ὅτι Βίκτωρ τὸν σκυτέα Θεόδοτον, τὸν ἀρχηγὸν καὶ πατέρα κοινωνίας, πρῶτον εἰποντα ψιλὸν, ἄνθρωπον τὸν Χριστὸν. »

Vidimus supra Alogos implacabiles adversarios fuisse Montenistarum, quam antipathiam etiam Cajus, qui eorum sententiæ

(1) Philos. VII, 35 : ἐκ παρθένου γεγενημένον κατὰ βουλὴν τοῦ Πατρὸς, et X, 23 : « ὅτι κατὰ βουλὴν Θεοῦ γεγένηθαι ἐκ παρθένου ».

(2) Cfr Duchesne, *Les origines chrétiennes*, p. 253 : « Enfin les Melchisédéchiens, c'est-à-dire Théodote le banquier et ses adhérents, enseignaient certainement la naissance surnaturelle; les hérésiologues, en le rapportant, ne signalent ici aucune différence avec la secte principale. Il y a donc lieu de croire que S Epiphane aura fait ici une confusion, ce qui lui arrive quelquefois ».

partem sibi appropriavit, professus est : jam vero hujusmodi nihil de Theodoto refertur.

Epiphanius igitur, quemadmodum Alogis talem adscribit christologiam qualem ex rejecto quarto evangelio a priori deducebat, ita etiam falsa illa Alogorum nominis impositione ad Theodotum cum Alogis connectendum, ulterius impellebatur.

Unde non solum quam fragilis sit illa connexio apparet, sed insuper quæ supra de Alogorum doctrina statuimus, de Epiphanii testimonio diffidentes, ex ipsius Theodoti christologia confirmationem accipiunt.

2°) Neque, ut Corssen tenet, quartum evangelium Theodotus ejusque discipulus Artemon rejecerunt.

Ad *Theodotum* quod spectat, Philaster his verbis usum Scripturarum apud eum describit : « Utuntur capitulis Scripturarum quæ de Christo veluti de homine edocent, quæ autem ut Deo dicunt, ea vero non accipiunt, legentes et nulla modo intelligentes ». Epiphanius neque ullus alius hæresiologus Scripturarum seu librorum *repudiationem* tanquam a Theodoto patratam refert, critica ejus methodus illos tantum *textus individuos* qui divinitati Christi favebant, respiciebat (1). Inter cæteros autem textus, quos in suæ doctrinæ favorem invocabat, unus est ex Joannis evangelio desumptus. Nempe *Epiph. h.* 54 c. 1 ita scribit : « Εἶτα (Theodotus scil.) εἰς κακὴν ἑαυτοῦ ἀπολογίαν ὅσαπερ χρήσιμα εὗρεν, οὐχ ἁγνῶς οἰόμενος, ἀλλὰ προφάσει τῆς ἑαυτοῦ παρεκτροπῆς ταῦτα ἑαυτῷ ἐπισωρεύον συνήγαγεν. Ὅτι, φησὶν, ὁ Κύριος ἔφη· Νῦν δὲ ζητεῖτέ με ἀποκτεῖναι ἄνθρωπον, ὃς τὴν ἀλήθειαν ὑμῖν λελάληκα· ὁρᾷς, φησὶν, ὅτι ἄνθρωπός ἐστιν ».

Corssen (*o. c.* p. 71), opinatur hoc modo ironice contradictionem in quarto evangelio a Theodoto indicatam fuisse. At contextus huic interpretationi minime favet : etenim Epiphanius expresse hunc locum adducit ut exemplo ostendat, quomodo in

(1) Ad rem HARNACK, *Dogmengeschichte*, I, p. 667 : « Epiphanius hatte uns zum glück Stücke aus den biblisch-theologischen Untersuchungen des Theodotus durch Vermittelung des Syntagmas bewahrt. Sie zeigen, das über den Umfang des NTlichen Kanons kein Streit mehr gewesen ist; das Johannesevangelium ist anerkannt, auch in dieser Hinsicht ist Theodotus katholiker. »

propriam apologiam « quæcumque accommodata invenit » invocet. Præterea, pluribus in locis Epiphanius (Hippolytus) ex quarto evangelio arguit tanquam ex libro cujus auctoritatem Theodotus agnoscit. Ita immediate post textum supra citatum ait Epiphanius « Ἀλλὰ οὐκ ἔγνω ὁ τάλας ὅτι ἐν ταυτῷ ὁ Χριστὸς λέγει. Τὴν ἀλήθειαν, ἣν ἤκουσα παρὰ τοῦ Πατρός μου. Πατέρα δὲ ἑαυτοῦ λέγει Θεόν· οὐ γὰρ ἄνθρωπον. » Eodem modo in c. 5 Jo. 1, 1 ss. et in medio c. 5 Jo. 8, 56 ss. contra Theodoti doctrinam adducit : Unde nullum remanet dubium quin quartum evangelium etiam a Theodotianis agnitum fuerit (1).

2° De Artemonis Joannis evangelium habitudine.

De christologia Artemonis, qui circa a. 270 Romæ docuit, haud multa cognoscimus. Nam quæ Eusebius *H. E.* II, 28 ex *parvo Labyrintho* adversus Artemonis hæresin elaborato, excerpsit, plerumque Theodotianos respiciunt. Initio tamen illius c. 28 de Artemonis asseclis quædam referuntur, ex quibus certo omnino constat peculiarem eos de christo doctrinam admisisse, cum auctor *Labyrinthi* pluribus argumentis Christi divinitatem adstruat, quin tamen cum certitudine statui possit in quonam præcise doctrinæ puncto a Theodotianis recesserint. « Φασὶ γὰρ ait, τοὺς μὲν προτέρους ἅπαντας καὶ αὐτοὺς τοὺς ἀποστόλους παρειληφέναι τε καὶ διδιδαχέναι ταῦτα, ἃ νῦν οὗτοι λέγουσι, καὶ τετηρῆσθαι τὴν ἀλήθειαν τοῦ κερύγματος μέχρι τῶν Βίκτορος χρόνων, ὅς ἦν τρισκαιδέκατος ἀπὸ Πέτρου ἐν Ῥώμῃ ἐπίσκοπος, ἀπο δὲ τοῦ διαδόχου αὐτοῦ Ζεφυρίνου, παρακεχάραχθαι τὴν ἀλήθειαν ».

Corssen (*o. c.* p. 72) adulterationem veritatis, de qua Zephyrinus ab Artemonis asseclis reprehenditur, in hoc sitam fuisse putat, quod scil. sub Zephyrino pontifice quartum evangelium characterem canonicitatis definitive nactum fuerit, et eo ipso doctrina de Christi divinitate sive monistico sive dualistico modo

(1) Quæ de Theodotianis affirmantur apud Eus. *H. E.* V, 28 præfata confirmant, cum non scripturæ sacræ librorum repudiatio, sed tantum *adulteratio seu corruptio* eis objiciatur : « Διὰ τοῦτο ταῖς θείαις Γραφαῖς ἀφόβως ἐπέβαλον τὰς χεῖρας, λέγοντες αὐτὰς διωρθωκέναι κτλ... »

intellecta, sigillo ecclesiastico fuerit munita. Sed hanc deductionem omnino arbitrariam censemus. Etenim, imprimis nullum in contextu indicium reperitur, in quo Artemonis adversus quartum evangelium oppositio reperiri possit. Insuper, de christologia quæstionem fuisse ex toto contextu apparet (1); quænam autem præcise forma vel modalitas in quæstionem venerit, incertum manet. Præterea, sub ipso Victore canonicum Joannis evangelii usum, tam a Theodoto quam ab ejus adversariis tanquam extra controversiam reputatum statim supra vidimus, hancque canonicitatem sæculo secundo exeunte in *ecclesia* romana tam certam censemus, ut testimoniorum invocatio superflua videri possit.

§ 4. — *De Prologis Monarchianis* (2).

In multis Vulgatæ manuscriptis, quorum quædam valde antiqua probantur, « prologi » quatuor evangeliis præponuntur. Nuperrime autem auctor eruditus P. Corssen originem, characterem dogmaticum atque significationem historicam horum brevium tractatuum determinare conatus est.

(1) Eus. *H. E.* V, 28 : « Πῶς δὲ οὐκ αἰδοῦνται ταῦτα Βίκτορος καταψεύδεσθαι, ἀκριβῶς εἰδότες, ὅτι Βίκτωρ τὸν σκυτέα Θεόδοτον, τὸν ἀρχηγὸν καὶ πατέρα ταύτης τῆς ἀρνησιθέου ἀποστασίας, ἀπεκήρυξε τῆς κοινωνίας, πρῶτον εἰπόντα ψιλὸν ἄνθρωπον τὸν Χριστόν; Εἰ γὰρ Βίκτωρ κατ' αὐτοὺς οὕτως ἐφρόνει ὡς ἡ τούτων διδάσκει βλασφημία, πῶς ἂν ἀπέβαλλε (ἀπέβαλε) Θεόδοτον τὸν τῆς αἱρέσεως ταύτης εὑρέτην ». Ex his verbis depravationem istam ad doctrinam de Christi divinitate spectasse probatur. Quod autem doctrinæ depravationem a Victore patratam reputent, non obstat, ut Corssen putat, quominus de christologia agatur : etenim *Labyrinthi* auctor expresse de christologia actum esse affirmat, eosque idcirco inconsequentiæ insimulat. Deinde cum totus sit auctor in ostendendo eorum errorem ad Theodotianismum tanquam ad fontem reduci, eo ipso Artemonis discipulos cum discipulis Theodoti quoad christologiam non esse omnino identificandos indicat. Unde non tanta necessario inconsequentia erat, quantam eam Corssen fingit.

(2) Corssen, *Monarchianische Prologe zu den vier Evangelien.* Leipzig 1896. — Ernst von Dobschuetz, *Studien zur Textkritik der Vulgata.* Leipzig 1895. — Holtzmann, *Th. LZ.* 1897, p. 331 ss. — Juelicher, *Göttingische gelehrte Anzeige.* 1896, p. 841 ss. — P. Rose, *R. B.* 1897, p. 524 ss. Hilgenfeld, *Z. WTh.* 1897, p. 432 ss. — J. S. (Jacques Simon), *Revue critique* 1897, 15 Février.

Prologos S. Hieronymo anteriores esse probat Corssen ex prologo Joannis evangelii, quod immediate post Matthæum ponitur (1). Ipse Hieronymus in epistola ad Damasum editioni suæ evangeliorum præfatoria, in latinos codices hodiernum evangeliorum ordinem juxta græca manuscripta introduxit : « hæc præsens præfatiuncula pollicetur quatuor tantum evangelia, quorum ordo iste est : Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes ». Prologos istos sæculo tertio compositos dicit Corssen, eosque Vulgatæ manuscriptis adjunctos fuisse ait a scribis indoctis, vel potius a persona quadam ecclesiastica, probabiliter romana, illorum hæretici characteris ignara. Monarchianos enim prologos esse Corssen demonstravit. In specie autem Matthæi, Lucæ et Joannis evangeliorum prologum talem exhibere monarchianismum arbitratur, qualem Tertullianus impugnavit, et qui tanquam evangelicæ prædicationis objectum summarium identitatem Christi ac Dei docebat (p. 24 ss., 29). Marci evangelii prologus, juxta Corssen, monarchianismi speciem antiquiorem, Gnosticismo viciniorem forsan, dynamistam exhibet : etenim Jesum per baptismum solummodo Christum factum esse docere videtur (p. 30 s.). Insuper idem prologus aperte contra doctrinam *de Verbo* (die Logoslehre) pugnat, atque indirecte saltem quartum evangelium reprehendit, quatenus scil. juxta Marcum « non emissum solum verbum caro factum, sed corpus Domini in omnia per verbum divinæ vocis animatum initio evangelicæ prædicationis ostendat ». Ex variis indiciis dein Corssen Alogorum doctrinam cum his difficultatibus contra quartum evangelium propositis connexam esse concludit. Hanc conclusionem Harnack probare videtur (2).

(1) Hoc ita in Joannis evangelii prologo exprimitur : « Qui etsi post omnes evangelium scripsisse dicitur, tamen dispositione canonis ordinati post Matthæum ponitur, quoniam in Domino quæ novissima sunt, non velut extrema et abjecta numero sed plenitudinis opere perfecta sunt, et hoc virgini debebatur. » Cfr Corssen, *o. c.* p. 7.

(2) Harnack, *Chron. ACL.* I, p. 671, n. 1 : « Eine kritische Stellung zum Johannesev., welches vom Boden der Synoptiker beurtheilt wird, scheint noch in den alten lateinischen Argumentum zum Marcusev. durchzuschimmern, s. Corssen i. d. Texten u. Unters. Bd. XV, H. 1 s. 9. Hier scheint der Anfang des vier Ev's ebenso an dem des 2. genessen zu werden, wie es die Aloger gethan haben. »

Omnes sane quæstiones a Corssen tractatas evolvere non juvat : eas tamen quæ magis directe ad materiam nostram faciunt examini subjiciemus (1).

Ita sequentia puncta probare sufficiat :

1° Quinam sit character prologi Marci evangelii ejusque significatio?

2° Quomodo auctor prologi se habet relate ad doctrinam de Verbo, et an oppositio adversus Joannis evangelium in prologis reperitur?

1° *Character prologi Marci evangelii ejusque significatio.* Monarchianum quidem esse hunc prologum concedimus, Monarchianismi autem speciem aliorum prologorum doctrina antiquiorem exhibere non putamus.

Etenim, ideam fundamentalem prologi non recte a Corssen expositam fuisse arbitramur. Hæc autem est ejus sententia :

(1) Marci prologus præsertim examinandus venit : illum juxta Corssen (p. 9 s.) transscribimus :

Incipit argumentum evangelii secundum Marcum.

Marcus, evangelista Dei et Petri in baptismate filius, atque in divino sermone discipulus sacerdotium in Israhel agens, secundum carnem levita conversus ad fidem Christi, evangelium in Italia scripsit ostendens in eo, quod et generi suo deberet et Christo. Nam initium principii in voce propheticæ exclamationis instituens ordinem leviticæ electionis ostendit, ut prædicans prædestinatum Joannem filium Zachariæ in voce angeli adnuntiantis, non emissum solum verbum caro factum, sed corpus Domini in omnia per verbum divinæ vocis animatum initio evangelicæ prædicationis ostenderet, ut qui hæc legens sciret, cui initium carnis in Domino et Dei advenientis habitaculum caro deberet agnoscere atque in se verbum vocis, quod in consonantibus perdiderat, inveniret, Denique et perfecti evangelii opus intrans et a baptismo Domini prædicare Deum inchoans, non laboravit nativitatem carnis, quam in prioribus viderat, dicere, sed totus in primis explosionem deserti, jejunium numeri, temptationem diaboli, congregationem bestiarum et ministerium protulit angelorum, ut instituens nos ad intelligendum singula in brevi compingens nec auctoritatem factæ rei demeret et perficiendo operi plenitudinem non negaret. Denique amputasse sibi post fidem pollicem dicitur, ut sacerdotio reprobus haberetur; sed tantum consentiens fidei prædestinata potuit electio, ut nec sic in opere verbi perderet quod prius meruerat in genere. Nam Alexandriæ episcopus fuit. Cujus per singula opus scire et evangelii in se dicta disponere et disciplinam in se legis agnoscere et divinam in carne Domini intellegere naturam, quæ et nos primum requiri, dehinc inquisita volumus agnosci, habentes mercedem exhortationis, quoniam qui plantat et qui rigat, unum sunt, qui autem incrementum præstat Deus est.

Marci evangelii perfectio juxta prologum in eo reponenda est, quod scil. « a baptismo Domini prædicare Deum inchoans », « corpus Domini in omnia per verbum divinæ vocis animatum initio evangelicæ prædicationis ostendit, ut qui hæc legens sciret, cui initium carnis in Domino et Dei advenientis habitaculum deberet agnoscere, atque in se verbum vocis quod in consonantibus perdiderat, inveniret ». « Verbum vocis » juxta Corssen est vox illa quæ in baptismo audita est dicens : « Tu es Filius meus dilectus, in te complacui » (Mc. 1, 11; cfr Mt. 3, 17; L. 3, 22). Distinguit igitur auctor personam Christi ante baptismum inter et eamdem personam post baptismum — « nativitatem carnis », « Dei advenientis habitaculum » inter et « corpus Domini » « per verbum divinæ vocis animatum ».

Hac autem fundamentali distinctione nixus, Corssen dein hujus doctrinæ cum Gnosticismo potius quam cum Monarchianismo connexionem adstruere conatur (1).

Jamvero prologi Monarchianismum modo inaccurato fuisse descriptum arbitramur.

Etenim sententiam ab Hilgenfeld (2) circa prologi divisionem omnino tenendam esse censemus.

Juxta hunc auctorem prologus Marci in duas dividitur partes, quarum prima « initium principii », altera autem « perfecti evangelii opus » complectitur. In prima autem parte nullus sermo habetur de Christi baptismate, quod in secunda tantum parte rememoratur : « denique et perfecti evangelii opus intrans et a baptismo Domini prædicare Deum inchoans non laboravit nativitatem carnis ». — Unde sensus prioris partis hic est : Marcus... loquendo de Joanne prædestinato, misso in voce angeli annuntiantis, ostendit initio evangelicæ prædicationis non solum verbum caro factum esse, sed corpus Domini in omnia per

(1) Hac occasione adducit Tertul. *adv. Prax. c.* 27 : « Talem monarchiam apud Valentinum fortasse didicerunt, duos facere Jesum et Christum » dein Iren. III, 16, 1 : « Quoniam autem sunt qui dicunt Jesum quidem receptaculum Christi fuisse in quem desuper quasi columbam descendisse Christum ... et esse quidem Filium Jesum, Patrem vero Christum et Christi patrem Deum ».

(2) *Z. WTh.* 1897, *l. c.* Quasdam locutiones tamen alio modo interpretamur.

verbum divinæ vocis fuisse animatum. — Quæ vox divina, juxta Hilgenfeld, vox est angeli annuntiantis. Ita fit « ut qui hæc legens sciat *cui* initium carnis in Domino et Dei advenientis habitaculum caro deberet agnoscere », nempe verbo vocis divinæ seu propheticæ quæ viam Domini præparabat.

Sententia hæc vel ipsa logica idearum consecutione commendatur. Imprimis « initium principii (1) » et « perfecti evangelii opus » evidenter sibi opponuntur. Insuper « et perfecti evangelii opus intrans », et « a baptismo Domini prædicare Deum inchoans» duo sunt membra coordinata, imo secunda propositio tanquam prioris membri explicatio accipi potest, ita ut « *et* » explicativum habeatur. Omnia igitur quæ verba « Denique et perfecti evangelii opus intrans etc. » præcedunt, tanquam ad « initium principii » spectantia reputari debent, adeoque cum Christi baptismate, ut supra innuimus, nullo modo connectuntur. Hæc explicatio etiam commendatur ex propositione generali introductoria « Marcus... secundum carnem levita conversus ad fidem Christi, evangelium in Italia scripsit ostendens in eo, quod et *generi suo* deberet et *Christo* ». Etenim duas has ideas in evangelio prologi auctor reperire vult, ut ex voce « nam » immediate sequente probatur. Quomodo igitur *generis sui levitici* vestigia in evangelio reliquit Marcus? Incipiendo a prophetica exclamatione [Mc. 1, 2 (Isaias), 3 (Malachias)] leviticam electionem ostendit, « ut prædicans prædestinatum Joannem filium Zachariæ... ostenderet » (2).

Huic autem leviticæ electioni, per propheticam exclamationem manifestatæ, nova idea adjungitur : « ut... ostenderet », scil.

(1) Notetur duplex vocabulum : « initium principii » scil. ut ait Rose (*R. B.* 1897, p. 529) le « tout premier début ».

(2) Igitur verba « non emissum solum verbum etc. » quæ Corssen ad baptismum refert, intime e contra cum « levitica electione », adeoque cum « prophetica exclamatione » connectuntur. Generalis illius prologi divisionis aliud indicium in fine reperitur : « ut nec sic in opere verbi perderet quod prius meruerat in genere ». — Zahn, *Einl.*, II, p. 181, n. 8 : « Die Worte (Wordsworth, I, 172) *perfecti evangelii opus intrans et a baptismo Domini deum prædicare inchoans* beziehen sich ja offenbar auf Mr 1, 1 ff. im Gegensatz zu *initio evangelicæ prædicationis* Mr 1, 1 ff. Im Gegensatz zu dem Vorläufer, dessen Predigt Mr als den Anfang des Ev. bezeichnet hatte, kommt das volkommene Ev. erst durch Christus. »

« ut prædicans prædestinatum Joannem filium Zachariæ in voce angeli adnuntiantis (1) » « initio evangelicae prædicationis ostenderet » « non solum verbum caro factum, sed corpus Domini in omnia per verbum divinæ vocis animatum ». — Evidens hic allitteratio habetur inter « verbum caro factum » et « verbum divinæ vocis ». Hæc autem vox divina, vox illa prophetica est de qua immediate supra, et vox angeli adnuntiantis. Sensus igitur est Marcum ostendere « non solum verbum caro factum, sed corpus Domini in omnia per verbum divinæ vocis animatum » fuisse. Sane significatio vocabuli « animatum » urgeri nequit, attamen allitterationis usus, stylusque parum accuratus auctoris, istius locutionis rationem sufficientem reddunt (2).

Ex his omnibus non recte prologi significationem a Corssen traditam fuisse satis apparet; adeoque cum solummodo ope istius phraseos « emissum non solum verbum divinæ vocis animatum... ostenderet » peculiarem hujus prologi monarchianismum determinet, ita hanc monarchianismi antiquiorem formam in prologo reperiri eo ipso rejiciendum est. Ex quo iterum varios in prologis illis adversus Joannis evangelium oppositionis gradus distinguendos esse minime admitti potest (3). Quod ex sequenti examine adhuc clarius apparebit.

2° *Quomodo Prologi auctor se habet ad doctrinam de Logo et ad evangelium Joannis.*

Corssen tenet Marci prologum doctrinæ de Verbo, qualis in

(1) Sensus est « ut fieret vox Angeli adnuntiantis », quatenus « in voce » positum sit pro « in vocem ».

(2) Notemus adhuc cum P. Rose, *l. c.* : « Il semble que la traduction de M. Corssen : « Marc écrivait... pour que le lecteur sût que c'était à lui (Marc) qu'il devait de connaître, » etc. est invraisemblable. *Cui* ne peut se rapporter à Marc. »

(3) Corssen contradictiones quæ in sua sententia inter varios prologos oriuntur, hypothesi variorum fontium absque sufficienti attentione et examine ab auctore adhibitorum explicare vult. At, ut P. Rose observat : « Mais on est en droit de se demander s'il est permis d'attribuer à l'auteur des prologues une absence de logique aussi caractérisée. Suffit-il pour atténuer son erreur de recourir à des différences de documents, et de dire qu'il les a rapportés et juxtaposés sans avoir soin de les discerner? Sans doute, il lui faut reconnaître une certaine naïveté.... Cette naïveté, nous la faisons très large. Toutefois, elle ne saurait tout expliquer. »

quarto evangelio exponitur, infensum esse, ejusdemque oppositionem contra hanc doctrinam non obscure in textu indicari (p. 34 ss.). Verba enim « ut prædicans prædestinatum Joannem filium Zachariæ in voce angeli adnuntiantis, *emissum non solum verbum caro factum* » non ordine servata fuisse arbitratur. Vox « emissum » dicit, cum « verbum » connectenda est. Omnia manuscripta quidem « emissum non solum » habent, unde « emissum » ad « *Joannem* » referendum foret. In hujus sententiæ favorem etiam facere videtur Isaiæ textus quem auctor certe respicit : « Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam ». — Sed quominus hæc interpretatio admittatur, plura obstant. Tunc enim « *emissi* » scribendum foret; insuper vis principalioris vocis « prædestinatum » debilitaretur, et demum non intelligeretur quomodo auctor Joannis textum « et verbum caro factum est » Marco tribuisset, quem etiam — quod postea negat — de *nativitate carnis* loquentem exhibuisset. Dixisset igitur prologi auctor juxta Petri Corssen sententiam : « Marcus non docet, ut Joannes, vocem mere prolatam carnem factam esse, sed ostendit carnem fuisse initium Domini et cum hac carne divinitatem se totaliter coagulasse (1) ».

Huic autem theoriæ calculum non adjicimus. Imprimis restitutio textus quam Corssen proponit, minime nobis arridet : ut Corssen ipse fatetur, in nullo codice reperitur illa lectio, omnesque habent « emissum non solum », quemadmodum etiam Wordsworth et White ac Ernst von Dobschütz legunt. Obvia etiam ad Isaiæ verba allusio magis convincens videtur quam omnes convenientiæ rationes a Corssen invocatæ : præterquam enim quod nulla cogens adducitur, pravioris latinitatis est auctor, ejusque dicendi ratio minus accurata quam ut allegatæ rationes restitutionem suadere possint.

(1) « So würde denn an unserer Stelle auf das Marcusevangelium ein Protest gegen die Logoslehre gegründet und ausgesprochen sein, dass Marcus nicht wie Johannes lehre, dass ein blosses ausgesprochenes Wort Fleisch geworden sei und eine selbständige Praeexistenz gehabt habe, sondern dass der Anfang des Herrn Fleisch gewesen sei und dass mit diesem Fleische sich das göttliche Wesen selbst hinterher vollständig verbunden habe. » p. 35.

Indicia igitur a Corssen proposita nimis incerta videntur, quam ut ex eis ad oppositionem adversus doctrinam de Verbo concludere possimus. Quominus autem hoc loco antiquiorem illam Monarchianismi formam quam Corssen intendit reperiamus, generalis prologi interpretatio obstat (1). Cum ex una parte hypothesis antiquioris cujusdam documenti ab auctore nostro usitati omnino improbabilis sit, cumque ex alia parte Monarchiani, quales a Tertulliano et Hippolyto depinguntur, doctrinam de Verbo ut sic non impugnent, sed peculiari tantum suoque scopo accommodata methodo eam interpretentur, aliam erga eamdem doctrinam habitudinem auctori prologorum esse adscribendam minime admittimus. Pari modo auctor noster suæ doctrinæ evangelium Joannis accommodare conatus est (2) : ex Marci initio doctrinam de Verbi incarnatione aliquatenus magis determinare intendit.

Ad oppositionem contra ipsum Joannis evangelium in Prologis indicatam quod spectat, adhuc magis incertam plures critici (3) eam dixerunt, eorumque judicio subscribendum esse censemus. Etenim argumenta a Corssen adducta minime probantia apparent.

Imprimis, jam hoc contra Corssen afferri potest præjudicium, quod scil. mirandum omnino esset, oppositionis illius nullam in ipso Joannis prologo vestigium reperiri, cum tamen ab eodem auctore conscriptus fuerit. Ipsa tamen potius argumenta videamus.

In Marci prologo « non laboravit nativitatem carnis quam in *prioribus* viderat, dicere », *priores* solummodo Matthæus et

(1) Holtzmann, *Th. LZ.* 1897, p. 332 hanc sententiam a Corssen propugnatam etiam parum certam dicit.

(2) Occasione hujus textus « emissum non solum etc. » hæc P. Rose habet (*R. B.* 1897, p. 531) : « L'auteur compare Marc et Jean. Ce rapprochement s'imposait à lui puisque ces deux évangélistes débutent avec le ministère du Baptiste et la maturité du Seigneur. On sait du reste combien il aime les oppositions et les contrastes et que souvent il les pousse à outrance. Jean dit : *La parole est devenue chair*. Combien notre monarchien est heureux de mettre en parallèle la formule de Marc : *La chair a été animée par la parole*, de contrebalancer en quelque sorte un texte dangereux pour lui par un texte favorable. »

(3) Juelicher et Hilgenfeld, *ll. cc.*

Lucas intelliguntur juxta Corssen : illa duo evangelia sola etiam « consonantes » vocantur, ex quo titulo Joannis evangelium iterum reprehenditur (p. 37). Concludit Corssen ex variis indiciis auctoritatem evangelicam ad Mt. ac Mc. restrictam fuisse.

At fundamentale hoc principium, in prologis satis indicatum, Corssen non satis animadvertisse videtur : scil. ordinem historicum compositionis evangeliorum, eorumque canonicam successionem ab auctore distingui (1). Ita fit ut tum Joannes tum etiam Marcus ut ultimus evangelista designari possit. Unde de quonam ordine prologorum auctor loquatur imprimis statuendum est, antequam locutionum « in prioribus » et « in consonantibus » extensio indicetur.

Jam vero, tanquam omnino certum defendimus, non de historico successionis ordine, sed de ordine successionis *canonicæ* ab auctore adoptatæ (Mt., Jo., L., Mc.) in textibus a Corssen allatis

(1) Hos adducimus textus : Ex argumento evangelii Matthæi « Matthæus ex Judæa sicut in *ordine primus ponitur*, ita evangelium in Judæa *primus scripsit.* » — Ex Joannis argumento : « Qui etsi *post omnes evangelium scripsisse* dicitur, tamen dispositione canonis ordinati post Matthæum ponitur, quoniam in Domino quæ novissima sunt, non velut extrema et abjecta numero sed plenitudinis opere perfecta sunt, et hoc virgini debebatur. Quorum tamen vel scripturarum tempore dispositio vel librorum ordinatio ideo per singula a nobis non exponitur, ut sciendi desiderio conlocato et quærentibus fructus laboris et Deo magisterii doctrina servetur. » — Ex Lucæ prologo (quod evangelium tertium ponitur a prologorum auctore, post Joannem scil. et ante Marcum) : « Qui cum jam descripta essent evangelia per Matthæum quidem in Judæa, per Marcum autem in Italia, sancto inspirante Spiritu in Achaiæ partibus hoc scripsit evangelium, significans etiam ipse in principio ante alia esse descripta. » — Nuperrime aliam interpretationem Zahn *(Einl.* II, p. 181 s., n. 8) adduxit : « Und wenn von der fleischlichen Geburt gesagt wird, Mr habe sie *in prioribus* gesehen und darum es nicht für der Mühe wert gehalten, sie noch einmal zu erzählen, so ist es sehr willkürlich, dazu *evangeliis* (sc. Mt. et Lc.) zu ergänzen. Es wird das gewöhnliche ἐν τοῖς πρὸ τούτων, wozu z. B. Orig. tom. II, 1 in Jo. nicht βιβλίοις zu ergänzen ist, oder ἐν τοῖς ἔμπροσθεν u. dgl. sein. Der Verf. der Prologe, welche schwerlich so alt sind, wie Corssen sie machen will, hat den Codex vor Augen, in welchem Mt. 1 vor Mr 1 steht; und er hat nicht vergessen, dass nach seiner ausdrücklichen Angabe wohl Mt, aber nicht Lc vor Mr geschrieben hat. » Hanc sententiam idearum connexione minus commendabilem ostendi arbitramur.

quæstionem esse. Etenim, in prologo ad Lucæ evangelium *expressis verbis* auctor notat Lucam post Marcum scripsisse, et in ipso Lucæ proœmio hujus asserti probationem invenit : « Qui cum jam descripta essent evangelia per Matthæum quidem in Judæa, per Marcum autem in Italia, sancto instigante Spiritu in Achaiæ partibus hoc scripsit evangelium, *significans etiam ipse in principio ante alia esse descripta.* » Optime etiam notavit Matthæum in utroque ordine tum historico, tum canonico primum esse, Joannem vero canonico ordine secundum, ordine historico autem ultimum poni. Unde ut sententiam suam Corssen tueatur, flagrantis contradictionis in brevi contextu auctorem arguere debet, qui utrumque ordinem tam clare distinguit, eique distinctioni repetitis vicibus insistit. Hanc autem contradictionem a Corssen allegatam tanquam regulis sanæ interpretationis contrariam omnino rejiciendam putamus. Igitur in prologo Marci, quem ordine historico secundum scripsisse optime novit, quando numero plurali de « consonantibus », et de « prioribus » numero plurali auctor loquitur, *de canonicæ successionis ordine* unice loqui intendit. « Consonantes » ergo et « priores » certissime tria priora evangelia Matthæi, Joannis et Lucæ intelliguntur. Eodem modo, quia ordine canonico ultimus Marcus accedit, de eo dicitur « ut instituens nos ad intellegendum singula in brevi compingens nec auctoritatem factæ rei demeret et perficiendo operi plenitudinem non negaret ».

Prologi illi destinati sunt ut lectorem, exposito uniuscujusque evangelistæ charactere proprio, in unumquodque evangelium legendum introducant, et idcirco canonicam successionem supponunt. Hoc modo inspecta quatuor evangelia unum « perfectum opus » constituunt, in quo unumquodque evangelium peculiarem significationem obtinet (1), et in quo proinde ab historico successionis ordine auctor abstrahere potest.

Cæterum, ex ipso textu « atque in se verbum vocis quod in

(1) In ultima secundi sæculi parte, muratoriani fragmenti auctor et S. Irenæus talia de quadriformi evangelio exposuerunt : cfr opusculum nostrum *S. Irénée et le canon du Nouveau Testament*, 1896, p. 27 s. — De evangeliorum ordine cfr GREGORY, *Proleg. z. Tisschendorf's N. T.* ed. crit. VIII, p. 137 ss. — ZAHN, *G. N. K.* II, p. 364 s. — CORSSEN, *o. c.* p. 67.

consonantibus perdiderat, inveniret », interpretatio Petri Corssen impossibilis ostenditur. « Verbum » vocis enim juxta nostram prologi explicationem, est vox illa « propheticæ exclamationis » cum qua Marcus evangelium suum exorditur. Sententia nostra de prologi priori parte, ex hoc ipso confirmationem accipit; nam impossibile est illum textum cum Corssen intelligere de voce : « Tu es Filius meus dilectus, in te complacui ». Quomodo enim illa vox apud Matthæum et Lucam « perdita » dici potest, quatenus scil. post narrationes quæ in istis evangeliis hanc vocem præcedunt, non satis emineat (1) ?

Etenim apud Matthæum (3, 16 et 17) et Lucam (3, 21 et 22) vox illa minime deperditur : e contra, cum apud utrumque evangelistam Christi nativitas atque infantia exponatur, multo magis apud hos quam apud Marcum (qui de nativitate et de pueritia silet) ostenditur : « initium carnis in Domino et Dei advenientis habitaculum caro», adeoque « verbum vocis » animantis eo magis exhiberi videtur. E contra, in nostra sententia, verba illa optime intelliguntur, cum vox illa prophetica quacum Marcus evangelicam narrationem incipit, apud nullum e tribus « prioribus » evangelistis appareat : illa vox pro lectore deperdita erat (2).

Oppositionem igitur proprie dictam contra doctrinam de Verbo in prologis nostris reperire non est : textus e quo illam discrepantiam deducit Corssen, immerito ad baptismum Christi refertur. Ut supra diximus, ad summum ex verbis illis « non solum ver-

(1) Corssen, *o. c.* p. 30 : « Wenn es heist dass dieses Wort dem Leser bei Mt und Lc verloren gegangen sei,. . so kann damit nur gemeint sein, dass die Bedeutung des Wortes bei diesen unter dem Eindruck der voraufgegangenen Erzählung nicht genügend hervortrete ».

(2) « Non laboravit nativitatem carnis quam *in prioribus* viderat dicere». Corssen (p. 30) Joannem excludi dicit, cum narrationem de nativitate soli Matthæus et Lucas habeant. At, ordinem canonicum hic intendi supra vidimus, quod ex plurali « prioribus » satis patet, cum auctor optime Marcum origine Luca anteriorem cognoscat. Non necessario requiritur ut in *unoquoque* evangelio illud narretur, cum, uno excepto, Marcum « nativitatem carnis in prioribus vidisse » verum maneat. — Verba « atque in se verbum vocis quod *in consonantibus* perdiderat » Hilgenfeld, *l. c.* modo nimis exquisito interpretari videtur : « Dieses beseelende Wort einer Gottesstimme, welcher der Fleischwerdung des Herrn zu grunde liegt, soll man aber auch in sich selbst, wo es durch Mitertönendes, Geräusch der Welt u. s. w. verloren gegangen war wiederfinden ».

bum caro factum etc. », difficultas quædam elucet, quam monarchianus auctor in evangelio illo suæ doctrinæ adaptando experiebatur. Eidem animi dispositioni probabiliter tribuendum est significationem peculiarem Joannis evangelii breviter indicari (1), auctoremque multo magis ipsi Joannis personæ ejusque virginitati insistere. Nihil in his prologis præsertim reperitur unde ad existentiam alicujus *sectæ* Alogis affini concluderetur (2).

Quatuor evangelia eodem titulo ut canonica habet, nec in ipso Joannis prologo recte intellecto indicium oppositionis quoddam apparet.

Cum autem Marci prologus ab eodem sit auctore, et hypothesis antiquorum documentorum in eo indiscriminatim assumptorum omnino improbabilis appareat, hypothesis a Corssen admissa nullo argumento fulcitur : Joannis evangelio Marcum prologorum auctor non opponit, sed monarchianismo suo cedens Joannem Marco complere conatur (3).

Alii monarchiani, ut Theodotus et Artemon, quartum evangelium recipiunt, quin eorumdem cum Alogorum doctrina connexio probetur. Muratorii fragmentum et Hippolytus individua oppositionis tentamina Romæ cognoverunt, sed Alogorum secta in

(1) « Denique manifestans in evangelio quod erat ipse incorruptibilis, verbi opus inchoans solus Verbum caro factum esse nec lumen a tenebris comprehensum fuisse testatur, primum signum ponens quod in nuptiis fecit Deus, ut ostendens quod erat ipse, legentibus demonstraret, quod ubi Dominus invitatur deficere nuptiarum vinum debeat ac veteribus immutatis nova omnia quæ a Christo instituuntur appareant. *De quo in singula quæque in mysteria acta vel dicta evangelii ratio quærentibus monstrat.* »

(2) Corssen textum Epiph. *H.* 51, c. 6 (fin.) invocat : « λεγόντων αὐτων ὅτι ἰδού καὶ δεύτερον εὐαγγέλιον περὶ Χριστοῦ σημαῖνον καὶ οὐδαμοῦ ἄνωθεν τὴν γέννησιν· ἀλλά φησίν, ἐν τῷ Ἰορδάνῃ κατῆλθεν τὸ πνεῦμα ἐπ' αὐτὸν καὶ φωνή· οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, ἐφ' ὃν ηὐδόκησα. » Sed immerito hunc textum Alogis applicari supra vidimus (p. 120).

(3) Doctrinam de « Verbi » incarnatione in prologo ad Joannem simpliciter refert : « verbi opus inchoans solus verbum caro factum esse nec lumen a tenebris comprehensum fuisse testatur »; et in prologo ad Matthæum Jo. 10, 30 in suæ doctrinæ favorem invocat « ostendens unum se cum patre esse, quia unus est. » — Cfr Hilgenfeld, *l. c.* : « Dieses Evangelium aber als das erste an die Spitze zu stellen, ist ihm so wenig in den Sinn gekommen, dass er vielmehr die herkömmliche Zweistellung unbedenklich gelten lässt ».

romana ecclesia vigens juxta fontium testimonium non exstitit : Alogorum ergo adversus Joannis scripta oppositio, in pugna contra Montanistas suscepta, *momentanea et localis apparitio* nuncupanda est.

CAPUT V.

TRADITIONIS TESTIMONIA DE JOANNE APOSTOLO QUARTI EVANGELII AUCTORE, ET DE NONNULLIS IN QUIBUS SCRIPTUM FUIT QUARTUM EVANGELIUM ADJUNCTIS (1).

Dissertationem nostram incipientes, integram tractationem de traditionibus circa quarti evangelii originem subjungere mente volvebamus. Sed, ut a proposito desisteremus, variæ effecerunt causæ, præsertim autem temporis penuria ; dein etiam textuum inspiciendorum copia, pluriumque connexarum quæstionum difficultas.

Immorandum igitur nobis non erit circa opus Leucii, de quo adhuc quæritur quis fuerit, quo tempore scripserit, imo an persona fuerit historica, nec laboriose inquirendum utrum *Acta Joannis* de quarti evangelii origine notitiam complectantur. Sententia affirmans a Zahnio (2) proposita, et quæ confirmationem quamdam nacta est apud James (3), nondum probata videtur. Notitiam autem, quam fragmentum muratorianum continet, e Leuciano fonte fluere nemo demonstravit : quis enim affirmabit omnes traditiones de Joanne quas scriptores nobis servarunt aut e Leuciano fonte haustas esse aut e scriptis aliis, cum traditio oralis plura transmittere potuerit (4). Quis igitur fuerit quarti

(1) Cfr Patritius, *De Evangeliis*. Friburgi B. 1853, lib. I, p. 112 ss. — Cornely, *Introd. Spec.* III, p. 218 ss.

(2) *Acta Joannis*, p. cxxvi ss. — *G. N. K.* II, p. 32 ss., p. 844, n. 1. — Negat R. A. Lipsius, *Apocryphen Apostelgeschichten und Apostellegenden*, I, passim.

(3) *T. St.* V, 1, p. x ss. — Cfr Zahn, *G. N. K.* II, p. 844, n. 1.

(4) Quidam auctores determinare conati sunt quid nomine « historiæ ecclesiasticæ » apud quosdam antiquos scriptores, in specie apud S. Hieronymum et S. Augustinum intelligendum sit. An nempe ipsum Leucii opus

evangelii auctor seu scriptor *omnes textus Joannem apostolum nominant*. Quia autem per tempus non licet, præcipuos tantum, qui tamen sufficiant, afferemus.

1° Antiqua traditio catholica.

Tertullianus. Et primo quidem in Ecclesia africana occurrit Tertullianus qui *adversus Marcionem* e titulis evangeliorum, non ex Actis Leucii, argumentatur; et inter alia hæc habet : « Constituimus in primis evangelicum instrumentum apostolos auctores habere, quibus hoc munus evangelii promulgandi ab ipso Domino sit impositum; si et apostolicos, non tamen solos, sed cum apostolis, et post apostolos. Quoniam prædicatio discipulorum suspecta fieri posset de gloriæ studio, si non assistat illi auctoritas magistrorum, imo Christi qui magistros apostolos fecit. Denique, nobis fidem ex apostolis Joannes et Matthæus insinuant; ex apostolicis, Lucas et Marcus instaurant. » Postquam autem evangelium Lucæ contra Marcionem vindicavit, addit : « In summa, si constat id verius quod prius, id prius quod ab initio, id ab initio quod ab apostolis; pariter utique constabit id esse ab apostolis traditum, quod apud ecclesias apostolorum fuerit sacrosanctum. Habemus et Joannis alumnas ecclesias. Nam, etsi Apocalypsin ejus, Marcion respuit, ordo tamen episcoporum ad originem recensus, in Joannem stabit auctorem. » Et postquam Lucæ evangelium, quod tantum Marcion impetebat, vindicavit, addit : « Eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum cæteris quoque patrocinabitur evangeliis, quæ proinde per illas et secundum illas habemus, Joannis dico et Matthæi, licet et Marcus quod edidit Petri affirmatur, cujus interpres Marcus, etc. (1). »

(Zahn), vel antiqui evangeliorum prologi (Lips'us) hoc nomine veniunt? Hucusque incertum manet. P. Corssen (*o. c.*) quidem istam « historiam ecclesiasticam » restituere conatus est. Sed utrum plene successerit, merito dubitatur. Etenim, non ita constat omnes auctores ab eo indicatos ab illa historia pendere, ut taceamus de miro illo titulo « ecclesiasticæ historiæ », quo brevissimum illud scriptum condecoratum fuisset. Utrum præterea prologus monarchianus, a Corssen indicatus, ulterius ipsius « ecclesiasticæ historiæ » fons fuerit, ex variis indiciis incertum habemus.

(1) *Adv. Marcion.* IV, 1-5.

Ista verba adeo sunt perspicua ut nulla explicatio addenda sit. Merito autem Tertullianus e titulis evangeliorum argumentatur : nam utebatur antiqua versione *itala*, in cujus antiquissimis quatuor codicibus a Blanchino editis, secundo loco venit « Evangelium secundum Joannem (1) »

S. Cyprianus et ipse evangeliorum titulos adducit, et quidem ad formam græcam attendens. Etenim in libro *Testimoniorum* adversus Judæos plura ex evangelio Joannis adducit cum hoc titulo : « In evangelio cata Joannem (2). » Quod intelligat Joannem apostolum vix monendum est, quum in aliis scriptis ex eodem evangelio verba recitat sub nomine Joannis apostoli.

Victorinus petavionensis in suis in Apocalypsin *Scholiis* agens de quatuor symbolicis animalibus scribit : « Joannes evangelista, aquilæ similis, assumptis pennis ad altiora festinans de Verbo Dei disputat (3). »

S. Augustinus. Pro ecclesia africana sufficiat adhuc audiisse Augustinum. Hipponensis episcopus scripsit opus apprime notum in quo recenset ea quæ evangelium Joannis habet cum synopticis communia, deinde quæ ipsi sunt propria, et sic totum describit evangelium ; statim autem ab initio monet : » Evangelii primi prædicatores apostoli fuerint, qui Dominum ipsum et salvatorem Jesum Christum etiam præsentem in carne viderunt. Qui non solum ea quæ ex ore ejus audita vel ab illo sub oculis suis operata, dicta et facta meminerant ; verum etiam quæ priusquam illi per discipulatum adhæserant, in ejus nativitate vel infantia, vel pueritia, divinitus gesta vel digna memoria, sive ab ipso, sive a parentibus ejus, sive a quibuslibet aliis, certissimis indiciis et fidelissimis testimoniis requirere et cognoscere potuerunt, imposito sibi evangelizandi munere, generi humano annuntiare curarunt. Quorum quidam, hoc est Matthæus et Joannes, etiam scripta de illo, quæ scribenda visa sunt, libris singulis ediderunt. «

(1) Ap. Migne *P. L.* vol. XII.
(2) *Testimonior.* I, 18 ; II, 3, 6, 19, 28, 29 et passim.
(3 Ap. Migne *P. L.* V, col. 325.

Hæc autem Augustinus non ex ignota, nescio qua historia hauserit, sed ex certa et communi Ecclesiæ traditione ; ait enim immediate : « Isti igitur quatuor evangelistæ universo terrarum orbe notissimi, et ob hoc fortasse quatuor, quoniam quatuor sunt partes orbis terræ, per cujus universitatem Christi Ecclesiam dilatari, ipso sui numeri sacramento quodammodo declararunt, hoc ordine scripsisse perhibentur. Primum Matthæus, deinde Marcus, tertio Lucas, ultimo Joannes. Unde alius eis fuit ordo cognoscendi, alius autem scribendi. Ad cognoscendum quippe atque prædicandum, primi utique fuerunt qui secuti Dominum in carne præsentem, dicentem audierunt, facientemque viderunt, atque ex ejus ore ad evangelizandum missi sunt. Sed in conscribendo evangelio, quod divinitus ordinatum esse credendum est, ex numero eorum quos ante passionem Dominus elegit, primum atque ultimum Joannes ». Et infra applicans symbolica Apocalypseos animalia evangelistis symbolo aquilæ Joannem designari docet (1) cum Victore petavionensi et ceteris. Quare in libris *De doctrina christiana* I describens canonem librorum quos Ecclesia catholica divinitus inspiratos prædicat recenset « libros evangelii quatuor, secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Joannem ».

In concilio Hipponensi anni 393 canon 36 pariter recensuit « libros evangeliorum quatuor ». Hic canon confirmatus fuit canone 47 concilii carthaginiensis anni 397 (2), et ab Innocentio I in *Epist. ad Exuper.* anni 405 (3). Hic canon, ut norunt, in sessione 4ª concilii Tridentini rursus sancitus fuit.

Ignotus auctor qui *Tractatibus* Augustini in Joannem *prologum* apposuit, antiquiorem traditionem premens scribit : « Inter ipsos autem evangeliorum scriptores Joannes eminet in divinorum mysteriorum profunditate, qui a tempore dominicæ ascensionis per annos sexaginta quinque verbum Dei absque adminiculo scribendi usque ad ultima Domitiani prædicavit tempora. Sed

(1) *De Consensu Evv.* lib. I, 1-2, 6. Abstineo ab afferendis quæ habet in *Tract. in Joan.* et in aliis libris.
(2) Ap. Mansi *Concil. collect.* III, 924.
(3) Migne, *P. L.* LVI, 924.

occiso Domitiano, cum permittente Nerva de exsilio rediisset, Ephesum, compulsus ab episcopis Asiæ de coæterna Patri divinitate Christi scripsit adversus hæreticos, qui eo absente irruperant in ejus ecclesias, qui Christum ante Mariam fuisse negabant ».

Plura enumeranda veniunt alia testimonia, eamdem traditionem, quoad substantiam, exhibentia. Ita **Sermo CXCII in Joannem Augustino adscriptus** (Mai, *Nova Patrum bibliotheca*, I, 1 p. 449); **Pseudo-Augustinus** (*Sermo CLXIX* apud Mai *N. P. B.* I, p. 381); **Primasius** (*Comment. in Apoc.* l. I prœm. *Max. Pat. Bibl.* X, p. 288 M. *P. L.* T. LXVIII, p. 795); **Vita Joannis** (apud Pseudo-Isidorum, Gyrnæus, *Monum. Pat. Orthodoxograph.* Basil 1569, II, 598); **Prologus** in **Bibliotheca Casinensi** (III, 2, 38) (1); **Hilarius Pictaviensis** (*De Trin.* X, 41 M. *P. L.* T. X, 37, 6 — et præs. apud Mai, *N. P. B.* I, 1, p. 484); **Theodorus Mopsuestenus** (Corderii Catena **3 p. 18 s. ed. Fritzsche) (2).

Si ad Italiam et Galliam convertimur, prostant testimonia S. Irenæi et Fragmenti Muratoriani de quibus plura jam diximus. Addenda tamen pauca ducimus.

S. Irenæus de circumstantiis in quibus Joannis evangelium editum fuit, sobrie admodum scribit *adv. H.* III, 1, 1 « Ἔπειτα (sc. post alia evangelia edita) Ἰωάννης ὁ μαθητὴς τοῦ κυρίου ὁ καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ ἀναπεσὼν καὶ αὐτὸς ἐξέδωκε τὸ εὐαγγέλιον ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας διατρίβων »; et III, 11, 1 : « Hanc fidem annuntians Joannes, Domini discipulus, volens per evangelii annuntiationem auferre eum, qui a Cerintho inseminatus erat hominibus, errorem, et multo prius ab his qui dicuntur Nicolaitæ... ut confunderet eos... sic inchoavit in ea, quæ est secundum evangelium doctrina. « In principio etc. »

(1) Cfr Zahn, *Acta Joannis*, p. 199 n., quem textum non vidimus.

(2) Alia vide ap. Patritium *De Evangeliis*, lib. I, p. 112. Antiquis testibus forsan addi potest ipse **Papias** (cfr Pitra, *Analecta* II p. 160 et Thomasius I p. 344. — Textum v. supra p. 122). — Cum hoc textu connexus est locus quidam in **Catena in S. Joannem** (ed. Corderii, Antverp. 1630; cfr Zahn, *G. N. K.* I p. 899 n. 1). — Quoad **Fortunatum**, cfr Harnack, *Gesch. A C L.* I, p. 155.

Fragm. Mur. l. 9-16. « Quartum evangeliorum Joannis ex discipulis. (Is) cohortantibus condiscipulis et episcopis suis dixit : « conjejunate mihi hodie triduo, et quid cuique fuerit revelatum, alterutrum nobis enarremus ». Eadem nocte revelatum Andreæ ex apostolis, ut recognoscentibus cunctis Joannes duo nomine cuncta describeret ».

A quocumque fonte hauserit fragmenti auctor (1), certum est hanc notitiam, quoad substantiam, tunc temporis jam in communem ecclesiasticam traditionem incorporatam exstitisse.

S. Hippolytus romanus Apocalypseos et quarti evangelii Joannem auctorem salutat. Scripserat opus sub titulo : ὑπὲρ τοῦ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγελίου καὶ ἀποκαλύψεως in quo duo haec scripta vindicabat. Nam Ebed-Jesu sobensis testatur Hippolytum scripsisse apologiam pro Apocalypsi et evangelio Joannis (2). Et revera ex Apocalypsi et ex evangelio plura effata adducit (3).

Et de Apocalypsi quidem dicit : « Οὗτος γὰρ ἐν πάτμῳ τῇ νήσῳ ὢν ὁρᾷ Ἀποκάλυψιν » (4). De evangelio autem, explicando visionem Ezechielis ait : « Quartum denique animal simile erat aquilæ volanti in cœlum et spiritualiter figurabat potentiam et virtutem, quas Verbum docuit, quasque praedicat Joannes (5) ».

Hieronymus. Ut breviores simus sufficiat audiisse Hieronymum, cujus sententiam de Papia jam retulimus. Eruditissimus est hic scriptor qui libros Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Origenis, Eusebii, aliorumque legerat, eorumque sententiam de quarto evangelio apprime cognoscebat, qui antiquos codices, non solum latinos sed græcos ad manum habuerat, iisque emendandis allaboraverat; qui cum præcipuis sui ævi doctoribus commercium habuerat, qui bibliothecam Beati Pamphili in Cæsarea Palæstinæ adierat et totam antiquitatem ecclesiasticam perscrutatus fuerat; cujus igitur testimonium omni exceptione majus est :

(1) Narrationem hanc Zahn *o. c.* p. 38 ex Leucii Actis desumptam arbitratur. Cfr. James *l. c.*

(2) Cfr Ebed-Jesu sobensis *Catalogus* ab Abrahamo ecchil. editus. Romæ, 1658, p. 17.

(3) Ap. Migne, *P. G.*, X, 786 sqq.

(4) *Ibid.*, 756.

(5) *In Ezech.*. ap. Pitra, *Analecta sacra*, tom. IV, p. 41 et 311.

Is igitur *Adversus Jovin.*, I, 26 scribit : « Joannes et apostolus et evangelista et propheta. Apostolus quia scripsit ad Ecclesias ut magister, evangelista quia librum evangelii condidit, quod excepto Matthæo, alii ex duodecim apostoli non fecerunt. Propheta, vidit in Patmo insula, in qua fuerat a Domitiano principe relegatus, Apocalypsim infinita futurorum mysteria continentem. »

In *Prologo* autem *Commentariorum in. ev. Matt.* scribit : « Plures fuisse qui evangelia scripserunt et Lucas evangelista testatur dicens : *Quoniam multi quidem conati sunt ordinare narrationem rerum quae in nobis completæ sunt, sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt sermonem et ministraverunt ei;* et perseverantia usque ad præsens tempus monimenta declarant, quæ a diversis auctoribus edita, diversarum hæreseon fuere principia, ut est illud juxta Ægyptios, et Thomam et Matthiam, et Bartholomæum, duodecim quoque Apostolorum, et Basilidis atque Apellis, ac reliquorum, quos enumerare longissimum est. » Postquam declaravit hæc omnia esse falsa et quatuor tantum esse vera, Matthæi nempe, Marci, Lucæ et Joannis, pergit : « Ultimus Joannes apostolus et evangelista, quem Jesus amavit plurimum, qui supra pectus Domini recumbens purissima doctrinarum fluenta potavit, et qui solus de cruce audire meruit : ecce mater tua. Is cum esset in Asia et jam tunc hæreticorum semina pullularent, Cerinthi, Ebionis et cæterorum qui negant Christum in carne venisse, quos et ipse in epistola sua Antichristos vocat, et apostolus Paulus frequenter percutit, coactus est ab omnibus pæne tunc Asiæ episcopis et multarum ecclesiarum legationibus de divinitate Salvatoris altius scribere et ad ipsum, ut ita dicam, Dei Verbum non tam audaci quam felici temeritate prorumpere; ut ecclesiastica narrat historia (1), cum a fratribus cogeretur ut scriberet, ita facturum se respondisse, si, indicto, jejunio in commune omnes Deum deprecarentur, quo expleto revelatione

(1) Non vacat inquirere quamnam intelligat ecclesiasticam historiam, an illam Eusebii Cæsareensis, an aliam quampiam, an antiquum prologum. Notemus S Doctorem declarare se rejicere apocryphorum nænias. V. infra.

saturatus, in illud proœmium cælo veniens eructavit : In principio erat Verbum, etc. »

Deinde postquam docuit quatuor evangelistas symbolice designari quatuor animalibus currus Ezechielis, Matthæum nempe figura hominis, Marcum leonis, Lucam vituli, Joannem aquilæ, addit : « quibus cunctis perspicue ostenditur quatuor tantum evangelia debere suscipi et omnes apocryphorum nænias mortuis magis hæreticis, quam ecclesiasticis viris canendas. » Idcirco in *Epist. ad Paulinum* inter Scripturas canonicas recenset quatuor evangelia Matthæi, Marci, Lucæ et Joannis (1).

Clemens Alexandrinus initio sæculi tertii, Alexandrinæ ecclesiæ de Joanne apostolo ut quarti evangelii scriptore persuasionem tradit (apud *Eus. H. E.* VI, 14 : « Αὐθις δ' ἐν τοῖς αὐτοῖς ὁ Κλήμης βιβλίοις περὶ τῆς τάξεως τῶν Εὐαγγελίων παράδοσιν τῶν ἀνέκαθεν πρεσβυτέρων τέθειται, τοῦτον ἔχουσαν τὸν τρόπον... ἔλεγον... τὸν μέντοι Ἰωάννην ἔσχατον συνιδόντα, ὅτι τὰ σωματικὰ ἐν τοῖς εὐαγγελίοις δεδήλωται, προτραπέντα ὑπὸ τῶν γνωρίμων, πνεύματι θεοφορηθέντα, πνευματικὸν ποιῆσαι εὐαγγέλιον ». Omnia suadent hanc narrationem ex orali traditione desumptam esse.

Dionysius, Alexandriæ episcopus, ideo Apocalypsin impugnabat, quia ejus eloquium a Joannis evangelio, quod Apostoli dilecti fœtum esse propugnabat, nimium differre ipsi videbatur : « Fateor, inquit (Apocalypsin) sancti cujusdam et divino spiritu afflati viri id opus esse. Sed hunc ipsum apostolum, Zebedæi filium, Jacobi fratrem, cujus est evangelium illud quod secundum Joannem inscribitur et epistola catholica, haud facile concesserim (2) ».

Origenes, cujus scientia critica in Hexaplis mire se prodit, etiam expresse quartum evangelium ab Apostolo Joanne post reliqua tria evangelia conscriptum fuisse proclamat, Joannisque

(1) Cfr. *Præf. in Evv. ad Damas, De Vir. Ill.* 9 et 18 et n. 9 : additur jam « sed et aliam causam hujus scripturæ ferunt, quod cum legisset Matthæi, Marci et Lucæ volumina, probaverit quidem textum historiæ, et vera eos dixisse firmaverit. »

(2) Ap. Eus. *H. E.*, VII, 25.

evangelii indolem sublimiorem atque characterem divinum affirmat. Insignis hujus sacræ Scripturæ interpretis verba adducere liceat (1). Origenes (Homil. in Josuam VII, n. 1, M. P. G. XII) « Sicut ex traditione, inquit, accepi de quatuor evangeliis, quæ sola in universa Dei Ecclesia quæ sub cœlo est, citra controversiam admittuntur; primum scilicet evangelium scriptum esse a Matthæo, prius quidem publicano, postea vero Apostolo Jesu Christi, qui illud hebraïco sermone conscriptum, Judæis ad fidem conversis publicavit. Secundum fuisse accepimus evangelium Marci, qui, prout ipse Petrus exposuerat, in litteras retulit.... Tertium evangelium Lucæ, quod a Paulo commendatur, in gratiam gentilium conscriptum. Postremum vero evangelium Joannis ». — Et Comment. in Joan. T. I n. 6 (M.P.G. XIV p. 29-32) quarti evangelii indolem exponit, illudque quatuor evangeliorum « primitias » vocat : « Id arbitror inquit, considerans genealogiam texentem, et incipientem ab eo qui genealogia caret. Nam Matthæus quidem quum scriberet Hebræis, qui venturum ex Abrahamo et Davide expectabant : *Liber*, inquit, *generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham*. Marcus vero sciens quod scribit, initium enarrat Evangelii, fortassis quod inveniamus finem ipsius apud Joannem, qui in principio Verbum Deum fuisse dicit. Lucas etiam cum dixisset : *Primum quidem sermonem feci de omnibus quæ cœpit Jesus facere et docere,* majores perfectioresque de Jesu sermones reservat ei *qui supra pectus Jesu recubuit*. Nullus enim illorum adeo pure manifestavit illius divinitatem, ut Joannes, quippe qui inducat illum dicentem : *Ego sum lux mundi; ego sum via, veritas et vita; Ego sum resurrectio; Ego sum ostium; Ego sum pastor bonus*... Audeamus igitur dicere evangeliorum primitias, evangelium a Joanne ».

Antiqua igitur traditio catholica tenebat Joannem apostolum, quorumdam exhortatione invitatum, post alios evangelistas spirituale evangelium Ephesi scripsisse contra nascentes errores gnosticos.

(1) Hæc verba utpote longiora et liquida latine adducimus. — Cfr etiam ORIGENIS *Hom. I in Lucam*, M. *P. G.* XIII, p. 1801 ss. et alia loca videsis apud KIRCHOFER, *o. c.*, p. 154 s.

Athanasius. Testium Ecclesiæ Alexandrinæ seriem claudat magnus Athanasius, qui in *Epistola* 39 de festo paschali ad omnes Ægypti episcopos, imo et ad extraneos directa canonem describens Librorum sacrorum ait : « τὰ δὲ τῆς καινῆς πάλιν οὐκ ὀκτέον εἰπεῖν : εστι γὰρ ταῦτα· Εὐαγγέλια τέσσαρα, κατὰ Ματθαῖον, κατὰ Μάρκον, κατὰ Λουκᾶν, κατὰ Ἰωάννην (1) ».

Hinc in *Orationibus contra Arianos* fere omnia quarti evangelii testimonia de Verbo allegat. Illud etiam observandum, quod ejus ætate legebantur a plebe versiones quatuor evangeliorum copticæ.

Eusebius Cæsareensis. Si ab Ægypto ad Palæstinam transimus, præsto est historiæ ecclesiasticæ pater, cujus testimonii vis ac significatio neminem fugit. Etenim, cum universam traditionem perscrutatus fuerit, nullum dubium contra apostolicam quarti evangelii originem ejusque canonicum characterem invenit. Ita autem scribit H. E. III, 23. « Ἐπὶ τούτους κατά τὴν Ἀσίαν ἐπὶ τῷ βίῳ περιλειπόμενος αὐτος ἐκεῖνος ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, ἀποστόλος ὁμοῦ καὶ εὐαγγελιστὴς Ἰωάννης τὰς αὐτόθι διεῖπεν ἐκκλησίας, ἀπο τῆς κατᾶ τὴν νῆσον μετὰ τὴν Δομετιανοῦ τελευτὴν επανελθὼν φυγῆς » ; quod dein autoritate S. Irenæi et Clementis Alexandrini confirmat

Et ibid. III, 24 addit : « ἤδη δὲ Μάρκου καὶ Λουκᾶ κατ' αὐτοὺς εὐαγγελίων τὴν ἔκδοσιν πεποιημενων, Ἰωάννην φασι, τὸν πάντα Χρόνον ἀγράφῳ κεχρημένον κηρύγματι, τέλος καὶ ἐπὶ τὴν γραφὴν ἐλθεῖν τοιᾶσδε χάριν αἰτίας. Τῶν προαναγραφέντων τριῶν εἰς πάντας ἤδη καὶ εἰς αὐτὸν διαδομένων, ἀποδέξασθαι μὲν φασιν, ἀλήθειαν αὐτοῖς ἐπιμαρτυρήσαντα, μόνην δὲ ἄρα λείπεσθαι τῇ γραφῇ τὴν περὶ τῶν ἐν πρώτοις καὶ κατ' ἀρχὴν τοῦ κηρύγματος ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ πεπραγμένων διήγησιν. καὶ ἀληθής γε ὁ λόγος... παρακληθέντα δὴ οὖν τούτων ἕνεκά φασι τὸν ἀπόστολον Ἰωάννην τὸν ὑπὸ τῶν προτέρων εὐαγγελιστῶν παρασιωπηθέντα χρόνον καὶ τὰ κατὰ τοῦτον πεπραγμένα τῷ σωτῆρι... τῷ κατ' αὐτὸν εὐαγγελίῳ παραδοῦναι... εικότως γοῦν τὴν μὲν τῆς σαρκὸς τοῦ σωτῆρος ἡμῶν γενεαλογίαν, ἅτε Ματθαίῳ καὶ Λουκᾷ προγραφεῖσαν, ἀποσιωπῆσαι τὸν Ἰωάννην, τῆς δὲ θεολογίας ἀπαρξασται ὡσὰν αὐτῷ πρὸς τοῦ θείου πνεύματος οἷα κρείττονι παραπεφυλαγμένης ».

(1) Ap. M. *P. G.*, XXVI, col. 1437.

Notissimi sunt canones quibus Eusebius notaverat quæ essent quatuor, tribus et duobus evangelistis communia, quæ vero unicuique propria. Hinc totum describebat Joannis evangelium. In libro autem *De ecclesiastica theologia* totus est in allegandis evangelii Joannis verbis, et vix alia auctoritate utitur.

Cyrillus hierosolymitanus. Hic Eusebio adjungendus in *Catechesi* IV canonem librorum sacrorum describit et evangelia recenset, et in sequentibus sat multa e Joanne recitat. Nec prætermittendum jam tunc exstitisse in dialecto Jerosolymitana versionem quatuor evangeliorum, quæ nostris diebus publicam in lucem edita est (1).

S. Epiphanius. Ejusdem ætatis vir eruditissimus Epiphanius, in insula Cypri episcopus, inter hæreticos recenset Alogos, quorum hæresis Joannis libros repudiat : « Εἶχον γὰρ τὴν αἵρεσιν καλουμένην, ἀποβάλλουσαν Ἰωάννου τὰς βίβλους. Ἐπεὶ οὖν τὸν Λόγον οὐ δεχόνται τὸν παρὰ Ἰωάννου κεκηρυγμένον Ἄλογοι κληθήσονται... καὶ οὔτε τὸ τὸν Ἰωάννου εὐαγγέλιον δέχονται οὔτε τὴν αὐτοῦ Ἀποκάλυψιν (2) ». Recenset deinde quæ a synopticis evangelistis omissa Joannes in suo evangelio supplevit. Simul autem tradit Joannem post tres synopticos scripsisse : « affecta jam ætate, utpote qui jam nonagesimum annum excederet, postquam a Patmo insula reversus est (3) ».

S. Gregorius Nazianzenus. In Asia jam habuimus Papiam, Justinum, alios; addatur hic S. Gregorius theologus qui in *Carmine ad Seleucum* de canone Scripturarum agens scribit :

Εὐαγγελιστὰς τέσσαρας δέχου μόνους
Ματθαῖον εἶτα, Μάρκον, ᾧ Λουκᾶν τρίτον
Προσθεῖς, ἀρίθμει τὸν Ἰωάννην χρόνῳ
Τέταρτον, ἀλλὰ πρῶτον ὕψει δογμάτων (4).

(1) Vide *The Palestinian lectionary of the Gospels by* A. S. Lewis. London, Treubner, 1899.

(2) *Hær.* 51, n. 3.

(3) *Ibid.* n. 12; *Hær.* 69, n. 23, ubi hæretici a Joanne impugnati recensentur Ebionæi, Cerinthiani, Merinthiani et Nazaræi.

(4) Ap. Migne, *P. G.* XXXVII, col. 1596.

S. Joannes Chrysostomus homiliis explicavit totum Joannis evangelium et passim de stilo, de persona, de doctrina, de scopo evangelistæ loquitur, sed longum foret omnia exscribere. Sufficiat hoc retulisse quod habet *Hom.* I *in Matt.* n. 3 : « ὁ δὲ Ἰωάννης αὐτὸς μὲν ἐσίγησε τὴν αἰτίαν· ὡς δὲ λόγος ἔχει ἄνωθεν καὶ ἐκ πατέρων εἰς ἡμᾶς καταβάς, οὐδὲ αὐτὸς ἁπλῶς ἐπὶ τὸ γράφειν ἦλθεν, ἀλλ' ἐπειδὴ τοῖς τρισὶν ἡ σπουδὴ γέγονε τῷ τῆς οἰκονομίας ἐνδιατρῖψαι λόγῳ καὶ τὰ τῆς θεότητος ἐκινδύνευεν ἀποσιωπᾶσθαι δόγματα, τοῦ Χριστοῦ κινήσαντος αὐτὸν λοιπὸν οὕτως ἦλθεν ἐπὶ τὴν εὐαγγελικὴν γραφήν ». Addit in *Argumento Epist. ad Ephes.* Joannem evangelistam Ephesi diu commoratum esse ibique decessisse.

Theodorus Mopsuestenus. Nec omittendus ille qui commentatoris nomen obtinuit. Is in *Proœmio* sui in Joannem *Commentarii* (1), postquam dixit Joannem apostolum in Epheso habitasse et Asianis prædicasse, addit hæc quæ latine tantum damus : « Conscriptis igitur editisque cæterorum evangelistarum Matthæi et Marci, necnon et Lucæ evangeliis, statim omnibus per orbem fidelibus distributis, et ab eis magno, ut par erat, studio ac religione accepta sunt. Verum cum fideles Asiani beatum Joannem ad evangelium conscribendum, et auctoritate ac fide cæteris præpollere existimarent (ut qui ante Matthæum cum Christo fuerat conversatus et majorem dilectionis ac gratiæ prærogativam acceperat) libros evangeliorum ipsi obtulerunt, ut ejus de ipsis judicium explorarent. Ipse autem eos ut veritati quidem consonos approbavit, nonnulla tamen ab eis prætermissa dixit, et quidem, quae ad eruditionem omnium fere conducerent, miracula. Addebat insuper cum de Christi carne disseruissent, non opportuisse quoque divinitatem ejus præterire, ne temporis successu homines iis dumtaxat sermonibus assueti, id tantum quod apparebat crederent : Rogatus est igitur a fratribus, ut quæ ad eruditionem necessaria judicaret et a ceteris prætermissa cerneret, diligenter scripto mandaret, quod et fecit. »

(1) Non remanent nisi pauca fragmenta quæ habentur ap. Migne, *P. G.*, t. LXVI, col. 727, sqq. Integra versio Syriaca a J. B. Chabot Lovanii edita est anno 1897.

Ecclesia Syriaca. Pro coronide pauca adjiciamus testimonia Ecclesiæ Syriacæ, quæ inde a primis fidei in Mesopotamia initiis syriacam quatuor evangeliorum versionem habuit *Peschito* dictam (1). Præcipuus syrorum doctor **S. Ephræmus** salutatur.

Is porro affirmat Apocalypsin a Joanne scriptam *(Opp. syr.-lat.* Romæ 1740, II, p. 333) ; ejus evangelium et sæpius in suis scriptis allegat et canonicum habet et Joanni apostolo tribuit. Innumera ejus citata reperies apud H. Hill : *A dissertation on the gospel commentary of S. Ephræm the syrian*. Edinburgh 1886, p. 148 ss. — Scripsit autem commentarium in Diatessaron Tatiani cujus fragmenta arabice servata exhibet Hill in opere mox laudato. Quod autem additur in versione armena a G. Moesinger latine facta *(Evangelii concordantis expositio facta a S. Ephræmo* etc. Venetiis 1876) p. 286 : « Joannes etiam græce scripsit *Antiochiæ* » merito suspectum habetur ; nam additamentum est in codice, quod non pertinet ad commentarium Ephræmi, nec ipsius esse patet, cum ibi asseratur Thaddæum Edessæ prædicasse, dum Ephræmus Edessæ apostolum Adæum nominet, non vero Thaddæum. — **Aphraates** qui a. 338-342 scribebat, cum evangelia juxta Diatessaron Tatiani frequenter recitet, raro evangelistas nominat, Joannis tamen nomen profert. *Demonstr.* 6, n. 12 (Parisot in Grafin, *Patrol. Syr.* I, p. xlv et 333).

Hæc omnia testimonia unanimi voce Joannem apostolum quarti evangelii auctorem prædicant. De adjunctis autem loci, temporis, et aliarum circumstantiarum vel tacent, vel brevius, vel fusius agunt, nec omnino concordes reperiuntur.

* * *

2° Antiqua traditio catholica hucusque exposita, jam cum fabulis commixta apparet in **Actis syriacis apocryphis S. Joannis** (2), e qua iterum plures textus emanarunt. Quarti

(1) Hujus tres antiquissimas recensiones : Peschitonianam, Curetonianam et Lewisianam inter se contulit Bonus, Oxonii, 1896.
(2) Wright, *Apocryphal Acts* 60-64.

evangelii ortus in syriaca historia exponitur modo plane fabuloso, quo tamen duplex elementum ex antiquiori catholica traditione haustum, amplificatur, nempe inspectio et completio evangeliorum synopticorum atque exhortatio a coapostolis facta *(Frag. Murat.)*. Ita habet : Postquam Matthæus, Marcus et Lucas evangelium suum conscripserunt, miserunt ad Joannem rogantes ut evangelia ipse proprio scripto compleret; at evangelistarum exhortationi restitit Joannes. Postea Petrus et Paulus, Joannem invisendi causa Ephesum veniunt, qui etiam ut scribat evangelium enixe eum deprecantur. Respondet Joannes se scripturum, si Spiritui sancto placuerit. Sequenti die dominica, Spiritu sancto per prodigium voluntatem suam manifestante, Joannes ante ortum solis et intra unius horæ spatium integrum conscribit evangelium.

Trium priorum evangelistarum intercessio reperitur etiam in **Actis Timothei** (ed. Usener, p. 9), ubi scopus synoptica evangelia complendi, atque spiritualis quarti evangelii indoles pariter ac in antiquiori traditione exprimuntur (1).

Syriacam historiam jam inspexisse videtur **Gregorius Barhebræus** *(Greg. Barhebr. in ev. Joann. comment.* ed. Schwartz Götting, 1877, p. 4). Scribit : « Cum vidisset Joannes apostolus tres alios evangelistas neque de divinitate Filii, neque de iis quæ acta sunt initio prædicationis ejus usque dum Joannes in vincula conjectus est, sermonem fecisse, implevit quod illi omiserant et scripsit evangelium græce ad petitionem filiorum Asiæ (2) ». Addit : « Eusebius (3) ait Petrum et Paulum ad eum Ephesum venisse eique ut scriberet persuasisse ».

* * *

3° Modo magis adhuc commentitio traditio de quarti evangelii

(1) Cfr Zahn, *Gött. Gel. Anzeig.* 1878, p. 97 ss.— Pitra, *Anal. Sacra*, II, p. 217.

(2) Hanc notitiam etiam tradit initio *commentarii in Matthæum* Spanutti, *Greg. Abulph. Barheb.* in evang. Matthæi scholia, Gotting 1879, p. 1.

(3) Quod nomen syriacam historiam eo certius ostendit, quod in uno apocryphorum actorum manuscripto illa historia tanquam Eusebii Cæsareensis scriptum perhibetur.

origine apud **Prochorum** refertur. Prochorus qui nomen suum ex *Act.* 6, 5 desumpsit, se discipulum et comitem Joannis Apostoli mentitus est, et opus « πράξεις Ἰωάννου », licet in quibusdam a Leucio pendeat, magna ex parte ipse finxit. Fabulosa de quarti evangelii in Patmo insula origine notitia apud Prochorum ita exponitur (1) « ἀνελθόντων οὖν ἡμῶν ἐν τῷ ὄρει ἐποιήσαμεν ἡμέρας τρεῖς, καὶ διετέλει Ἰωάννης ἄσιτος, προσευχόμενος καὶ δεόμενος τοῦ θεοῦ, ὅπως δώσῃ τὰ ἀγαθὰ εὐαγγέλια τοῖς ἀδελφοῖς. τῇ οὖν τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐλάλησεν Ἰωάννης λέγων· τέκνον Πρόχορε, βάδιζε καὶ εἴσελθε ἐν τῇ πόλει καὶ λαβὲ μέλαν καὶ χάρτας καὶ ἄγαγέ μοι ὧδε, καὶ μὴ ἀναγγείλῃς τοῖς ἀδελφοῖς, ἐν ποίῳ τόπῳ ἐσμέν. ἀπελθὼν οὖν ἐγὼ ἐν τῇ πόλει καὶ λαβὼν τὸ μέλαν καὶ τοὺς χάρτας ἐπορεύθην πρὸς Ἰωάννην, καὶ λέγει πρός με· ἀπόθου τὸ μέλαν καὶ τοὺς χάρτας καὶ εἴσελθε ἐν τῇ πόλει καὶ μετὰ δύο ἡμέρας ἐλθὲ πάλιν πρός με. καὶ εἰσῆλθον ἐν τῇ πόλει καὶ μετὰ δύο ἡμέρας ἐξῆλθον πάλιν πρὸς αὐτόν, καὶ εὑρὼν ἑστῶτα καὶ προσευχόμενον, εἶπεν πρός με· λαβὲ τοὺς χάρτας καὶ τὸ μέλαν καὶ στῆθι ἐκ δεξιῶν μου· καὶ ἐποίησα οὕτως, καὶ ἐγένετο ἀστραπὴ μεγάλη καὶ βροντή, ὥστε σαλευθῆναι τὸ ὄρος, καὶ ἔπεσα ἐγὼ ἐπὶ πρόσωπον ἐπὶ τὴν γῆν καὶ ἔμεινα νεκρός. Ὁ δὲ Ἰωάννης ἐπελάβετο μου καὶ ἀνέστησέν με καὶ εἶπεν μοι· κάθου ἐπὶ τὰ δεξιά μου ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ἐποίησα οὕτως, καὶ πάλιν προσηύξατο καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν εἶπεν πρός με· τέκνον Πρόχορε ἅπερ ἀκούεις ἀπὸ τοῦ στόματός μου κατάγραφε ἐπὶ τοὺς χάρτας. Καὶ ἀνοίξας τὸ στόμα αὐτοῦ ὁ Ἰωάννης, ἑστὼς καὶ ἄνω προσέχων εἰς τὸν οὐρανὸν εἶπεν· « Ἐν ἀρχῇ... » καὶ κατὰ ἀκολουθίαν λοιπὸν ἔλεγεν πάντα οὕτος ἑστώς, καὶ ἐγὼ καθεζόμενος ἔγραφον ».

Sequitur deinde evangelii in urbe Patmo transcriptio, ejus coram fidelibus publica lectio, priorisque manuscripti a Patmo in Ephesum translatio.

Cum Prochorus Apocalypsin rejiceret, ejus loco Joannis evangelium in Patmo insula scriptum dicebat (2). Contra Zah-

(1) Cfr ZAHN, *Acta Joannis*, p. 154, l. 4 s.

(2) ZAHN, *Einl.*, II, p. 459, n. 7 : « Erst durch handgreifliche Interpolation wurde in das Buch des Prochorus nachträglich noch eine Erzählung von der Entstehung auch der Apokalypse auf Patmos eingetragen ».

nium Lipsius (1) negat Prochorum Leucii de quarti evangelii origine notitiam secutum esse, eamque a Pseudo-Prochoro tenet fuisse excogitatam. Quemadmodum apud Clementem Alexandrinum (*Eus. H. E.* III, 24), fideles apud Prochorum (Zahn, *Acta Joannis*, p. 153), Joannem ut evangelium conscribat enixe rogant.

Fictitia Prochori notitia reperitur apud scriptores quorum dependentia a Prochori opere vix dubia esse potest.

Ita omnia **Menologia græca** e Prochoro hauserunt. Ita : *Menologium Græcorum*, jussu Basilii imperatoris græce olim editum.., nunc primum græce et latine prodit stud. et op. Annib. Card. Albani, Urbini 1727 ad 26 Sept. (2); *Menaia* a. 1628 Venetiis edita (*Menæum* a Bartholomæo *Cutlumusiano* retractatum, ed. III, Venet. 1868 Sept. p. 164 s.); pariter **Nicetas David** seu Nicetas Paphlago (*Encomium in S. Joannem* apud Combefis, *Auctarium novissimum*, 1672. I, p. 362 ss.); **Symeon Metaphrastes** (M. *P. G.* Tom. 116 col. 683 ss.); **Nicephorus Callistus** (*Hist. Eccl.* II, 42).

Evangelii Joannis in insula Patmo conscriptio etiam exhibetur in **Scholio** quodam apud Lagarde (3); in alio quodam textu apud eumdem auctorem servato (4); pariter illud in Patmo exaratum habet **Suidas** (5), et de manuscripto Joannis Ephesi servato loquitur **Chronicon Paschale** (6).

(1) *o. c.*, p. 405, 507.

(2) Cfr Zahn, *Acta Joannis*, p. xlv, ubi textus citatur. — Migne, *P. G.* vol. 117, col. 74.

(3) *Constit. Apost.*, p. 280 s. : « Ἰωάννης ὁ εὐαγγελιστής, ἀδελφὸς Ἰακώβου, φυγαδευθεὶς ὑπὸ Δομετιανοῦ ἐν Πάτμῳ τῇ νήσῳ συνεγράψατο τὸ κατ' αὐτὸν εὐαγγέλιον ἐν τοῖς Τραϊανοῦ χρόνοις, κεῖται ἐν Ἐφέσῳ, ἰδίῳ τέλει χρησάμενος, οὗ λειψάνου ζητηθέν οὐχ εὑρηται ».

(4) *o. c.*, p. 283 : « Ἰωάννης ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ οὗτος τῇ Ἀσίᾳ κηρύσσων ὑπὸ Δομετιανοῦ βασιλέως Ῥώμης ἐξωρίσθη ἐν Πάτμῳ τῇ νήσῳ· ἔνθα καὶ συνεγράψατο τὸ εὐαγγέλιον αὐτοῦ ἐν τοῖς χρονοῖς Τραϊανοῦ ὅπου καὶ τὴν ἀποκάλυψιν ἐθεάσατο ἐτέθη δὲ ἐν Ἐφέσῳ, μετάρσιος γεγονός· διὸ καὶ ὁ λόγος κεκράτηκε κτλ ».

(5) Tischendorf, *Crit.* VIII, t. I, p. 967.

(6) M. *P. G.* T. 92, c. 77. *Ibid.* c. 592 quarti evangelii conscriptio post patmense exsilium retardatur, de qua notitia v. infra. De Joanne apostolo et evangelista cfr etiam c. 604, 606, 608.

Textus Prochori primævus, uti diximus, de Apocalypsi penitus tacebat; at notitia de ejus origine postea ab interpolatore introducta fuit, pluresque scriptores posteriores, de Evangelii et Apocalypseos ortu loquentes, textum Prochori interpolatum præ oculis habuerunt. Ita præter textum apud Lagarde citatum, **Tractatus** περὶ τῶν δώδεκα ἀποστόλων nunc *Hippolyto*, nunc *Dorotheo* adscriptus (1); pariter **Glykas** (M. *P. G.* T. 158, c. 452).

Textum primævum Prochori pariter inspexerunt alii auctores qui quartum evangelium in Patmo insula conscriptum, Ephesi vero editum fuisse narrant.

Ita **Pseudo-Dorotheus** (Textus A cod. Vindob. latine in *M. Bibl. Patr.* Lugd. III, p. 143 ss. et 426). « Ἰωάννης... ὑπὸ... Τραϊανοῦ βασιλέως ἐξωρίσθη ἐν τῇ νήσῳ Πάτμῳ διὰ τὸν λόγον τοῦ κυρίου· ἐκεῖ δὲ ὧν καὶ τὸ ἅγιον αὐτοῦ εὐαγγέλιον ἔγραψε καὶ ἐξέδωκε ἐν Ἐφέσῳ διὰ Γαΐου τοῦ ξενοδόχου καὶ διακόνου ᾧ καὶ Παῦλος ὁ ἀποστόλος μαρτυρεῖ... » (2). **Pseudo-Epiphanius** ac **Codex Matritius** quoad verba consonantes breviori modo idem referunt (Textus apud Lipsium, *Apocr. Apostelg.* I, p. 363), **Synopsis** interdum erronee **Athanasio** adscripta (in edit. opp. Athanasii Montfaucon II, p. 202); **Codex evangeliorum** s. XIII, Vatic. 1548 (Minus. 145 apud Tischendorf, *Nov. Test.* ed. VIII, I, p. 967) (3).

* * *

4° Collectio apostolorum actuum apocryphorum nomine

(1) Cfr Zahn, *Acta Joannis*, p. xlvi, n. 1 : « Während in dem Text hinter dem Chron. pasch. (ed. Dindorf, II, 136) und bei Cave *(Hist. lit.* ed. 1720, p. 107) die Abfassung des Evangeliums nach Ephesus verlegt, von der Apokalypse ganz geschwiegen und durch nichts an Prochorus erinnert wird, heisst es bei Combefis (Auctar. novum 1648, II, 838, Druckfehler statt 832) : ἐξορισθεὶς ἐν Πάτμῳ τῇ νήσῳ, ἐν ᾗ καὶ τὸ εὐαγγέλιον συνεγραψάτο καὶ τὴν ἀποκάλυψιν ἐθεάσατο ».

(2) Cfr Lipsius, *Apocr. A G. A L.* I, p. 363, n. 1.

(3) Quoad codd. evv. subscriptiones, cfr Tischendorf, *N. T.* ed. VIII, I, p. 967.

Abdiæ (1) inscripta, quæ ad Leucium propius accedit, licet varias catholicas traditiones collegerit, aliam quamdam præbet formam traditionis de quarti evangelii origine. Notitia illa etiam in **Melitonis** « passione » interpolata apparet, et sic sonat (Lipsius, *o. c.* I, p. 447, n. 1) :

« Constat sane beatum Joannem usque ad ultimum vitæ suæ tempus absque ullius scripturæ indiciis evangelium dei prædicasse. Sed cum trium evangeliorum, hoc est Matthæi, Lucæ et Marci, etiam ad ipsum notitia pervenisset, probavit quidem fidem et veritatem dictorum, deesse tamen vidit aliqua et ea maxime quæ primo prædicationis suæ tempore Dominus gesserat. Unde rogatus est a fratribus, ut ea quæ illi præterierant ante traditionem Joannis-Baptistæ gesta salvatoris conscriberet, quod et fecit. Et quia nativitatem Domini secundum carnem Matthæus vel Lucas descripserant, hæc reticuit Joannes et a theologia atque ab ipsa ejus divinitate sumpsit exordium, ita incipiens : In principio erat verbum ».

Uti patet, et jam Lipsius (I, 447) notavit, habemus in hoc textu traditionem catholicam qualis jam apud Eus. (*H. E.* III, 27, inspecta præsertim traductione Rufini) consignata est. Verba autem « rogatus a fratribus » illud exhibent elementum quod vario modo apud Rufinum (Eus. *H. E.* III, 24), Clementem Alex. (Eus. *H. E.* VI, 14), Hier. (*Vir. ill.* 9), et in prologis antiquis (Hier. Prol. in Mt.; Aug. Prol. Tr. in Jo.) expressum invenimus.

* * *

Tempus quo scriptum fuerit quartum evangelium antiqui Patres atque scriptores non presse determinarunt. Ipse Irenæus, qui scriptionis epocham quoad synoptica evangelia indicavit, de nostro evangelio hæc tantum scripsit (*adv. H.* III 1, 1) : « Ἔπειτα (scil. post reliquos tres evangelistas) Ἰωάννης ὁ μαθητὴς τοῦ Κυρίου, ὁ καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ ἀναπεσών, καὶ αὐτὸς ἐξέ-

(1) De Abdia ac de scriptis cum ejus opere connexis uti de « passione » Melitone conscripta, cfr Lipsius, *Apocr. A G. A L.* I, p. 117 ss. et p. 408 ss. — Zahn, *Acta Joannis*, p. 207 s.

δωκε τὸ εὐαγγέλιον, ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας διατρίβων ». Dicendum ergo videtur scriptionis tempus presso modo ab antiqua traditione non fuisse notatum.

Attamen, quemadmodum ex citatis textibus apparet, omnia testimonia (1) concordia reperiuntur in asserendo Joannem *ætate satis provecta* evangelium scripsisse. Certum omnino nobis videtur *non ante* a. 80 quartum evangelium exaratum fuisse, quam sententiam varia criteria interna suo loco afferenda, solide corroborant (2). Præterea, opinio illorum auctorum qui post exsilium patmense evangelii scriptionem vel publicationem ponunt, in iis orta videtur regionibus, in quibus Apocalypsis Joanni auctori denegata fuit, ita ut non magnam auctoritatem ei tribuere audeamus. Ex alia tamen parte, nulla invenimus positiva indicia, quæ a. 96 jam scriptum fuisse quartum evangelium *demonstrent*. Unde evangelium suum Joannes intra a. 80-100, potius tamen intra a. 85-95 scripserit.

* * *

Ad *locum* autem scriptionis quod attinet, traditio non unanimis deprehenditur. Omnia quidem testimonia *Asiam* nominant, quam patriam interna criteria suo modo ostendunt. *Ephesi* scriptum esse quartum evangelium tradit S. Irenæus (*l. c.*). Huic autem antiquiori testi fidendum ducimus, cum quo non ii tantum scriptores faciunt qui Ephesum explicite indicant, sed ii etiam qui Asiam proponunt. Utique, ut P. Patritius (*o. c.* p. 118) ait, multi scriptores *Patmum* insulam quarti evangelii patriam appellant. At, quominus huic sententiæ adhæreamus, obstat imprimis auctoritas episcopi lugdunensis testiumque antiquiorum. Obstat præterea testimoniorum seriem Patmensi origini faventium, solius Prochori auctoritate fundari (3), quam et

(1) De hac quæstione in specie cfr Patritius, *o. c.*, p. 116 s.

(2) Sententia Reschii qui nuperrime (*Aussercan. Parallelt.* IV, *T. U.* X, 4, 1896) scriptum voluit in urbe decapolitana *Pella* ante a. 70, præpostera Muratorii fragmenti interpretatione fundatur (v. *R. B.* 1897, p. 479), et ab universa traditione derelicta apparet.

(3) Ii enim reperiuntur præcise auctores qui in evangelii ortus adjunctis exponendis a Prochori narratione dependent, quales sunt auctores supra p. 204 ss. enumerati.

in hoc puncto asiaticæ traditioni cedere debere, unusquisque videt. *Epheso* præterea favent etiam testes Syri (1).

* * *

Summarie igitur delineata universa de Joannis evangelii ortu traditione, liquet factum ipsum compositionis *ab apostolo Joanne* Ephesi degente ubique reperiri. Licet his plerumque tardioris epochæ testimoniis plus æquo insistere nolimus, hunc tamen unanimem consensum animadvertere juvat. *Mediatæ* apostolicæ originis nullus textus mentionem habet; præterea suspecta muratoriani fragmenti narratiuncula, ad quam mediatæ joanneæ originis patroni quandoque provocant (2), Joannem ipsum « *suo nomine cuncta descripsisse* » tradit.

Quemadmodum igitur jam suo tempore Origines dicebat quartum evangelium fuisse a Joanne scriptum « *in universa Dei Ecclesia quæ sub cœlo est, citra controversiam* » admissum fuisse (3), ita nec sequentibus sæculis *factum ipsum apostolicæ originis* quarti evangelii unquam in dubium revocatum fuit.

(1) Quoad evangeliorum subscriptiones, cfr PATRITIUS, *o. c.*, p. 117 s. — TISCHENDORF, *N. T. græcum*, ed. VIII, I, p. 967. — ZAHN, *Forsch. G. N. K.* I, (1881), p. 54, n. 3.

(2) CALMES, *R. B.* 1898, p. 622 : « Tout en faisant la part de la légende qui se reflète dans le fragment de Muratori, il est impossible de ne pas y reconnaître un fond traditionnel sérieux. Prises ensemble, les indications de Clément d'Alexandrie et du fragment de Muratori se réduisent à la notice suivante : le quatrième évangile a été écrit par saint Jean; mais ce sont les disciples de l'apôtre qui ont pris l'initiative de la rédaction et qui se portent garants du contenu ». Minus recte hæc dicta, nec sensum utriusque documenti assecutus videtur auctor.

(3) ORIG. *Hom. VII in Josuam*, n 1, M. *P. G.* XII.

THESES.

I.

Ex principiis naturali lumine certis invicte demonstratur subesse hominem morali obligationi religionem profitendi.

II.

« Natura et ratio, quæ jubet singulos sancte religioseque Deum colere quod in ejus potestate sumus et quod ab eo profecti ad eumdem reverti debemus, eadem lege adstringit civilem communitatem. Homines enim communi societate conjuncti nihilo sunt minus in Dei potestate, quam singuli : neque minorem quam singuli gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cujus nutu conservatur, cujus beneficiis innumerabilem bonorum quibus affluit, copiam accepit » (1).

III.

« Vetat igitur justitia, vetat ratio atheam esse, vel, quod in atheismum recideret, erga varias, ut loquuntur, religiones pari modo affectam civitatem eademque singulis jura promiscue largiri » (2).

(1) Leonis XIII, Enc. *Immort. Dei.*
(2) Leonis XIII, Enc. *Libertas.*

IV.

At vero « si divini cultus varia genera eodem jure esse, quo veram religionem, Ecclesia judicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui magni alicujus aut adipiscendi boni, aut prohibendi caussa mali, moribus atque usu patienter ferunt, ut ea habeant singula in civitate locum » (1).

V.

Rationi bene consultæ maxime comprobatur divina revelatio; imprimisque nihil sane obstat quominus veritates rationi per se haud imperviæ etiam divinitus nobis revelentur.

VI.

Existunt porro et mysteria, seu veritates quæ absolute et per se rationis captum excedunt, atque ista quoque a Deo revelari, hominibusque credenda proponi posse extra omne dubium est.

VII.

Imo moraliter necessaria est ejusmodi revelatio, « ut ea quæ in rebus divinis humanæ rationi per se impervia non sunt, in præsenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint » (2).

VIII.

Absonum est jactatum illud a rationalistis principium de absoluta, ut appellant, rationis independentia, nec ullo solido fundamento nititur eorumdem theoria de progressu humanitario, jugique religionis christianæ perfectibilitate.

(1) Leonis XIII, Enc. *Immortale Dei.*
(2) Conc. Vat. *Sess. III. c. 2.*

IX.

Errant Protestantes illi qui instinctum quemdam religiosum proponunt ut unicum divinæ revelationis criterium.

X.

Perperam tamen negativa revelationis criteria omnino seponerentur ne quid rationalismo concedi videatur.

XI.

Porro non ex illis, verum ex positivis et extrinsecis notis authentia doctrinæ revelatæ peremptorie demonstratur.

XII.

Miraculis, si in confirmationem divinæ revelationis patrentur, invicta vis inest eam probandi, non modo quoad se, sed etiam quoad nos : quamvis enim non de omnibus et singulis, de multis tamen potest nobis cum certitudine constare ea esse vere miracula, seu effectus sensibiles ordinem ac facultatem totius naturæ creatæ excedentes.

XIII.

Supernaturalis revelatio continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab apostolis acceptæ, aut ab ipsis apostolis dictante Spiritu sancto quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt.

XIV.

Utriusque autem revelationis fontis distinctionem ac mutuam relationem jam perspicuam reperire est apud S. Irenæum « *adversus Hæreses* » præsertim L. III Præf. c. I et ss.

XV.

S. Irenæus eamdem prorsus auctoritatem canonicam assignat scriptis Novi Testamenti ac libris antiqui Fœderis : utraque pari ratione in suis contra hæreticos gnosticos disputationibus adhibet; utraque eodem titulo « τῶν γραφῶν » condecorat. Fictitias igitur, vel nullius momenti esse opinamur discrepantias quas hac de re sibi videntur deprehendisse Harnack (1) et Werner (2).

XVI.

Contra Protestantes asserimus, Christum, dum ministerium apostolicum institueret, eo ipso Ecclesiam suam instituisse, eique certam formam tribuisse societatis.

XVII.

Tenendum est « juxta Evangelii (Matth. XVI 16-19) testimonium, Primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro apostolo promissum a Christo Domino fuisse » (3).

XVIII.

Diversæ Patrum sententiæ de subjecto verborum Christi, Matth. XVI 18 « *Et super hanc petram* » adeo sibi mutuo non contradicunt, ut potius alia aliam illustret compleatque.

XIX.

Probabiliorem habemus illorum sententiam qui tenent unicum esse in Ecclesia subjectum immediatum auctoritatis infallibilis, Romanum scil. Pontificem, adeoque cœtum Pastorum nonnisi cum Papa et per Papam docentem aut confirmantem esse infallibilem.

(1) *Das Neue Testament um das Jahr* 200. Freiburg i. B. 1889.
(2) *Der Paulinismus des Irenæus*. Marburg 1889.
(3) Conc. Vat. *Sess.* 4 *c.* 1.

XX.

Secundum ordinariam Dei providentiam ad credendum fide salutari, testimonium Ecclesiæ aliquo modo interveniat necesse est.

XXI.

Immerito tamen actus fidei ultimatim resolveretur in testimonium Ecclesiæ, etiamsi consideretur Ecclesia quatenus per assistentiam Spiritus Sancti infallibilitate donatur.

XXII.

Multa in evangelio S. Joannis occurrunt indicia quæ clare ostendunt auctorem tria evangelia synoptica cognovisse, eamque cognitionem vulgatam supposuisse.

XXIII.

Præter tria festa Paschatis a S. Joanne explicite memorata (2, 13-23; 6, 4; 11, 55) quartum Pascha inter Jo. 4, 35 et Jo. 6, 4 omnino admittendum videtur.

XXIV.

Ὁ Λόγος apud S. Joannem 1, 1 essentialiter et multiplici ratione differt a Verbo de quo apud Philonem.

XXV.

Plura in quarto evangelio exstant indicia quibus apparet auctorem judæum fuisse, legisque Mosaïcæ prærogativas atque relativum valorem agnovisse.

XXVI.

Licet Joannes methodo proprie polemica non scripserit, censemus tamen eum hæresim Cerinthi impugnare voluisse. Quæ

sententia tum ex traditione, tum ex priori Joannis epistola confirmatur.

XXVII.

Proinde sententiam a nonnullis recentioribus propositam quatenus nempe ad Judæos refellendos Joannes scripsisset, haud satis probatam ducimus.

XXVIII.

Immerito auctores quidam acatholici e diversitate sermonum Christi quæ synoptica evangelia inter et Joannis evangelium deprehenditur, hujus auctorem testem oculatum fuisse inficiantur.

XXIX.

Licet ipsius auctoris nomen in quarto evangelio nullibi expresse appareat, talia tamen occurrunt indicia e quibus nomen illud erui posse videtur.

XXX.

Modus ille quo quarti evangelii auctor seipsum tacito nomine designat hypothesi Harnackii circa hujus evangelii originem minime favet.

XXXI.

Contra Harnack (1) loca Jo. 1, 14; 20, 29 et I Jo. 1 ss. de visione oculata corporea et sensibili intelligenda esse defendimus.

XXXII.

Traditio de Apocalypseos origine apostolicam quarti evangelii originem luculenter confirmat.

(1) *Chronologie der altchristlichen Litteratur.* Leipzig I (1897), p. 676.

XXXIII.

Cum materia infecta ac æterna repugnet, simulque evidens sit hujus universitatis originem ex jugi substantiæ principis emanatione aut transformatione repeti non posse, consequitur creationis necessitatem indirecte saltem ratione demonstrari.

XXXIV.

In specie repugnat pantheismus idealisticus ab Hegel propositus.

XXXV.

Essentia Dei metaphysice considerata optime exprimitur per hoc, quod sit ipsum esse, irreceptum scil. seu subsistens.

XXXVI.

Ad omnes et singulos actus entium creatorum requiritur concursus Dei physicus et immediatus.

XXXVII.

Concursum autem simultaneum admittimus, præsertim cum statuta physica prædeterminatione, hominis libertas intelligi non posse videatur.

XXXVIII.

Pari modo, sententia juxta quam Deus futura libera prævidere dicitur in decretis absolutis, quibus ab æterno statuit physice prædeterminare actus nostros, jura libertatis non videtur servare illæsa.

XXXIX.

Status naturæ puræ possibilis dicendus est, nec ex ulla parte repugnans.

XL.

Attamen placuit divinæ bonitati dona supernaturalia conferre Adamo, non ut erat singularis persona sed prout erat protoparens, et physice et seminaliter tota natura humana.

XLI.

Ex epistola ad Romanos c. V, v. 12 ss. præclare evincitur existentia peccati originalis.

XLII.

A veritatis norma aberrant, qui naturam essentiamque peccati originalis sitam docent in concupiscentia quæ maneat in regenitis, quæque, licet in se verum sit peccatum, credentibus tamen non imputetur.

XLIII.

Originalis peccati essentia reponenda est formaliter in singulorum qui nascuntur aversione habituali a Deo fine supernaturali, seu in privatione gratiæ sanctificantis, quæ et quatenus ipsis est voluntaria ex voluntate Adæ capitis naturæ.

XLIV.

Ad veram propriamque intelligendam rationem peccati quod origine unum est, et omnibus inest unicuique proprium, propagatione transfusum, necessaria est relatio ad liberam voluntatem et actum capitis seu principii naturæ scil. Adæ, qui est auctor peccati naturæ.

XLV.

Peccatum naturæ inductum per voluntatem principii traduci recte intelligitur per ipsum actum naturæ jam lapsæ, scilicet per generationem concupiscentiæ obnoxiam, qua Adæ posteri per

ipsum dum concipiuntur propriam injustitiam contrahunt, adeo ut, quemadmodum originalis justitia per generationem propagata fuisset, similiter per generationem vitiatam peccatum propagetur, eo ipso quod ex semine Adæ natura culpabiliter spoliata traducitur.

XLVI.

Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non sufficit libertas a coactione, sed illa præterea requiritur quæ dicitur a necessitate.

XLVII.

In ordine supernaturali homo indiget auxilio gratiæ adjuvantis quæ non est tota ratio agendi : nam voluntas per gratiam elevata concurrit tamquam concausa ad actus salutares.

XLVIII.

Non tantum gratia efficax, sed gratia pure sufficiens est beneficium Dei materialiter et formaliter tale.

XLIX.

Voluntate antecedente vult Deus omnium hominum etiam infantium salutem.

L.

Prædestinatio certissime et infallibiliter consequitur effectum suum, quin propterea prædestinatis imponatur necessitas, aut detur cuicumque ratio negligendi bona opera, vel desperandi de salute.

LI.

Homo justificatus non potest perseverare in accepta justitia sine speciali auxilio Dei; unde perseverantia in gratia usque ad mortem semper et in omnibus est speciale Dei donum.

LII.

Donum perseverantiæ si integrum consideratur non subjacet neque merito de condigno, neque merito de congruo; homo justus potest illud tantum suppliciter emereri (1).

LIII.

Varia doctrinæ capita de Jesu Christo vero Deo Deique Filio in unum quodammodo collecta verticem conspiciuntur Jo. 1, 1-18.

LIV.

Licitum est ponere causam in se bonam vel indifferentem, quæ habet duos effectus saltem æque immediatos unum bonum, alterum malum, dummodo non intendatur effectus malus et adsit ratio proportionate gravis.

LV.

Juxta hoc principium, cum abortus directe procuratus sit concepti fructus letifera ex utero materno expulsio, adeoque essentialiter malus, ne tunc quidem ut licitus defendi potest, quando, eo admisso, mater et proles perituræ sunt, eo contra admisso, salvanda est mater infante pereunte.

LVI.

Contra, praxis hypnotismi proprie et presse sumpti seu scientifici non illicita reputari debet, quoties ex gravi causa et cum magna cautela adhibetur. Etenim hypnotismus scientificus, scil. restrictus ad phænomena somatica et imaginativa (ut sunt anesthesia, hyperesthesia, lethargia, catalepsia, suggestiones orales, hallucinationes positivæ et negativæ) non præternaturalis sed naturalis censeri potest.

(1) S. Augustin. *De dono persev.* c. 6, n. 10.

LVII.

Debet homo exercere opera quibus conservatur individuum et propagatur species ad proprium finem ad quem illa opera natura sua tendunt. Moveri tamen potest delectatione tamquam *secundario fine cur* opera exerceat; adeoque agere potest cum delectatione, imo propter delectationem, dummodo finem operis neque explicite neque implicite excludat.

LVIII.

Fornicatio ex jure naturæ semper est graviter illicita. Si autem fornicatio est graviter mala, graviter malus est omnis actus in se libidinosus extra matrimonium.

LIX.

In specie, malitia intrinseca pollutionis in utroque sexu quærenda est non in delectatione, ut quidam dixerunt, sed in operis perversitate.

LX.

Ex natura sacramenti eruitur in ministro requiri intentionem internam saltem virtualem, ministerialiter agendi nomine et auctoritate Christi.

LXI.

Attritio, voluntatem peccandi excludens, cum spe veniæ, est dispositio proxime sufficiens ad justificationem in sacramento pœnitentiæ obtinendam.

LXII.

« Omnibus exploratum esse debet si qua conjunctio viri et mulieris inter Christi fideles citra Sacramentum contrahatur, eam vi ac ratione justi matrimonii carere » (1).

(1) Leonis XIII Enc. *Arcanum*.

LXIII.

Amphibologias et restrictas locutiones, hic et nunc vere licitas, juramento confirmare erit etiam licitum, dummodo justa causa ad jurandum adsit.

LXIV.

At vero cum restrictione pure mentali jurare perjurium est.

LXV.

Commorationem ephesinam S. Joannis Apostoli quæ circiter ab a. 70 ad a. 98 duraverit, tamquam factum historicum extra omne dubium ponendum propugnamus.

LXVI.

Imo Joannem quemdam, ab Apostolo distinctum, quique ὁ πρεσβύτερος dictus fuerit, in tertia sæculi primi parte extitisse, nullo sufficienti argumento probatur.

LXVII.

Les nombreuses notices sur l'origine du quatrième évangile qui sont conservées dans la littérature latine, grecque et syriaque, sont unanimes à reconnaître l'apôtre S. Jean pour auteur de l'écrit que la Tradition lui attribue.

LXVIII.

En rejetant l'évangile de S. Jean, les Aloges ne se sont pas placés sur le terrain traditionnel. Il n'est pas suffisamment prouvé qu'ils aient motivé leur opposition par une différence dans la Christologie. Le véritable motif qui les a poussés à rejeter les écrits de S. Jean, fut leur antimontanisme outré.

LXIX.

L'opinion qui attribue à Cérinthe une doctrine millénariste charnelle et matérialiste remonte à Cajus de Rome (Eus. *H. E.* III 28), et n'est pas historiquement démontrée.

LXX.

Le mouvement gnostique par son développement et son insuccès, atteste l'uniformité et la force de la tradition chrétienne au second siècle. En outre, tout en rejetant certains livres saints, il a fourni à plusieurs croyances authentiques et aux livres du Nouveau Testament un témoignage d'une grande valeur en faveur de leur authenticité.

LXXI.

L'association fréquente de la עֹלָה et des שְׁלָמִים dans certaines parties de l'Ancien Testament, ne prête aucun appui à la théorie de Wellhausen sur la signification fondamentale des sacrifices chez les Hébreux.

LXXII.

Elle ne favorise pas davantage la théorie Grafienne sur l'origine postexilienne du « Code sacerdotal ».

Vidit S. Facultas Theologica,
J. Forget, S. Fac. p. t. Decanus.
A. Van Hoonacker, S. Fac. p. t. a secretis.

Vidit Rector Universitatis,
A. Hebbelynck.

DE QUARTI EVANGELII AUCTORE

DE

QUARTI EVANGELII AUCTORE

DISSERTATIO

AUCTORE

ACHILLEO CAMERLYNCK

S. Theol. in Univers. Lovan. Doct. et in maj. Sem. Brugen. Prof.

Pars altera

Interna quarti evangelii indoles

BRUGIS FLANDRORUM

EXCUDEBAT C. HOUDMONT (viâ dictâ FREREN FONTEINSTRAAT)

1900

PRÆFATIO

Quo consilio, qua ratione ac methodo hanc de QUARTI EVANGELII AUCTORE *dissertationem conscripserim, paucis præfando aperui in* Parte priore, *quæ anno elapso occasione debiti academici persolvendi Lovanii prodiit* (1). *Hujus disquisitionis* Partem alteram, *jam tunc exaratam et præ temporis penuria publici juris haud factam, quam citissime fieri potuit priori adnectendam* (2) *curavi.*

Scribebam Brugis, 1ª Februarii 1900.

AUCTOR.

---

(1) Apud J. Van Linthout, pp. XVI et 208.

(2) Facilitatis gratia prosecutus sum incœptum paginarum decursum, eademque bibliographica signa usurpavi.

BIBLIOGRAPHICA SIGNA.

adv. H. = S. Irenæus, adversus Hæreses, editio W. Wigan Harvey. Cantabrigiæ 1857.

Ap. Z. A. = C. Weizsaecker, *Das apostolische Zeitalter der christlichen Kirche*, Freiburg i. B. 1892.

Apocr. AG. AL. = R. A. Lipsius: *Die apocryphen Apostelgeschichten und Apostellegenden*. Braunschweig, 1883-1890.

Chron. A. C. L. = *Chronologie der altchristlichen Litteratur bis Eusebius* von Ad. Harnack I, *Die Chronologie der Litteratur bis Irenæus*. Leipzig, 1897.

Cont. R. = *Contemporary Review*. London.

Einl. = *Lehrbuch der historisch-kritischen Einleitung in das Neue Testament* von H. J. Holtzmann, Freiburg i. B. 1892. — It. A. Hilgenfeld, Leipzig, 1875. — It. Aberle-Schanz, Freiburg i. B. 1877. — It. Bleek-Mangold, Berlin 1886. — It. A. Schaefer, Paderborn 1898. — It. F. Trenkle, Freiburg i. B. 1897. — It. B. Weiss, Berlin 1897. — It. Th. Zahn, Leipzig, I, 1897, II, 1899.

Forsch. G. N. K. = *Forschungen zur Geschichte des neutestamentlichen Kanons* von Th. Zahn. Erlangen und Leipzig.

Gesch. A. C. L. = *Geschichte der altchristlichen Litteratur bis Eusebius* von von Gebhardt und Ad. Harnack, Leipzig, 1893.

G. J. V. = E. Schürer, *Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu-Christi*. Leipzig. Zweite Auflage.

G. N. K. = Th. Zahn, *Geschichte des neutestamentlichen Kanons*. Band I 1, 1888, I 2, 1889, II 1, 1890, II 2, 1892. Erlangen und Leipzig.

H. E. = Eusebius, *Historia Ecclesiastica* (Editio Migne).

Kath. = Der Katholik, Zeitschrift für katholische Wissenschaft und kirchliches Leben, herausgegeben von *J. Raich*. Mainz,

N. T. Th. = H. J. Holtzmann : *Lehrbuch der neutestamentlichen Theologie*. Freiburg i. B. 1897.

O. P. A. = *Opera Patrum Apostolicorum*, Editio F. Funk, Tubingæ 1887.

P. G. = Migne (M) *Cursus Patrologiæ Græcæ* (Paris, 1857-1866).

P. L. = Migne (M), *Cursus Patrologiæ Latinæ* (Paris, 1844-1855).

P. R. E. = *Protestantische Realencyclopädie für Theologie und Kirche.*

R. B. = *Revue biblique internationale*. Paris.

R. H. L. R. = *Revue d'histoire et de littérature religieuses*. Paris.

R. H. R. = *Revue de l'histoire des Religions*. Paris.

Sc. C. = *La Science catholique*. Arras-Paris.

St. Kr. = *Theologische Studien und Kritiken*, herausgeg. von (E. Riehm) J. Köstlin und E. Kautzsch.

Th. L. B. = *Theologisches Litteraturblatt*, herausgegeben von C. E. Luthardt. Leipzig.

Th. L. Z. = *Theologische Litteraturzeitung*, herausgeg. von A. Harnack und E. Schürer. Leipzig.

Th. Qu. = *Theologische Quartalschrift*, herausgegeben von Kober, Funk etc. Tübingen.

Th. T. = *Theologisch Tijdschrift*, onder redactie van F. Van Bell etc., Leiden.

T. St. = *Texts and Studies*. Cambridge.

T. U. = *Texte und Untersuchungen zur Geschichte der Altchristlichen Litteratur*, herausgeg. von O. von Gebhardt und Ad. Harnack, Leipzig.

Z. K. G. = *Zeitschrift für Kirchengeschichte*, herausgeg. von Th. Brieger und B. Bess. Gotha.

Z. K. Th. = *Zeitschrift für katholische Theologie*, Innsbruck

Z. h. Th. = *Zeitschrift für die historische Theologie*, herausg. von (C. J. Illgen, C. W. Niedner und) K. J. Kahnis. Gotha.

Z. Th. K. = *Zeitschrift für Theologie und Kirche*, in Verbindung mit Harnack, Herrmann, Kaftan, Reischle, Sell, herausgegeben von Gottschick, Friburg i. B.

Z. w. Th. = *Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie*, herausgegeben von Ad. Hilgenfeld. Leipzig.

Nota. In citandis textibus Novi Testamenti adhibui editionem Frid. Brandscheid, *Novum Testamentum graece et latine*, Friburgi B. 1893.

INDEX

DE QUARTI EVANGELII AUCTORE

PARS ALTERA

De interna quarti evangelii indole.

Pag.

Proœmium 208

Caput I. De quarti evangelii erga synoptica evangelia habitudine 212

Articulus I. Quarti evangelii auctor synopticos cognovit, illorumque cognitionem apud lectores supponit . . . 212

Interna indicia 217

Articulus II. Sermones Jesu in quarto evangelio 230

Caput II. De loco in quo scriptum fuit Joannis evangelium . . 236

Articulus I. Ephesus a Paulo conversa 238

Articulus II. De alexandrina theosophia Philonis. . . . 244

Articulus III. Ὁ Λόγος apud Philonem 251

Articulus IV. Ὁ Λόγος apud quartum evangelistam . . . 258

Parag. I. Ὁ Λόγος in quarto evangelio 259

Parag. II. De Prologi ad reliquum evangelium relatione . 269

Parag. III. De quarti evangelii auctoris erga judaismum habitudine 276

Caput III. De scopo quarti evangelistæ 282

Scholion: De progressu historico narrationis, vitæque publicæ Christi divisione apud quartum evangelistam 294

Caput IV. De psychologia auctoris. 302

Caput V. De Apostoli Joannis in quarto evangelio anonyma designatione. 313

PRÆCIPUA ERRATA

		Corrige :
P. 215	l. 16 interpretatur	interpretantur
216	l. 8 comparatione	comparatio
232	l. 11 accomdare	accomodare
240	n. 1 p.	p. 222
262	l. 19 scientiæ.	scientia
263	n. 4 confunderetur	confundatur
276	l. 15-16 nec primarie scriptum fuisse . . .	nec primarie scripsisse
289	l. 5 adæ quate	adæquate
291	l. 15 Christ	Christi
314	l. 18 ut, quartum evangelium	ut quartum evangelium
315	l. 23-24 dilectuo ?	dilectus ?

DE QUARTI EVANGELII AUCTORE.

PARS II.

De interna quarti evangelii indole.

PROŒMIUM.

In priori hujus dissertationis parte traditionem circa quarti evangelii originem exploravimus. Excepta autem Alogorum momentanea oppositione, ex præjudicio orta dogmatico, nullum in priorum sæculorum testificatione dissensum obviam habuimus.

Quæstio tamen de Joannis evangelii origine non plene soluta foret, si externis testimoniis solummodo attendentes, interna scripti criteria attenta consideratione non perscrutaremur. Etenim, ut ex controversiæ historia supra (1) exposita constat, multum jam initio sæculi XIX internis illis criteriis insistunt auctores, atque ex iis præsertim varias suas sententias stabilire conantur. Præterea, quanto ad libri cujusdam originem definiendam adjumento esse possit imo debeat interna ejus indoles, critici omnes ultro confitentur (2).

(1) P. 1 ss.

(2) Cfr. P. C. De Smedt. *Introductio generalis ad hist. eccles. critice tractandam.* Gandavi, 1876, p. 15 ss. — E. Bernheim. *Lehrbuch der historischen Methode.* Leipzig, 1894, p. 355 ss. — Langlois et Seignobos. *Introduction aux études historiques.* Paris, 1898, p. 68 ss.

Nostrum sane non est omnium omnino evangelii idearum doctrinarumque genesin evolvere: qui talia desiderant commentatores atque historiæ dogmatum scriptores potius adire velint. Ex alia tamen parte, omnia nobis illa indicia consideranda veniunt, quæ in auctoris, scriptionisque temporis atque loci cognitionem ducere nata sunt.

Quæstio illa internæ criticæ circa omne scriptum exercenda, in præsenti disquisitione peculiare nansciscitur momentum, tùm quia sua methodo auctor vitam, miracula doctrinamque Jesu Christi — scriptis jam tribus narrationibus evangelicis — describere intendit; tùm, quia rerum narratarum testem oculatum et auricularem sese perhibet.

Cæterum, inde resultans character omnino specialis quarti evangelii antiquos Patres scriptoresque ecclesiasticos non penitus latuit, licet de interna libri indole multo minus solliciti fuerint. Ità singulares discrepantiæ quæ Joannis evangelium inter et tres « synopticas » relationes vigent, jam antiqui plures animadverterunt. Illas jam Clemens Alexandrinus (1) notavit: dicit nempe Joannem « συνιδόντα ὅτι τὰ σωματικὰ ἐν τοῖς εὐαγγελίοις δεδήλωται... πνευματικὸν ποιῆσαι εὐαγγέλιον ». — Character cæteroqui dogmaticus et theologicus evangelii ab auctore ipso innuitur c. XX, 31 « Ταῦτα δὲ γέγραπται, ἵνα πιστεύσητε ὅτι Ἰησοῦς ἐστὶν ὁ Χριστὸς ὁ υἱος τοῦ Θεοῦ, καὶ ἵνα πιστεύοντες ζωὴν ἔχητε ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ». Pari modo ait S. Augustinus (2) « .... Ex quo intelligi datur, si diligenter advertas, tres Evangelistas temporalia facta Domini et dicta, quæ ad informandos mores vitæ præsentis maxime valerent copiosius persecutos, circa illam activam virtutem fuisse versatos, Joannem vero facta Domini multo pauciora narrantem, dicta vero ejus ea præsertim, quæ Trinitatis unitatem et vitæ æternæ felicitatem insinuarent, diligentius et uberius conscribentem in virtute contemplativa commendanda suam

(1) Eus. *H. E.* VI, 14.

(2) *De cons. evang.* I, 5. Migne, *P. L.* T. 34, c. 1045 s.

intentionem prædicationemque tenuisse ». Dogmaticus autem ille scopus non impedit quominus auctor narrationem plane historicam vitæ Jesu tradere velit, factaque minutissima expositioni suæ miscere intendat. Narrationes illorum quæ referre sibi proponebat, ante oculos habebat : nihilominus eis plerumque relictis, alia *facta* refert, methodo a prioribus evangelistis independenti *sermones* Jesu exponit.

In duplici autem illo elemento dogmatico nempe et historico conciliando « joannea quæstio » reponenda est. Varias conciliationis vias varii ingressi sunt, multumque abest ut hodiernos auctores in conciliationis modo unanimes reperiamus.

In hac igitur nostra de Joannis evangelii auctore inquirendo dissertatione, interna scripti criteria investigare et pro modulo nostro joanneæ quæstionis solutionem (1) aggredi debemus. Imprimis relationem quarti evangelii erga synopticam narrationem notabimus. Deinde vero ad peculiarem evangelii characterem explicandum illas examinabimus rationes quæ, nostro judicio, huic scopo obtinendo præ cæteris opportunæ videntur.

Unde quinque distinctis capitibus agemus :

I. De quarti evangelii ad synoptica evangelia habitudine.

II. De sede intellectuali et religiosa in qua scriptum fuit quartum evangelium.

III. De scopo auctoris.

IV. De psychologia auctoris.

V. De apostoli Joannis in quarto evangelio anonyma designatione.

---

(1) In ipsa hac disquisitione occurrent varia illa interna criteria quæ de auctore, tempore et loco scriptionis edocere nos nata sunt. Quoad singulas autem quæstiones auctores indicabimus, præcipuos saltem, qui de eis scripserunt.

CAPUT I.

De quarti evangelii erga synoptica evangelia habitudine.

ARTICULUS I.

QUARTI EVANGELII AUCTOR SYNOPTICOS COGNOVIT, ILLORUMQUE COGNITIONEM APUD LECTORES SUPPONIT. ([1]) — INTERNA INDICIA.

Hæc quarti evangelii cum synopticis connexio neque antiquos latuit, cùm in trium præcedentium evangeliorum complementum auctorem scripsisse plures dixerint (v. p. 190 ss.) — Inter recentiores auctores, quidam synopticorum cognitionem ut Weisse, de Wette et Bleek ([2]) Joanni denegarunt; alii ut Lücke de istâ cognitione dubitarunt ; hodierni vero omnes hac de re conveniunt.

([1]) Bibllogr. J. PARE : *De Johannis evangelio non prorsus dissimili prioribus evangeliis nec ob dissimilitudinem repudiando.* Utrecht 1828. — HOLTZMANN *Z. W. Th.* 1869 p. 62 ss ; 155 ss ; 1881 p. 257 ss. — ABERLÉ *Th. Qu.* 1868 p. 11 ss. — REUSS. *Théologie johannique,* 1879 p. 69 ss — LUTHARDT, *Der johanneische Ursprung* 1874 p. 154 ss — BLEEK-MANGOLD, *Einl.* 1886 p. 400 s. — A. HILGENFELD, *Einl. in das N. T.* 1885 p. 719 ss. — GODET, *Commentaire sur l'évangile de S. Jean,* 1881 p. 114 ss. — PATRITIUS. *De Evangeliis,* 1853,. L. I p. 98 ss. — CORNELY, *Introd. Spec.* 1886 p. 261 ss. — HOLTZMANN. *Einl.* 1892, p. 440 — EWALD, *De voorn. Vraag.* 1892, *passim.* — ZAHN, *G. N. K.* I p. 945 ss. — RESH, *Auss. Parallt.* IV p. 37 ss. — KNABENBAUER, *Comment. in Jo. ev.* 1898. p. 29 ss. — Nuperrime ZAHN, *Einl.* II p. 498 ss.

([2]) Qui duo ultimi Joannem a Luca et Marco usitatum fuisse adstruere voluerunt.

Revera hujus cognitionis demonstratio ad peculiarem Joannis evangelii characterem delineandum adeoque ad joanneæ quæstionis solutionem conferre debet (1). Etenim si — quod ex sequenti examine clarius apparebit — quarti evangelii auctor synopticorum narrationem tanquam auctoritate donatam considerat, jam aliquatenus explicatur quomodo narratio ejus a synoptica tùm integritate et extensione, tùm factorum et rerum delectu cum præcedentibus historicis de vita et doctrina Christi relationibus non plane concordet. Hanc autem synopticorum narrationem apud lectores vel auditores suos supponi a Joanne, pluribus exemplis ostendi potest, et quidem statim ab initio elucere videtur.

Etenim, tria evangelia synoptica ad modum historicæ relationis incipiunt; Lucas præsertim in brevi prologo modum indicat quo ad illorum quæ expositurus est cognitionem pervenerit. Evangelium Joannis contrà initium prorsus diversum habet: prologo enim dogmatico lectorem introducit in historiam quam notam supponit, cujus initium processum atque finem alibi consignata arbitratur, adeo ut totius vitæ Verbi caro facti quasi compendium tradere possit. Sane introductio illa dogmatica præsupponit christianos quos auctor alloquitur aliunde jam cognovisse Verbi vitam temporalem, cujus scopum atque exitum symbolica lucis tenebrarumque imagine depingit.

Quam solide fundata sit assertio nostra de synopticorum cognitione, longa exemplorum serie ostendere possemus. At illam probationem in singulis prosequi nimis longum foret; attamen propter rei momentum, plura loca afferemus (2) tùm ut auctoris methodus aliquatenus manifestetur,

---

(1) Etiam indirectæ difficultati refellendæ inservit quam ex allegatis differentiis cum synopticis contra evangelii ab immediato Christi discipulo originem afferunt.

(2) In hoc examine, ubi originalis textus non necessario adducendus est, facilitatis gratia latino textu utimur.

tùm ut joanneæ quæstionis solutioni non spernendum suppeditetur elementum.

Ità, quomodo lectores synopticæ narrationis ignari intelligere potuissent quod c. IV, 19 — 34 de testimonio Joannis Baptistæ traditur, ubi baptisma ejus exhibetur tanquam res optime nota, et medii ejus ministerii factum a synopticis omissum exponitur, quod ad Christi divinitatem probandam præ cæteris aptum erat. Ità etiam verba v. 26 « Ego baptizo in aqua » implicite ad synopticorum relationem alludunt in qua Christus baptizat « in spiritu » — Sequitur « testimonium » quod Joannes occasione baptismatis Christi perhibuit, quin ipsum baptismi factum referatur (1). In eodem capite v. 40 primum auctor de Petro loquitur occasione fratris ejus Andreæ, quin ulterius de notificando Petro sollicitus videatur. — C. II, 12 dicendo « et ibi (Capharnaum)... manserunt non multis diebus » ad diuturnam Christi in Capharnaum mansionem alludere videtur, quam non ipse Joannes sed synoptica expositio refert (Mt. IV, 13). — C. III, 24 « Nondum enim Joannes missus fuerat in carcerem » : verba hæc tales spectant lectores qui synopticorum lectione publicam Christi in Galilæa prædicationem a synopticis narratam tantum post Joannis incarcerationem incœpisse didicerant. — IV, 46 « Venit ergo enim iterum in Cana Galilææ ubi fecit aquam vinum » evidenter ad synopticam relationem alludit. C. I, 46 ; II, 1, 12 ; VI, 42 de « patria » de « matre » « fratribus » et « patre » Jesu loquitur quin ullam subjungat determinationem. — C. VI, 1 et c. VII, 1 in medium galilæum ministerium lectores introducit de

(1) Addimus ex Zahn. *Einl.* II p. 499 « Nachdem Jesus einige Zeit vor den I, 19 ff. berichteten Ereignissen von Jo. getauft worden ist, kommt er noch einmal ehe er nach Galiläa zurückkehrt (I, 43) wo er doch zu Hause ist (I, 45), an die Taufstätte zu Bethanien. Wer Mt IV, 13-17 oder Mr 1, 9-11 oder Lc III, 21-22 ; IV, 1-14 gelesen hat, erkennt als das Intermezzo zwischen der Taufe Jesu und seiner Rückkehr an den Jordan leicht die 40 tägige Versuchung. »

quo synoptici longo sermone tractant, postquam solum initium notavit (IV, 3, 43) — C. VI, 68 ss. de duodecim et de eorum electione sermo fit, quin antea de eis quæstio fuerit — C. XI, 1 : ut Bethaniam prope Jerusalem a Bethania distinguat ubi Joannes baptizaverat (X, 40 coll. I, 28), determinationem solis synopticorum lectoribus intelligibilem addit : « de castello Mariæ et Marthæ ». C. XI, 2 : « Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento... », quæ verba tales respiciunt lectores qui historiam unctionis aliunde jam noverant quam ex iis quæ ipse c. XII, 1 ss. enarrat, nomen tamen mulieris nondum audiverant (1). — C. XVIII, 1 ss. supposita tantum synopticorum notitia silentium Joannis explicatur de Eucharistiæ institutione, quæ tempore evangelii scriptionis ubique in Asia Minori celebrabatur. — C. XVIII, 24-28 : eodem modo auctoris silentium interpretatur de iis quæ coram Caipha acta sunt, cujus eminentem locum in populo judaïco minime præterit (XI, 49-51 ; XVIII, 13 ss.). Frequens mentio multorum miraculorum a Christo patratorum (II, 23 ; III, 2 ; IV, 45 ; VI, 2 ; X, 32 ; XII, 37), cum auctor ipse numero pauca referat, iterum synopticorum cognitam existentiam indigitat. — Demum c. XX, 17. « Nondum enim ascendi ad Patrem meum » ait auctor, de ipsa autem ascenscione a synopticis exposita nullum verbum habet.

Cæterum synopticorum cognitionem suppositam generaliori modo c. XX, 30 insinuat, scribens « Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc (ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ). » Hæc enim verba ex voce « τούτῳ » talia signa quæ jam in *aliis libris* conscripta erant, respicere videntur.

Hæc quæ adduximus exempla simul sumpta inelucta-

---

(1) Ut Zahn ostendit *G. N. K.* I, p. 946 consonantia Marci XIV, 3 (ἀλάβαστρον μύρου νάρδου πιστικῆς πολυτελοῦς) cum Jo. XII, 3 (λίτραν μύρου νάρδου πιστικῆς πολιτίμου) cognitionem etiam Marci evangelii supponere videtur apud auctorem quarti evangelii ejusque lectores.

bilem vindicant conclusionem quarti evangelii auctorem opus synopticorum cognovisse, illudque ab iis ad quos scripsit, cognitum habuisse.

Cæteroqui Papias (Eus. H. E. III, 39) testatur Marci et Matthæi evangelia a. circiter 80-100 in Asia cognita fuisse, atque de illis Joannem presbyterum verba fecisse. Unde traditio idipsum testatur quod sola quarti et ceterorum evangeliorum comparatione prorsus conficit (1).

Nihilominus, licet quarti evangelii auctor synopticorum narrationem authenticam habuerit, magnam in evangelio suo conficiendo independentiam a synopticis ostendit, ità ut plura scripserit quæ frustra apud synopticos quæreres.

Sane quædam cum synopticis communia habet; nempe præter dicta quædam Christi et citationes quasdam scripturisticas (2) sequentia etiam facta apud synopticos recurrunt: Joannis Baptistæ testimonium (I, 19-34); ejectio venditorum et nummulariorum e templo (II, 13-16); panum

---

(1) Aliud præterea P. Patritius *l. c.* argumentum adducit : « Atque, ni mea me fallit opinio, huc spectare ea videntur quæ Joannes habet in prima suarum epistolarum : « Non *scripsi* vobis *quasi ignorantibus* veritatem, sed *quasi scientibus* eam, » quæ quidem, quum de ipsa epistola dicta esse nequeant, quid aliud sonent, nisi ita a Joanne evangelium scriptum fuisse, ut qui probe sciret se iis scribere, quibus gesta Christi jam nota essent ? »

(2) Nostrum non est hæc omnia in singulis prosequi : adiri possunt nempe commentarii in Joannis evangelium et generales in Novum Testamentum introductiones : illorum auctorum conclusiones assumere possumus. Cfr in specie præclarum opus jam pluries laudatum P. Patritii *De Evangeliis,* 1853. Cæterum omnes hodie quoad quartum evangelium generatim spectatum, hujus a synopticis *proprie dictam dependentiam* non admittunt. Quod Holtzmann (*Z. W. Th.* 1869, Heft 1, 2, 4) contendit : quartum evangelistam non tantum in relatione sua ab aliis evangeliis dependere, sed etiam quoad verba ad illos esse referendum, nemo jam admittit, atque methodo omnino arbitraria nititur. — Cfr Luthardt, *o. c.* p. 156. — In nostra de quarti evangelii *auctore* studio *uniuscujusque* facti et dicti provenientiam, cum aliis scriptis connexionem exponere necesse non est. Secus enim tota synopticorum quæstio in subsidium assumenda foret, quod sane nemo contendet.

multiplicatio (VI, 1-13); ambulatio supra mare (VI, 16-21); Jesu in Bethania unctio (XII, 1-8); Christi triumphalis ingressus in Jerusalem (XII, 12-16) historiaque passionis.

Contra, longa foret enumeratio illorum factorum, narrationisque minutorum elementorum quæ quartus evangelista solus nobis retulit (1). Ità quarti evangelii auctor nobis narrat nova verba Baptistæ ad viros a synedrio deputatos, nova verba Christi ad discipulos Baptistæ ad seipsum transeuntes, novas divinitatis Christi declarationes, novos eventus (Galilæi Christum regem facere volunt, Græci eum requirunt, Judæi eum pluries lapidare volunt); novas introducit personas ut Nicodemum, samaritanam mulierem, cæcum natum, Nathanaelem, nova loca nominat Cana, Enon, Salem, Sychar, Bethaniam apud Jordanem etc. Narrationis theatrum non est fere exclusive Galilæa ut apud synopticos, sed Judæa et præsertim ipsa urbs Jerusalem, ità tamen ut tria in Galilæam itinera (II, 12; IV, 43; VII, 1) commemorentur, sed summatim omnino tractentur. Nova narrat miracula scil. conversionem aquæ in vinum in nuptiis Cana; sanationem paralytici apud probaticam piscinam; sanationem cæci nati et Lazari resurrectionem. Multo clarius etiam quam synoptici publicæ Christi vitæ chronologiam tradit.

Omnia minuta facta quibus quartum evangelium abundat quæque in synopticis desunt, tradere non vacat aliique ea singula exposuerunt (2); quædam igitur exempli gratia adducere sufficiat. Ità quoàd tempus, non tantum modo accuratiori quam alii evangelistæ, quam Lucas præsertim, generalem Christi ministerii chronologiam tradit, sed minutas etiam refert *temporis* indicationes. Sic III, 2: νυκτὸς; IV, 40: Καὶ ἔμεινεν ἐκεῖ δύο ἡμέρας; VI, 16: Ὡς δὲ ὀψία ἐγένετο; XIII, 30: ἦν δὲ νύξ; XVIII, 28: ἦν δὲ πρωΐ;

(1) Cfr Holtzmann, *Einl.* p. 428 ss. — Resch *l. c.*

(2) Cfr præsertim P. Patritius, *o. c.* — Lightfoot, *Biblical Essays*, 1894, p. 180 ss. — Godet, *Commentaire*, 1881, p. 335 ss.

XX, 19: Οὔσης οὖν ὀψίας τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ τῇ μιᾷ σαββάτων; XXI, 3: ἐν ἐκείνῃ τῇ νυκτὶ et XXI, 4: πρωίας δὲ ἤδη γενομένης (1). Imo ipsam diei horam indicat. Ità I, 39: ὥρα ἦν ὡς δεκάτη; IV, 6: ὥρα ἦν ὡς ἕκτη; IV, 52: ὥραν ἑβδόμην; XIX, 14: ὥρα ἦν ὡς ἕκτη.

Eumdem accuratum loquendi modum quoad *loca* et *personas* apud quartum evangelistam observare est. Ità I, 44: Ἦν δὲ ὁ Φίλιππος ἀπὸ Βηθσαϊδά, ἐκ τῆς πόλεως Ἀνδρέου καὶ Πέτρου; III, 23: Ἦν δὲ Ἰωάννης βαπτίζων ἐν Αἰνὼν ἐγγὺς τοῦ Σαλείμ; VI, 19: Ἐληλακότες οὖν ὡς σταδίους εἰκοσι πέντε ἢ τριακοντα; VI, 59: Ταῦτα εἶπεν ἐν συναγωγῇ διδάσκων ἐν Καφαρναούμ. Alia plura exempla afferri possent (2).

Quid ex hoc duplici facto in quarto evangelio occurrente, nempe ex supposita synopticorum cognitione ab una parte, ex accurata et per minuta facta procedente narratione ab alia parte concludendum est?

Quarti evangelii auctor synopticorum completionem tanquam *compositionis normam* assumpserit (3). Jam vero modus ipse quo illam completionem prosequitur, scil. temporale atque locale Christi vitæ schema quasi extendendo, nova facta interponendo, tamque minuta elementa fere ubique afferendo, talem auctorem designare videtur qui proprium omnino habuerit cognitionis fontem, ex quo summa cum fiducia et maxima cum facilitate hauserit. Fere ubique eum multa plura tradere potuisse legens experitur, ità ut ejus brevitatem et concinnum scribendi modum doleat, plerum-

---

(1) Cfr insuper I, 29, 35, 39, 43; II, 1; IV, 43; V, 5; VI, 17, 22; VII, 14, 37; X, 22; XI, 6, 17.

(2) Cfr VIII, 20; X, 40; XI, 54; XVIII, 15 ss; XIX, 13 ss etc. — Addi possunt I, 46, 48, 49; II, 6; V, 5; VI, 7, 8, 68; XI, 16; XII, 6; XIII, 8, 9, 24, 25, 26, 36, 37; XIV, 8, 22 etc, etc.

(3) De modo quo compleverit consuli possunt quatuor evangeliorum *synopses*. Cfr etiam Godet, *Commentaire*, I, p. 117 s. — Resch, *Aussercanische Paralleltexte zu den Evangelien*, 1896. — (*T. U.* X., 4) p. 40 ss. qui completionem illam scopum secundarium auctoris vocat, seriemque fragmentorum insertorum tradit.

que tamen oculatum testem fateri debeat (1) : solus enim ille qui ipse narratas res viderit *tale* complementum historiæ tanquam authenticæ receptæ addere ausus fuisset : ità implicite lectorum de testimonii genuinitate persuasionem prodit, conscientiamque historicam propriis viribus fidentem manifestat. (2)

Cæterum, multa alia interna indicia adduci possent in confirmationem. Quarti evangelii auctor enim se ut talem exhibet qui judaïcam linguam novit ità ut græca evangelii lingua hebraïcis idiotismis referta appareat. (3)

---

(1) Cfr Resh *o. c.* p. 220 «... Aber eben in dieser Erkenntniss liegt zugleich ein mächtiger innerer Beweis für die apostolische Authenticität des vierten Evangeliums, da nur ein Augen-und Ohrenzeuge auf diese — im Evangelium keinewegs ostentativ auftretende, demselben vielmehr latent zu Grunde liegende — Idee gekommen sein würde, mit solchen Ergänzungsfragmente in einer so ergiebigen und zugleich tendenzlosen Weise zu geben. »

(2) Cfr Battifol. *Six Leçons sur les Evangiles*, 1897, p. 119 « Et ce que l'on peut dire, c'est que cette indépendance de Jean n'est pas faite de fictions : le récit de la passion chez saint Jean en maints endroits l'emporte en précision sur celui des synoptiques, et il est plus complet ; quant aux événements de la vie de Jésus qu'il rapporte et que les synoptiques ne rapportent pas, ils constituent une narration dont les vraisemblances sont sensibles à ce point qu'on puisse y reconnaître ce que Renan appelait « des souvenirs d'une prodigieuse fraîcheur. »

(3) Hoc punctum jam plures illustrarunt et de eo omnes auctores conveniunt, adeoque, indicatis iis auctoribus apud quos speciales de hac materia disquisitiones inveniri possunt, paucis summam dicendorum contrahere liceat. Cfr Luthardt, *Das johanneische Evangelium*, 1875, T. I, (II ed.) p. 14-62 ; — Godet, *Commentaire*, 1881, p. 226 ss. — Lightfoot, *Biblical Essays*, 1893, p. 126 ss. — B. Weiss, *Einleitung in das N. T.*, 1897, p. 562. Quarti evangelii lingua, ut quidam ait, quasi hebraicum est corpus græco opertum vestimento, seu ut alius ait sermonis Joannei anima hebraïca est. Forma styli mere externa videtur græca, at plura indicia scriptorem orientalem et hebræum revelant.

Verba tamen hebraica et aramaica non penitus deficiunt apud Joannem; ità occurrunt: ἀμὴν ἀμήν, κηφᾶς, γαββαθᾶ, γολγοθᾶ, βηθσέσδα, Μεσσίας, ῥαββί, ῥαββουνί, μάννα, Σιλωάμ, Θωμᾶς, ὡσαννά, Ἰσκαριώτης, πάσχα, σάββατον. Præterea græca locutio quandoque hebraicam ideam obtegit : ità εἶναι ἐν, μένειν ἐν, γινωσκειν sæpe; hebraismi proprie dicti

Eodem modo quarti evangelii auctorem judaïcas ideas, traditiones, atque expectationes cognovisse tota evangelii decursu ostendi potest (1); pariter, palæstinensem geographiam, populi judaïci historiam atque usus non ignoravit. Inter innumera quæ afferri possent exempla (2), delectum aliquem facere liceat.

***

Ità auctorem Palæstinam habitasse eamque perlustrasse ex multis indiciis *topographicis* concluditur. Nam licet, ut suprà vidimus, galilæum Christi ministerium silentio fere prætereat, quasdam tamen circa Galilææ geographiam indicationes habet: Ità *Bethaniam trans Jordanem* discernit a Bethania castello Mariæ ac Marthæ (XI, 1 coll. X, 40 et XI, 6, 17 s.); distinguit Cana τῆς Γαλιλαίας (cfr II, 11;

---

non omnino absunt: ità I, 24: ἐκ τῶν Φαρισαίων (Pharisæi quidam); I, 39: ἔρχεσθε καὶ ἴδετε; I, 46: ἔρχου καὶ ἴδε; 6, 66: ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω; XVII, 2: ἐξουσίαν πάσης σαρκός; XVII, 12: ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας; ità etiam χαρᾷ χαίρειν; εἰς τὸν αἰῶνα. Sermo etiam orientalium more pluribus in locis symbolicus est.

Ad syntaxin quod attinet, paucæ omnino vel potius nullæ græcæ periodi occurrunt; phraseos structura generatim non est synthesi ordinata, sed varia membra potius juxtaponuntur ope particularum καί, δὲ, οὖν, vel parallelo aut antithesi adducuntur. Particulæ καὶ, δὲ, οὖν ex magna græcarum particularum copia solæ adhibentur, et singulæ locum tenent vav conversivi Hebræorum. Ad rem ZAHN, *Einl.* II, p. 563: « Es ist, als ob ein Jude schriebe, dem man gesagt hat: du must nicht immer « und » sagen. » — De tota hac joanneæ græcitatis materia conferatur J. TH. BEELEN: *Grammatica græcitatis Novi Testamenti*, Lovanii, 1857, *passim*.

(1) Cfr FRANKE, *Das Alte Testament bei Johannes;* Göttingen, 1885. Optime probat hic auctor, stylum evangelii hebraïcum esse, et multis elementis e Veteri Testamento desumptis abundare. Franke p. 315 s. originem palæstinensem auctoris admittit. Cfr ZAHN, *Einl.* II p. 554. « Seine Kenntnis des A T's ist nicht auf die LXX beschränkt, an deren Gebrauch er gewöhnt ist. »

(2) Cfr LIGHTFOOT, *Biblical Essays*, 1892, p. 145 ss. — GODET, *Commentaire*, 1881, p. 336 ss. — CORNELY, *Introd. Spec.* III, p. 226 ss. — B. WEISS, *Einl.* 1897, p. 562 ss.

IV, 46; XXI, 2) scitque itinerantes ab hac civitate in Capharnaum *descendere* (IV, 47: ἵνα καταβῇ). — Mare Genesareth nova appellatione vocat *mare Tiberiadis* (VI, 1; XXI, 1); distantiam indicat ad quam discipuli pervenerant quando Jesus ambulans supra mare ad eos venit (VI, 19). — Distinguit etiam Βηθσαϊδὰ τῆς Γαλιλαίας. Judææ topographiam distincte notat. Ità Ænon juxta Salim (III, 23) situm dicit. In capite IV plura habet quæ testem oculatum ostendunt: vallis Sichem et puteus Jacob (vv. 5, 12, 28, 35) (1): in specie quam minuta fuerit ejus locorum cognitio innuit mentio parvæ *civitatis Sychar* prope notissimam urbem Sichem. C. V, 2 conspexisse videtur Jerosolymis « probaticam piscinam quæ cognominatur hebraïce Bethsaida quinque porticus habentem ». — Aliam piscinam (κολυμβήθρα) novit in Jerusalem « natatoria Siloe » cujus hebraïci verbi interpretationem tradit (IX, 7). — Templum ejusque partes cognovit (VIII, 20: ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ et X, 23 ἐν τῇ στοᾷ Σολομῶνος). — Torrentem Cedron Oliveti montem inter et Hierosolymam civitatem decurrere animadvertit. In historia passionis, in qua tot minuta facta a nostro auctore servata occurrunt, typicum etiam topographicum elementum prostat XIX, 13 « Ὁ οὖν Πειλᾶτος... ἐκάθισεν ἐπὶ βήματος εἰς τόπον λέγομενον Λιθόστρωτον, Ἑβραϊστὶ δὲ Γαββαθᾶ ».

***

Ad *Judæorum usus et traditiones* quod attinet, nemo eorum cognitionem quarti evangelii auctori denegabit (2). Ut quædam indicemus: horarum divisionem semper Judæorum modo numerat; cognoscit judaicas festivitates atque ceremonias, turbam hac occasione ad Jerosolymam undique concurrentem (VII, 12, 31, 40; VIII, 12; XVIII, 20 etc.);

---

(1) Renan de hac scena scribit « Un Juif de Palestine ayant passé souvent à l'entrée de la vallée de Sichem a pu écrire cela. »

(2) Ad « judaismum » auctoris quod spectat, cfr infra ubi de scopo auctoris sermo erit necnon de ejus erga judaismum habitudine.

sacerdotes ac levitas (I, 19); judaicam Eliæ ac prophetæ cujusdam expectationem (I, 21); purificationem Judæorum domos intrantium (II, 6); circumcisionis praxim etiam in sabbato patratam (VII, 22, 23); judaicam de incertitudine circa Messiæ originem persuasionem (VII, 27) non obstante prædicta ejus in Bethlehem non in Nazareth (I, 46) nativitate; pœnam ejectionis extra Synagogam (IX, 22, 34; XII, 42); usum mortuos sepeliendi (XI, 38; XIX, 40; 20, 15); Judæorum de æterno Messiæ regno fidem (XII, 34); scrupulosam sabbati observationem (XVIII, 28; XIX, 31), summum Pontificem. (1)

De *festis* autem jam in specie dicamus. Festa Judæorum in quarto evangelio multo magis proeminent quam in synopticis evangeliis, quin tamen aliquid de eis expresse docere velit auctor, cum potius modo omnino naturali ea quæ de festis refert narrationi suæ annectat.

1° Festum *Tabernaculorum* VII, 2 « Ἦν δὲ ἐγγὺς ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων ἡ σκηνοπηγία »; paulo infra v. 37 ait « ἐν τῇ ἐσκατῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς ἑορτῆς » — Cum nullibi specialis solemnitas in veteri Testamento hujus festi septimæ diei tribuatur, agi videtur de die octava quæ, licet proprie ad Tabernaculorum festum non pertineret, dies tamen festiva erat (Cfr Lev. XXIII, 36; Num. XXIX, 35), et quandoque tanquam ad Tabernaculorum festum pertinens reputabatur (cfr Deut. XVI, 13 ss.; Ex. XIV, 25; Num. XXIX, 35; Neh. VIII, 18; II Mac. X, 6; Philo Septen. 24 « ἐφ' ἡμέρας ὀκτώ εορτὴν ἄγοντας; Jos. Antiq. III, 10, 4: ἀνιέναι δὲ ἀπὸ παντὸς ἔργου κατα τὴν ὀγδόην ἡμέραν. »)

2° Festum *Dedicationis* quod solus inter Evangelistas Joannes commemorat: X, 22: « ἐγένετο τότε τά ἐγκαίνια

(1) « ἀρχιερεὺς » vocabantur non tantum illi qui munere summi Pontificis fungebantur, sut etiam ii qui olim de facto summi Pontifices fuerant; imo valde probabiliter membra illarum familiarum e quibus summi Pontifices eligebantur (cfr Jos. *Antiqq. XX*, 88; 9, 1, 2; *Bel. Jud.* II 17, 6, 9; IV 3, 6; VI 2, 2 — *Act.* IV, 6 — Unde nulla difficultas in Joannis c. XVIII. Cfr. Schürer, *G. J. V.* II, p. 174.

ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις καὶ χειμὼν ἦν ». — Jamvero quam stricte omnia ab auctore tradita cum historia congruant, animadvertamus. — Imprimis juxta I Mac. IV, 59 unoquoque anno illud festum celebrandum erat « a quinta et vigesima die mensis Casleu cum lætitia et gaudio ». — Die autem 15ª hujus mensis Casleu hiems incipiebat apud Judæos. Deinde festum Dedicationis non *Chag* reputabatur (quemadmodum Exod. XXIII, 14 ss. festum Azymorum seu Paschatis, festum Hebdomadarum et festum Tabernaculorum), unde non Jerosolymis tantum sed ubique locorum celebrari poterat. Revera auctor noster nullum *ascensum* ad templum hierosolymitanum notat, quod tamen occasione aliorum festorum animadvertit (Cfr II, 13; IV, 45; V, 1; VII, 8).

3º Festum *Paschatis* (XVIII, 28) ac ejus parasceve (παρασκευὴ τοῦ πάσχα, XIX, 14, 31, 42). — C. XIX, 31: ἦν μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνου τοῦ σαββάτου, scil. erat sabbati dies festivus hebdomadarius et paschalis.

Apud Joannem 3 Paschata explicite enunciantur, scil. II, 13-23; VI, 4; XI, 55 — finem. Diu disceptatum est quodnam festum Joannes intelligat V, 1 « Μετὰ ταῦτα ἦν ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἀνέβη Ἰησοῦς εἰς Ἱεροσόλυμα ». — Multi codices inter quos A C E F etc. legunt: ἡ ἑορτή. — Notandum est Christum mense Decembri (Jo. IV, 3, 35) post primum Pascha reversum esse in Galilæam (Cfr Lc IV, 14). — Imprimis festum *Purim* videtur seponendum. Etenim occasione illius festi, mos non erat « ascendere Jerosolymam ». Præterea illud festum medio mense Adar (Martio) celebrabatur, adeoque unius tantum mensis intervallo Paschatis festum antecedebat. Jamvero VI, 1 alludit Joannes ad galilæum ministerium longe sermone a synopticis narratum, quod Jesus intra unius mensis spatium (1)

(1) Quod spatium adhuc magis restringendum est, cùm plures dies Christus a Jerosolyma ad Galilæam itinerando consumpserit, pluresque etiam inde a panum multiplicatione usque ad Paschatis festum effluxe-

certe non compleverit (Mt IV, 12 — XIV, 12). Festum igitur Paschatis, Pentecostis vel Tabernaculorum est cogitandum. Uti notum est, S. Irenæus (*Adv. H.* II, 22, 3) festum Paschatis intellexit. Hanc sententiam plures ex lectione (incerta tamen) ἡ ἑορτή et ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων deducere voluerunt (Jo. IV, 45; VI, 4; XI, 56; XII, 12.) — Ità Knabenbauer o. c. p. 186 s. At immerito, cum Jo. VII, 2 dicatur de Tabernaculorum festo: « Ἦν δὲ ἐγγὺς ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων ἡ σκηνοπηγία ». Ascensus in Jerosolymam qui commemoratur (coll. II, 13; VII, 1; XI, 55-56) interpretationi S. Irenæi favere videtur. Tenemus relate ad chronologiam vitæ Christi parum referre quodnam ex illis tribus festis intelligendum veniat, cum in omni hypothesi præter tria Paschata a Joanne explicite relata, certe festum Paschatis inter Jo. IV, 35 et VI, 4 admittendum sit, ut ex supra traditis liquet (1). Quodnam autem ex his tribus festis sit eligendum, haud facile probatur.

***

Varias *historicas circumstantias* auctor plane notas habebat, ac *varias sectas sive politicas sive religiosas*, *institutionesque tùm civiles tùm religiosas* singulas propriis atque genuinis coloribus iisque epochæ descriptæ respondentibus depingit.

1° *Oppositio Galilæos inter et Judæos* variis evangelii locis apparet. Ità II, 46; VII, 41, 52 (2).

2° Cognoscit « *dispersionem* » eamque in minori æstimatione a Judæis palæstinensibus habitam fuisse ostendit. (V, 35).

---

rint: etenim Jo. VI, 4 dicitur tantum « proximum Pascha, dies festus Judæorum. » — Quoad eventus quos intra hoc breve spatium includere oporteret, cfr Tab. synopt. vitæ dominicæ apud Van Steenkiste, *S.J.C. evangelium secundum Matthæum*. Brugis, 1880-1882, IV, p. 1524 ss.

(1) Cfr Corluy, *Comment.* p. 122 ss. — Zahn, *Einl.* II p. 516 n. 5 : festum Tabernaculorum designari antumat.

(2) Cfr Lightfoot *l. c.* « The portrait which A John gives us of St Peter is as Keim truly observes (I p. 315) of a genuine galilæan type »

3° *Synagogæ* influxum atque significationem (1) pluries innuit (IX, 22; XII, 42; XVI, 2; Cfr VI, 60; XVIII, 20.)

4° *Phariseos* commemorat (I, 24; III, 1; IV, 1; VII, 45, 47, 48; VIII, 3, 13; IX, 13, 15, 16, 40; XI, 46, 47, 56; XII, 19, 42; XVIII, 3) eosque tales depingit quales eos tunc temporis fuisse ex variis fontibus, ex Josepho præsertim discimus (2), nempe legi valde addictos eamque strictissime ac rigidissime interpretantes, partem aliquam seu sectam quamdam in ipso populo efformantes, populumque despectui habentes (cfr VII, 48, 49). — Notatu dignum est *Sadducæos* ab aliis evangelistis citatos nullibi hoc nomine a quarti evangelii auctore vocari. His nempe aliud nomen imponit. Christi enim adversarios in synopticis « Pharisæos » et « Sadducæos » habemus, in Joannis evangelio autem « Pontifices » (ἀρχιερεῖς et ἀρχόντες) et « Pharisæos » (cfr c. VII, 48; XI, 47, 56; XII, 42; XVIII, 3). Jamvero utraque hæc denominatio (ἀρχιερεῖς et ἀρχόντες) in Sadducæos quadrat. Etenim ex una parte sociali influxu ac potestate pollebant Sadducæi, dum ex alia parte e sacerdotali genere (3) præsertim colligebantur (4). — Deinde, longe major erat Christi tempore

---

(1) E. Schürer *G. J. V.* II p. 356 ss.

(2) E. Schürer *G. J. V.* II p. 320 ss.

(3) E. Schürer *G. J. V.* II p. 320. « Die Sadducäer sind zunächst nichts anderes als die Aristokraten, die durch die geschichtliche Entwickelung allerdings zur Opposition gegen die pharisäische Gesetzlichkeit' gedrängt worden sind, bei denen aber dies Letztere nicht das eigentlich grundlegende Moment ihres Wesens bildet... Die Charakteristik der Pharisäer hat vielmehr auszugehen von ihrer gesetzlichen Richtung, die der Sadducäer von ihrer socialen Stelllung » Cfr p. 337. — Ex Josepho (Antiq. XIII, 10, 6) patet Sadducæos in populo paucos numerasse socios.

(4) C. I, 24 legendum esse putamus cum Loisy *(R. H. L. R.)* 1898, p. 42 s.) et Zahn (*Einl.* II p. 515 n. 2) ἀπεσταλμένοι sine articulo adeo ut non recte primitivum textum verterit Vulgata « Et *qui* missi fuerant, erant ex Pharisæis. » — Vertendum erat « Et erant missi ex Pharisæis » ; « Et il y avait (dans la légation) des envoyés Pharisiens »

Pharisæorum quam Sadducæorum potestas, ipsique Sadducæi a Pharisæis etiam inviti ducebantur : quod iterum in quarto evangelio verificatur. Pharisæi enim apud quartum evangelistam acerrimi sunt Christi adversarii : ipsi semper aperte Christum impugnant, ejus doctrinæ contradicunt, eisque principes seu Pontifices resistere non audent eorumque timent influxum, ut ex c. XII, 42 patet: « Ὅμως μέντοι καὶ ἐκ τῶν ἀρχόντων πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν, ἀλλὰ διὰ τοὺς Φαρισαίους οὐχ ὡμολόγουν, ἵνα μὴ ἀποσυνάγωγοι γένωνται ».

Exceptio quædam datur nempe XII, 10 ubi principes sacerdotum consilium Lazarum a mortuis rescuscitatum interficiendi, absque Pharisæorum interventu ineuntes exhibentur. At, illa Sadducæorum festinatio optime intelligitur, cum de fundamentali Sadducæorum dogmate ageretur. ([1])

5° *Scribæ* seu « οἱ γραμματεῖς » qui tanta Christi tempore auctoritate pollebant, commemorantur et quidem talibus in circumstantiis quæ eorum characteri congruunt (cfr VIII, 2 ss).

6° *Samaritanos* optime novit auctor (IV, 4 ss), fundamen-

(Loisy) ; « und es waren Pharisäer gesandt » (Zahn). Neque contextus opinionem Origenis (*In Joan.* II 8 ed. Brooke I, 120) de duplici diversa legatione compatitur. Apposite Loisy: « Dans la suite de l'Evangile (7, 32, 45) la distinction des prêtres (sadducéens) et des pharisiens est assez nettement marquée pour que l'auteur ne puisse être soupçonné d'avoir confondu ici les uns avec les autres. Il n'y a pas eu deux ambassades, mais comme il y a deux phases dans le récit, il y avait aussi deux éléments dans la députation des Juifs, les mêmes que Jésus rencontra devant lui à Jérusalem, à savoir les prêtres et les pharisiens. »

([1]) Cfr Lightfoot, *Biblical Essays*, p. 27. « Hence they bestir themselves and throw off their usual apathy ; just as, turning from the Gospels to the Acts of the Apostles, they have taken the place of the Pharisees as the foremost persecutors of the new faith, because the resurrection from the dead was the cardinal topic of the preaching of the apostles » — Cfr quæ hic auctor circa Jo. XI, 49 s. coll. Jos. *Bel. Jud.* II 8, 14 tradit.

talem etiam illorum a Judæis discrepantiam (IV, 20) horumque contra Samaritanos antipathiam atque despectum (IV, 9 coll. VIII, 48).

7° *Politicum Palæstinæ statum* [1] minutis quibusdam elementis plerumque obiter dictis adæquate depingit. — Romanam dominationem pluries innuit (XI, 48; XIX, 12, 19, 15) [2] et inde consequentem juris gladii ademptionem procuratori devoluti (XVIII, 31) ostendit, licet non omnem potestatem judiciariam Judæis deneget (XVIII, 31). Etenim, judicialem potestatem et quidem secundum judaïcas leges exercitam Judæis agnoscit (XVIII, 31). — Synedrio criminalis jurisdictio servabatur, sed sententiarum ad pœnam mortis damnantium approbatio procuratori reservata erat, qui tamen in hac approbatione judaïcæ legis rationem habere tenebatur [3]. Quæ omnia non obscure ab auctore nostro indicantur (XVIII, 31, XIX, 7, 10, 16) sed obiter tantum innuuntur.

9° *Status militaris* Judææ, quæ provinciæ imperiali Syriæ annexa erat, ætate Christi *auxilia* tantum comprehende-

---

(1) Circa hujus periodi politicas institutiones, cfr E. Schürer *G. J. V.* I p. 378 ss. et II p. 60 ss. — Mommsen, *Römische Geschichte* V 508 ss. — Kellner *Z. K. Th.* 1888, p. 630 ss. — Id. *Kath.* 1888, I, p. 47 ss.

(2) Prætorium, XVIII, 28, 33. Cfr Schürer *o. c.* I. 382.

(3) Cives romani jus appellationis ad Cæsarem habebant, quod « provincialibus » ut Christo negabatur — Cfr. Schürer *o.c.* I p. 390 s. « Die unbedingte Strafgewalt des Statthalters erstreckte sich also nur auf die Provinzialen... Auch Provinzialen konnten aber vom Statthalter zur Aburtheilung nach Rom geschickt werden, wenn derselbe wegen der Schwierigkeit des Falles die Entscheidung dem Kaiser überlassen wollte. — Die aus den Evangelien (Quoad Jo. cfr XVIII, 39-40) bekannte Thatsache, dass der Procurator von Judäa zum Passafeste einen Gefangenen freizugeben pflegte, beruhte wohl auf einer Spezial-Ermächtigung des Kaisers. Denn das Recht der Begnadigung kam sonst den Statthaltern nicht zu ». Nota insuper Jo. XIX, 13 « καὶ (Πειλάτος) ἐκάθισεν ἐπὶ βήματος » de quo Schürer (*o. c.* I, p. 356): « Das Sitzen des Richters auf der *sella* war eine nothwendige Formalität, ohne welche der Spruch nicht rechtskräftig war. »

bat quibus præerat procurator. Pedites (1) cohortas (σπεῖρα Jo. XVIII, 3, 12) efformabant quibus ὁ χιλίαρχος (tribunus Jo. XVIII, 12) præerat. Jerosolymæ una tantum cohors erat. Unde et in re militari voces ab auctore usitatæ cum factis concordes inveniuntur. (2)

10° *Synedrium*. Cfr XI, 47 : Συνήγαγον οὖν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι συνέδριον ». (3) — Distinctio triplicis classis membrorum Synedrii non ità clare apparet ac apud synopticos (v. g. Mc XV, 1 οἱ ἀρχιερεῖς μετὰ τῶν πρεσβυτέρων καὶ γραμματέων) ; attamen varia quæ habet Joannes de Synedrio indicia cum rerum veritate ac statu tempore Christi vigente congruunt. Ità duas in Synedrio factiones distinguit: οἱ ἀρχιερεῖς (seu ἀρχόντες) et οἱ Φαρισαῖοι. De facto autem tempore Christi scribæ majori ex parte Pharisæi erant (VII, 47-49), dum autem plerique sacerdotes Sadducæorum doctrinæ favebant. Duplex illa factio jam apparet in legatione ad Baptistam, et utraque proprio charactere delineatur (I, 19 ss) : multo magis quam Sadducæi Pharisæorum factio ex motivis religiosis Jesum impugnabat. Deputati Synedristæ rogant Joannem « Elias es tu? » « Propheta es tu? » (I, 25; IX, 16, 24). Scimus autem falsas prophetias a Synedrio cognitas fuisse, ipsosque prophetas coram illo tribunali fuisse judicatos. Pharisæi majori influxu pollebant (XII, 42) ; acerbiori in Christum odio æstuabant, et contra ipsum plebem ac Pontifices concitabant. Pontifices enim

---

(1) Ex *Act. Ap.* XXIII, 23 patet etiam *equites* Hierosolymæ fuisse, quibus « ἑκατοντάρχοι » (centuriones) præerant. — Cfr *Act.* XXI, 31 : « χιλίαρχος τῆς σπείρης = tribunus cohortis ». De Romanorum statu militari in genere, cfr Marquardt, *Römische Staatsverwaltung*. B^d II (2 aufl.) p. 307-591.

(2) Ex *Jo.* XIX, 23. Lightfoot, (*Biblical Essays* p. 161 s.) aliud rei militaris cognitionis exemplum deducit « a quaternion (τετράδιον Acts 12, 4) of soldiers, as we learn from Vegetius and others (Philo, in Flacc. 13, 2 ; Polyb. VI, 33) was usually employed as a watch on night duty, or for purpose of escort... But observes how incidentally the fact comes out. »

(3) Cfr. Schürer *G. J. V.* II p. 143-166.

seu principes sacerdotum supremum regimen detinebant, ipsique Synedrio summus Pontifex præerat. Illa autem Synedrii membra Pharisæi minis terruerunt, in proprias partes traxerunt et a toto Synedrio Christi damnationem impetrarunt.

11° *De Summo Pontifice* accurate loquitur Joannes. Summus Pontifex, qui Synedrio præerat, in quarto evangelio cætera membra honore præcedit et Christum ante tribunal interrogat (XI, 40 ss; XVIII, 13 ss). Causa agitur ante Caipham « qui erat Pontifex anni illius » ([1]). Immerito quidam quarti evangelii scriptorem ignorantiæ accusarunt quasi dixerit summum pontificatum apud Judæos annuum viguisse. Etenim id solum enuntiare intendit auctor, anno illo adeo memorando quo Christus mortem subiit, Caipham fuisse summum pontificem ([2]). Neque facile tam gravis erroris insimulandus est auctor qui statum Judæorum religiosum ac politicum optime uti vidimus notum habebat.

([1]) Putamus enim interrogationem Jo. XVIII, 19 ss. narratam coram Caïpha Pontifice factam fuisse. Nam, inspectis XI, 49-51 et XVIII, 13, 14, 24, ὁ ἀρχιερεύς XVIII, 19, 22 Caiphas intelligendus videtur. Præsertim cùm Annas ne quidem Pontifex vocetur. Immerito Knabenbauer (*Comment. in Jo.* p. 515) loca ut VII, 45 ; XI, 47, 56 ; XVIII. 3, 35 ; XIX, 6, 15, 21 adducit ut probet nomen « ἀρχιερεύς » numero plurali quandoque adhiberi : totam enim classem Synedrii ità designat Joannes ; sed nostro in loco de Pontifice optime noto agitur qui peculiari potestate totam rem gerere videtur. Christus adducitur ad Annam primum quia erat « socer Caiphæ qui erat pontifex anni illius. » Cæterum historia textus Jo. XVIII, 13 ss, hanc sententiam confirmare videtur. Syrus synaiticus, Cyrillus Alexandrinus et quidam alii, (cfr. Zahn, *Einl.* II p. 521 n. 12) v. 24 immediate post v. 13 legerunt, aliæque in hoc textu perturbationes notatæ fuerunt.

([2]) Cfr. Reuss, *Théologie johannique* 1879 p. 252 s. — Zahn, *Einl.* II p. 561 s. n. 12. — Knabenbauer, *Comm. in Jo.* p. 368.

ARTICULUS II

SERMONES JESU IN QUARTO EVANGELIO. (1)

In præcedente articulo historica elementa quibus quartum evangelium abundat investigavimus, simulque ex variis indiciis hanc eruimus conclusionem : quarti evangelii auctorem synopticorum narrationem cognovisse, hanc cognitionem apud lectores suos supposuisse, et in scribendo evangelio talem secutum esse complendi methodum qualem solus testis oculatus usurpare videtur.

Præcipua quarti evangelii cum synopticis discrepantia in hoc habetur quod longiores Christi sermones ejus partem principalem constituant; qui omnes sermones eo spectant ut naturam Christi divinam, vitæque supernaturalis a Christo allatæ atque per fidem dilectionemque participandæ necessitatem ostendant. Ut jam suprà innuimus, in elemento hoc dogmatico cum historico charactere conciliando « joannea quæstio », uti eam vocant, consistit.

Jamvero, critici acatholici (2) sermonum illorum characterem historicum negarunt, eosque tanquam subjectivam et plane dogmaticam auctoris de Christo ejusque doctrina conceptionem habuerunt, atque difficultates vulgarunt tum

---

(1) Reuss, *Théol. Joh.* p. 7 ss. 42 ss. 51 ss. — Bleek-Mangold *Einl.* p. 319 ss. — Godet, *Comment.* p. 153 ss. — Bovon, *Théologie du N. T.* I 1893 p. 146-169 ; 475. — Cornely, *Intr. Spec.* III p. 265. — Luthardt, *Der johanneische Ursprung* p. 178 ss. — Douais, *Sc. C.* 1895 p. 600 ss. — Holtzmann, *Einl.* p. 430 ss. — Corluy, *Commentarius in Evangelium S. Joannis* 1889 p. 18 ss. — P. Batiffol, *Six Leçons sur les Evv.* p. 127 ss. — Knabenbauer, *Comm. in ev. Jo.* 1898 p. 46 ss.

(2) Bretschneider, Weisse, Bruno Bauer, F. Baur, Hilgenfeld, Köstlin, Strauss, Reuss, Holtzmann, Scholten, Volkmar, Renan, Keim, Schenkel, Thoma, Jacobsen.

ex sermonibus in se inspectis, tum ex illorum cum synopticorum dictis comparatione desumptas.

Illo peculiari sermonum charactere nixi, plures apostolicam Joannis evangelii negarunt originem; sequenti enim modo ratiocinati sunt: « Christus non potuit simul loqui ut synoptici ex una parte referunt et ut ex alia parte Joannes exponit (1). Jam vero cùm synopticorum methodus simplicior sit, et per parabolas procedens orientalium intellectui magis accomodata; cùm ex adverso in quarto evangelio sermones sint omnino dogmatici atque uniformes, sequitur solam synopticorum relationem historicam esse. Quartum igitur evangelium non a Joanne apostolo scriptum fuit ». (2)

Differentia autem illa tum formam, tum doctrinam respicit.

1° Imprimis quoad *formam sermonum,* magna sane cum synoptici styli differentia animadvertitur. Synoptica enim evangelia sermones Christi exhibent breves, simplices, concretos atque vividos, parabolis orientalium intellectui adaptatis illustratos. Dicta Christi referunt stylo populi captui accommodato. — Joannis evangelium e contrario generatim longiores sermones Christi habet, magis abstractos atque sublimiores. Forma parabolica fere nunquam reperitur, sed Christi sermocinatio auditorum objectionibus sæpe interrumpitur, atque methodo magis scientifica procedit.

Animadvertendum tamen est has differentias non nimis esse premendas, quasi duæ methodi in quarto evangelio sese penitus excludant. Ita apud Joannem breves et figuratæ sententiæ non omnino deficiunt, neque penitus parabolica dicta desunt; *generatim* tamen non apparent et quæ

---

(1) Illorum sermonum indolem atque cum synopticis comparationem apud commentatores atque in introductionibus ad N. T. videre est, eorumque indolem ubi de scopo evangelii ejusque divisione quæstio erit, breviter adumbrabimus.

(2) Luthardt, *Joh. Ursp.* p. 178.

inveniuntur, non eadem simplicitate ac in synopticis proponuntur nec quoad minuta elementa evolvuntur. Memorentur hîc figuræ « aquæ salientis in vitam æternam » (Jo. IV, 14) « panis vitæ » (VI, 48) « boni pastoris et mercenarii » (X, 1-16); « vitis veræ et palmitum » (XV, 1 ss). Cfr etiam XIII, 16; XV, 20; XVI, 21, 25. ([1])

Quod autem Mt XIII, 34, dicit Jesus: « Hæc omnia locutus est in parabolis ad turbas; et sine parabolis non loquebatur eis » (cfr Mc IV, 34), facile intelligitur, cùm *plebi* seu *turbæ* doctrinam suam ope parabolarum Christus accomdare conaretur. Hoc tamen non impedit quominus cum Judæis eruditis et quandoque cum Apostolis Christus sublimiori modo locutus sit. Ex ipsis synopticis patet Christum duplicem quasi evangelizandi methodum usurpasse pro diversa auditorum conditione. Ita Mt XIII, 10 s. « Et accedentes discipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris *eis*? Qui respondens ait illis: Quia *vobis* datum est nosse mysteria regni cœlorum, *illis* autem non est datum... Ideo in parabolis loquor *eis*... etc. » Apud Mc IV, 11 et Lc VIII, 10 eadem omnino distinctio affirmatur. — Et ex

---

([1]) cfr Luthardt, *o. c.* p. 181. « Und auch bei Johannes begegnen uns kurze, schlagende oder paradoxe Worte wie sie bei den Synoptikern so häufig sind. Nicht bloss solche, von denen der Evangelist bekennt, dass er und seine Mitjünger sie damals, als Jesus sie sprach, nicht verstanden habe z. B. 2, 19 ff. 4, 32 ff. 7, 33 ff. u. s. w., sondern auch andere, welche die Form des kurzen oder paradoxen Spruchs an sich tragen, z. B. 4, 35 ff. 44, 5; 17, 6, 27, 62, 63 u. s. w. » Cfr Weiss, *Einl.* p. 580 n. 3 « An sich ist der gnomologische Charakter der Rede Jesu (vgl. 4, 37. 8, 35. 16, 16) und seine Bildersprache bei Johannes keine andere als bei den Synoptikern. Es ist derselbe Kreis schlichtester Symbole, die dem leiblichen Leben, wie dem Natur-und Familienleben entnommen werden: Leben und Sterben, Sehen und Blindsein, Hungern und Dürsten (woraus sich von selbst die Symbolik von Brod und Wasser ergiebt, der bei den Synoptikern die vom Salz und Sauerteig parallel steht), Licht und Finsterniss, Saat und Ernte, Hirt und Schafe, Herr und Knecht, Vater und Kind, Haus und Becher, wenn auch einzelne mit Vorliebe gebraucht und in breiterer Weise ausgemalt sind. »

alia parte non sic assertio nostra de synopticorum parabolica methodo est intelligenda quasi Christus nunquam sublimiori modo in eis loquatur. Plura enim loca occurrunt ubi oratio, præ dogmatico sermonis objecto, solemnior et magis scientifica evadit (Mt. XI, 25 ss.; XII, 25 ss. etc.)

Cùm priore hac dissimilitudine alia cohæret statim notanda. Loquendi modus apud synopticos auctores multum mutatur pro variis personis loquentibus variisque materiis. Contrà in quarto evangelio eodem tenore procedit, atque Magistri aliorumque sermones magis quam synoptici auctor proprio suo modo expressisse videtur, uti ex similitudine inter Christi loquentis sermocinationem cum Joannis Baptistæ loquendi modo atque etiam cum prima Joannis epistolæ lingua constat. Sed iterum dissimilitudinem illam non nimis esse urgendam Luthardt (o. c. p. 182 ss.) aliique demonstrarunt, hujusque differentiæ causam sufficientem sequentium capitum investigationes præbebunt (1). Cæterum hæc omnia minutim prosequi nostrum non est, cùm *ex hac sola differentia,* ut jam diximus, nihil directe circa evangelii auctorem deduci possit. Potius peculiaris illius characteris causas inquirere debemus.

2° Alio quoque nomine, quoad *doctrinam* nempe traditam, differunt Jesu sermones qui in Joannis evangelio reperiuntur ab iis quos tres synoptici tradiderunt. In his enim præsertim moralia præcepta circa orationem, eleemosynam, humilitatem, divitiarum honorumque abdicationem inculcantur, Pharisæorum vitia reprehenduntur, regnum Dei futuraque ejus fata exponuntur. — In quarto evangelio contrà Christi persona, ejus divinitas atque præexistentia,

---

(1) Insuper hîc animadvertere liceat sæpe personales quarti evangelistæ animadversiones sermonibus Christi immixtas esse, v. g. II, 21; VI, 64 ; VII, 5, 30, 39 ; XI, 51 ; XII, 15, 37-43 ; XIX, 36 s. — Hæc autem contra historicam evangelii indolem nihil probare patet, cùm potius ipse auctor ità historica elementa inter et personalem interpretationem se distinguere ostendat.

salutisque messianicæ significatio ejusque hominibus applicatio quasi unicum sermonum Christi objectum constituunt.

Sed iterùm animadvertere juvat christologicum illum quarti evangelii characterem, a multis fuisse exaggeratum, nec illam indolem in synopticis penitus abesse, licet sub hoc respectu quartum evangelium præ synopticis longe emineat. Insuper satis elucet hanc dissimilitudinem a priori minime obstare ut quidam contenderunt, quominus a teste oculato vel etiam ab apostolo conscriptum fuerit.

Ratiocinationem illam adduximus quia occasionem præbet « joanneæ quæstionis » magis adæquate definiendæ, quæstionisque de Joanne quarti evangelii *auctore* rectius instituendæ.

Etenim supradictam ratiocinationem illogice procedere arbitramur, cum duo elementa ab invicem distincta connexa tamen confundat, nempe quarti evangelii originem litterariam seu quæstionem de ejus auctore — ejusdemque evangelii tenorem et characterem historicum eorum quæ in illo proponuntur. — Dato etiam solos synopticorum sermones historice fuisse prolatos, non eo ipso sequitur nullum apostolum joanneos sermones scribere potuisse: sequeretur tantùm quartum evangelium non eodem titulo ac synopticos tanquam historicum fontem adhiberi posse. Ut Luthardt ait, quemadmodum Plato alio omnino modo quam Xenophon Socraten depinxit, quin ex hac dissimilitudine deduci possit Platonis dialogos non a Socratis discipulo scriptos fuisse; ità quomodo liber Christum modo synopticorum imagini non plane adæquato exhibens a Christi discipulo non potuisset exarari?

Ratiocinatio eo magis peccare videtur illa, quod multa in quarto evangelio indicia certe historica inveniuntur, quodque ipsum scriptum tanquam a teste oculato exaratum se perhibet.

Quæ cum ità sint, et historicus *narrationis* valor in quarto evangelio agnoscendus sit, alio modo quæstio ponenda videtur. Quæstio potius *psychologica* est, et cum hucusque

nihil apostolicæ libri origini repugnans obviam habuerimus, *causæ* potius investigandæ sunt quæ, sub influxu divinæ inspirationis, dogmaticam illam de Christo conceptionem auctori progignere potuerint. Eamdem enim historiam, præsertim ubi facta cum doctrina intime connectuntur, vario modo varii exponunt, juxta scopum quem scribendo intendunt, juxta illorum necessitatem quorum gratia calamum assumunt, juxta subjectivas tandem atque internas dispositiones quibuscum scribenda concipiunt atque dijudicant. ([1])

Manet igitur ut tum in ipso evangelio, tum in doctrina philosophica atque religiosa loci in quo scriptum fuit, omnia illa indicia colligamus unde varias tales causas peculiaris indolis quarti evangelii explicativas deducere possimus.

Varia autem illa indicia in tribus sequentibus capitibus concludemus, quæ de *loco* in quo evangelium ortum est, de auctoris *scopo* deque ejus *psychologia* seu *interna sentiendi ratione* tractabunt.

([1]) Cfr E. Bernheim, *Lehrbuch der historischen Methode*. Leipzig 1894 p. 303 ss. — Ch. De Smedt, *Principes de la critique historique*, 1883 p. 91 s. — Immerito autem quis nobis vitio verteret indicatum explicationis modum, quasi genuinus inspirationis conceptus pessumdaretur. — Etenim jam suo tempore scribebat S. Augustinus: « In Scripturis per homines, more hominum loquitur Deus » (*De Civ. Dei*, XVII, 6) et: « Sacram Scripturam legentes nihil aliud appetunt, quam cogitationes voluntatesque illorum, a quibus conscripta est, invenire et per illas voluntatem Dei, secundum quam tales homines locutos esse credimus » (*De Doctr. Christ.* II, 5) — Cfr S. Thom. *Sum. Theol.* 2.2 q. 174 a. 2 ad 3[m]: «... Qui hagiographa conscripserunt eorum plures loquebantur frequentius de his quæ humana ratione cognosci possunt, non quasi ex persona Dei, sed ex persona propria, cum adjutorio tamen divini luminis. » — Lagrange, *R. B.* 1896, p. 496 ss.

CAPUT II.

De Loco in quo scriptum fuit Joannis evangelium.

In Asia Minori scriptum fuisse quartum evangelium pluribus argumentis constat. Res ex identitate auctoris cum Apocalypseos auctore indubia jam apparet. Fere omnia etiam quæ habemus de scriptionis loco explicita testimonia, inter quæ S. Irenæi testificatio eminet, Asiam provinciam et in specie Ephesum indicant. Et si Apocalypsis omniaque illa positiva testimonia deficerent, de Asia provincia præ cæteris cogitandum esset. In hac enim provincia Evangelii priorisque Joannis epistolæ usus antiquissima vestigia occurrunt, quemadmodum ex Polycarpo, Papia atque « presbyteris » a Papia citatis constat (1). — Neque talia vestigia in priore sæculi secundi parte pro alia quacumque provincia prostant. Etenim, ut supra vidimus, precum eucharisticarum in Didache servatarum a quarto evangelio litterariam dependentiam cum certitudine adstruere impossibile est (2). Insuper nullo modo successerunt (3) conatus quos auctores quidam ad aliam evangelio localem originem adjudicandam tentarunt.

Originem illam asiaticam quarti evangelii tanquam extra omne dubium et citrà omnem controversiam positam habemus. Internum evangelii examen assertionem illam suo modo confirmabit; nam ut ex sequentibus articulis clarescet, in Asiæ Minoris ecclesias, in ephesinam præprimis quadrant varia indicia quæ colligi possunt in evangelio ad

---

(1) Harnack, *Chron. A. C.. L.* I, p. 680 n. 3.

(2) Cfr. suprà p. 31 ss. — Harnack *l. c.*

(3) Ità Wittichen Syriam cogitavit, Baur et Keim Ægyptum (Alexandriam) nominarunt.

priorum lectorum statum intellectualem et religiosum determinandum.

Peculiaris quarti evangelii character, modusque quo synopticorum narratio completur, lectores jamdiu in religione christiana edoctos fuisse non obscure ostendunt. Hoc autem post Pauli apostolatum de Asiæ ecclesiis ad amussim verificatur.

Antequam directe asiaticarum ecclesiarum statum intellectualem et religiosum attingamus, generalia quædam indicia obiter tradamus quibus pro *græcis* lectoribus auctorem scripsisse apparet. Huc spectat imprimis nominum hebraïcorum et judaïcorum usuum indicatio atque interpretatio (1): judaïcis lectoribus talia auctor non fuisset interpretatus. Geographicas indicationes palæstinensibus lectoribus superfluas plures adducit. (2)

Jure merito etiam plures auctores, complacentiam observarunt quacum quarti evangelii scriptor e Christi ministerio talium factorum meminit quæ ad Græcos spectant. Ità c. VII, 35 dicunt Judæi « μὴ εἰς τὴν διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων μέλλει πορεύεσθαι καὶ διδάσκειν τοὺς Ἕλληνας » et c. XII, 20 narratur quomodo « τινες Ἕλληνες » Jesum videre quærerent. — Etiam notari potest tales apostolos in quarto evangelio agentes introduci quorum nomina tantum synoptici in apostolorum catalogis retulerant, nempe Andream, Philippum, Thomam, Judam, Nathanael. Jam vero Papias in Asia minori oralem traditionem scribens plurium ex illis apostolis dicta commemoravit. Unde connexio quædam illius traditionis cum quarto evangelio apparet. (Cfr. Weizsäcker Ap. Zt. p. 184). — Insuper usus vocis « ὁ Λόγος » in Apocalypsi et Joannis evangelio adhibitæ horum scriptorum patriam eam indicat regionem in qua primum ille terminus speculationibus theologicis

(1) I, 38 ss.; II, 6; III, 2, 6, 26; IV, 25, 31; V, 2; VI, 25; IX, 2, 7; XI, 8, 16; XIX, 13, 17; XX, 16, 24; XXI, 2.

(2) I, 28; II, 1; IV, 4, 46, 54; X, 40 etc.

inservire visus est. Iterum autem reducimur ad Asiam provinciam in quam alexandrinensis philosophia Philonisque theosophia crebro commercio transmearunt. Illum verò influxum in ipsum Joannis evangelium maximum fuisse plures auctores (1) aliis negantibus (2), defendunt. In specie theoriam « τοῦ Λόγου » a philosophia alexandrinensi mutuatam esse multi volunt, unde tota christologia quarti evangelii penderet.

Ut igitur mundum intellectualem et religiosum in quo ortum est quartum evangelium intelligamus, adeoque distinctius peculiaris ejus indolis apprehendamus rationem, varias illas circumstantias in quibus scriptum fuit quartum evangelium examinabimus.

ARTICULUS I

Ephesus a Paulo conversa.

Tempore quo S. Paulus prima vice Ephesum appulit civitas illa commercio suo florentissima metropolis Asiæ provinciæ tum politica tum religiosa (3) existebat; portus ejus utpote præ cæteris totius provinciæ cum aliis regionibus commercio inserviens, frequentatissimus erat. Famosum erat Ephesi Dianæ templum « quam tota Asia et orbis colebat. » (Act. XIX, 27, 35).

---

(1) Scholten, O. Pfleiderer, A. Thoma, Jacobsen, O. Holtzmann, J. Réville, A. Réville, etc.

(2) Harnack, *D. G.* I, p. 762 n.

(3) Quando S. Paulus de « Asia » loquitur (*Rom.* XVI, 5 ; I *Cor.* XVI, 19 ; 2 *Cor.* I, 8) provinciam romanam hujus nominis intelligit, totam Asiæ Minoris partem occidentalem, nempe Mysiam, Lydiam, Cariam occidentalemque Phrygiæ partem : eodem modo Asia in Apocalypsi et in *Act.* (16, 6-8) intelligitur — Cfr. Weizæcker *Ap. Zt.* p. 317 — Batiffol : *6 Leçons sur les Evv.* p. 93 s.

Multi etiam Judæi Ephesi habitabant ibique synagogam habebant Deumque more majorum colebant. (Act. XIX).

Pluries Paulus Ephesi commoratus est : in prima sua commoratione « ingressus synagogam (jam) disputabat cum Judæis », quibus rogantibus ut ampliori tempore maneret consensit. Sed valefaciens et dicens : « Iterùm revertar ad vos Deo volente, profectus est ab Epheso (Act. XVIII, 19-21). » — Post Pauli profectum Aquila et Priscilla Judæi conversi quos Ephesi Paulus reliquerat opus Pauli continuarunt, eisque mox « Judæus quidam Apollo nomine, Alexandrinus origine, vir eloquens, devenit Ephesum, potens Scripturis » (Act. XVIII, 24 s.) et in synagoga « docebat diligenter ea quæ sunt Jesu, sciens tantum baptisma Joannis ».

Immerito tanquam « Joannis Baptistæ discipulus » habetur. Ipse ac « μαθηται » [1] de quibus Act. XIX, 1 sermo fit Jesum ut Messiam habebant, sed Joannis tantum baptisma acceperant, non vero baptizati erant « εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ » (XIX, 6) adeoque Spiritum Sanctum non « acceperant credentes » (XIX, 2). Quem Apollonem cùm audissent Priscilla et Aquila « ἀκριβέστερον αὐτῷ ἐξέθεντο τὴν ὁδὸν τοῦ Θεοῦ » — Paulo post ejus profectionem Paulus Ephesum reversus est, ibique illos imperfectos Christi discipulos invenit, eosque baptizavit « εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ καὶ ἐπιθέντος αὐτοῖς τοῦ Παύλου τὰς χεῖρας ἦλθε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπ' αὐτούς » (XIX, 5).

Ibidem Paulus difficilem atque laboriosum suscepit apostolatum (circiter a. 55). Prius in synagoga « cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans et suadens de regno Dei » (XIX, 8), deinde per biennium « quotidie disputabat in schola Tyranni cujusdam », « ità ut omnes qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Judæi atque gentiles ». Successit igitur Pauli prædicatio (cfr etiam Act. XIX, 11-21). — Multas tamen tribulationes Ephesi

---

[1] Id est « Christgläubigen » WEIZSÆCKER, *Ap. Zt.* p. 180 n. 1.

perpessus est Apostolus (I Cor. I, 8-9), multosque ibidem adversarios obviam habuit, ità ut ad Corinthios a. 58 (1) in fine igitur ephesinæ suæ commorationis scriberet « ostium enim mihi apertum est (Ephesi v. 8) magnum et evidens: et adversarii multi ». — Argentarii « quia non solum Ephesi, sed pene totius Asiæ Paulus hic suadens avertit multum turbam » tumultum concitarunt, quo sedato Paulus « vocatis discipulis et exhortatus eos, valedixit et profectus est ut iret Macedoniam » (Act. XIX, 23-20, 1). — Act. c.XVII Paulus « majores natu ecclesiæ » ephesinæ alloquens apostolatum suum ephesinum inter « Judæos atque gentiles » (v. 21) commemorat, et futuras tribulationes fidelium cœtui prædicit (vv. 29-30). Judæi asiatici a quibus repulsam passus fuerat (Act. XIX, 8, 9), Ephesini nempe (Act. XXI, 29) eum Hierosolymis invenerunt, ibique contra eum populum concitaverunt (Act. XXI, 27 ss.)

Juvat hìc etiam obiter animadvertere S. Pauli tempore quæstiones jam de Christologia aliasque agitatas fuisse in ecclesiis asiaticis, ut constat ex epistola ad Colossenses et epistola ad Ephesios. (2). Ità, si præcipua loca (Col. I, 13-20; II, 1-18. Eph. I præs. 19 ss. IV 17-24) simul considerentur, ex eis deducere licet:

1° S. Paulum christologiam quamdam impugnasse quæ inferiorem quemdam locum Christo assignabat, ac modo parum recto relationes Christum inter et creaturas, angelos præsertim, interpretabatur. Falsæ illæ opiniones juxta S. Paulum propagabantur « διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς

---

(1) Vel juxta plures a. 57; cfr Van Steenkiste, *S. Pauli epistolæ*, Brugis 1 p.

(2) Cfr Duchesne, *Les origines chrétiennes*, p, 40 ss. — H. Holtzmann, *Nt. Th.* II p. 225-258. — Weizsæcker, *Ap. Zt.* p. 541 ss. Quoad epp. *ad Phil.* et *ad Tit.* cfr spec. Comment. et Introd. in N. T. Errores in eis impugnatos nullam cum gnosticismo habere connexionem propugnavit Patritius *o. c.* p. 110 s. — Eamdem thesin defendit Zahn, *Einl.* I (1897) p. 398 ss.

ἀπάτης κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου καὶ οὐ κατὰ Χριστόν. »

2° S. Paulum etiam contra tales præmunire qui apud Colossenses et Laodiceos judaicas quasdam observantias ciborum, festorum, neomeniarum aut sabbatorum introducere conabantur.

Locus non est de his studiis sive dogmaticis sive practicis speciatim inquirendi : cæteroquin quæ S. Paulus de eis tradit nimis brevia sunt quam ut cum debita certitudine aliquid statuere possimus. Impossibile præterea est doctrinam proprie *gnosticam* assignare quam in his epistolis S. Paulus jam impugnasset. (1)

Opportunum ducimus varia historica facta Ephesum vicinasque ecclesias respicientia breviter exponere, ut eo melius circumstantiæ delineentur in quibus quartum evangelium exaratum fuit.

Non solus Paulus ex Apostolis in Asia fidem prædicavit: prima enim Petri epistola « electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ et Bithyniæ » scripta fuit. Ut suprà vidimus, antiqua traditio cujus Polycrates Ephesi episcopus et Papias testes existunt, Philippum Asiæ Apostolum nominat.

Quid autem communitatibus illis asiaticis advenerit tempore Pauli mortem proxime insequente nescimus. De pluribus illorum fatis sæculo primo exeunte in Apocalypsi certiores reddimur. Etenim septem ecclesiæ quibus Apocalypsis scripta fuit, septem communitates sunt Asiæ proconsularis in cujus Metropoli, Epheso scilicet, Paulus Judæis et gentilibus fidem prædicavit, quæque primæ nominantur. Septem illæ epistolæ (C. II et III) introductoriæ

(1) Cfr. Duchesne *l. c.* « Cependant ces intermédiaires (les anges) entre Dieu et le monde, ces distinctions d'aliments, ces humiliations de la chair sont des traits qui permettent de rattacher aux gnoses judaïsantes que nous verrons bientôt apparaître, les fausses doctrines que S. Paul dut extirper de l'église de Colosses. »

religiosum illarum ecclesiarum statum depingunt, nec inutile erit hîc etiam illum breviter recolere. Quædam præsertim adjuncta attentione nostra digna videntur. Ità ephesina ecclesia, quæ tamen « charitatem primam reliquit », laudatur quia « tentavit eos qui se dicunt apostolos esse et non sunt », et « odit facta Nicolaitarum » (1) quorum doctrina Thyatiræ et Pergami celebrabatur, quæque tria elementa complexisse videtur: « fornicationem » (πορνεύσαι), « idolothytorum manducationem » (φαγεῖν εἰδωλόθυτα) atque « altitudines satanæ » (τὰ βαθέα τοῦ σατανᾶ). — Doctrina illa etiam doctrina Balaam (II, 14) vocatur, et Thyatiræ a falsa prophetissa Jesabel prædicabatur (II, 20). — In pluribus ecclesiis prior fervor jam remissus evaserat. — Ecclesia smyrnensis et Philadelphiæ tribulationes a parte Judæorum sustinuerant, dum Pergami christiani passi erant persecutionem ab ethnicis probabiliter illatam et in qua Antipas martyrio occubuit. Generatim igitur loquendo iidem adversarii occurrebant Apocalypseos tempore qui Paulo vivente, in Asia proconsulari contra christianos dimicabant: communitates illæ mediis in tribulationibus adoleverant (2), sed propter internas difficultates externaque pericula exhortatione indigebant. Tùm adversus Judæos, tùm adversus gentiles præmuniendi erant Asiæ proconsularis christiani. Nec judaicum elementum ullo modo spernendum erat. Etenim plures primi sæculi scriptores inter quos Josephus et Philo testantur (3) multos Judæos tunc temporis in Asia degisse. — Edicta romana in Judæorum favorem lata (4) totaque S. Pauli historia prout nobis ex ejus epi-

---

(1) De Nicolaïtis cfr. Duchesne, *Les orig. chrét.* p. 48 ss. — Kunze, *o. c.* p. 17 s.

(2) Unde, attentis his solis internis criteriis, parum probabilis apparet sententia Apocalypsin a. circiter 66 exaratam editamque fuisse.

(3) Philo v. g. *Legat. ad Caj.* 833, ait: « Ἰουδαῖοι καθ' ἑκάστην πόλιν εἰσὶ παμπληθεῖς Ἀσίας τε καὶ Συρίας ». — Cfr E. Schürer: *Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi.* Leipzig, 1886, II, p. 493 ss.

(4) Cfr Jos. *Ant.* XIV, 10; XVI, 6.

stolis atque Apostolorum Actibus innotescit, nobis revelant quanta fuerit tunc temporis in urbibus Asiæ diaspora judaica. Communitates judaicæ dispersionis synagogas suas habebant in quas singulis sabbatis conveniebant, officiaque liturgica græco idiomate celebrabant (1). Ergo præcise communitates per quas christianæ religioni prædicandæ prius aditus patebat, brevi post novæ doctrinæ propagandæ impedimento erant, dum ipsa synagogarum existentia et judaïcæ fidei servandæ adminiculum et christianæ doctrinæ perpetuum corruptionis periculum existebat. Difficultates illas persecutionesque quas e Judæorum parte S. Paulus expertus erat, etiam Joannis ephesini tempore perseverabant.

Sæculo primo exeunte, alius insuper idearum influxus in Asia provincia vigebat, atque in dies invalescebat, influxus nempe alexandrinensis philosophiæ, ad quam statim gressum facimus.

---

(1) Cfr Schürer *l. c.* — Dantur tamen exempla simultanei tum hebraicæ tum græcæ linguæ usus pro Sacræ Scripturæ lectione. Animadvertit Schürer (p. 544): « Wenn man aber bedenkt, wie z. B. dem Apostel Pls das A. T. nur in der griechischen Uebersetzung geläufig ist, so wird man einen solchen concurrirenden Gebrauch des hebraischen und griechischen Textes für die Apostolische Zeit nicht wahrscheinlich finden können ».

ARTICULUS II

DE ALEXANDRINA THEOSOPHIA PHILONIS [1]

Communitates judaicæ in Ægypto, Syria, Asia Minori et Græcia [2] dispersæ cito hellenisticæ culturæ influxum, nonobstante synagogarum institutione, vi socialis commercii patiebantur; dum vicissim populi inter quos degebant Judæi horum religiosæ traditionis participes fiebant, imo judaïcæ religioni gentiles plures sive totaliter sive partim aggregabantur, atque in dies major proselytismi zelus fervebat.

Nullibi tamen idearum religiosarum mutua illa communicatio tantas egit radices ac in Ægypto, in specie Alexandriæ, tùm quia magna illa civitas græcarum de rebus theologicis philosophicisque speculationum quasi centrum erat, tum etiam quia hujus civitatis coloniæ judaicæ, jam ante Alexandrum magnum fundatæ, magnum sub hoc principe incrementum acceperant atque in dies creverant [3].

Mutuum illum influxum in omnibus ejus manifestationibus prosequi ad nos non spectat, ideoque qui illas perscru-

---

(1) Cfr. Gfrörer : *Das Jahrh. des Heils*, 1838. — Parthey, *Das Alexand. Museum*, 1838. — Matter, *Histoire de l'école d'Alexandrie*, 1840. — Dœllinger, *Paganisme et Judaisme*, Bruxelles 1858. — Bigg, *The platonists of Alexandria*, 1866. — E. Schürer, *Geschichte des jüd. Volkes.* p. 493 ss. 694-884. — Siegfried : *Philo von Alexandria*, 1875. — Momssen, *Römische Geschichte*, t. V. — Zeller, *Die Philosophie der Griechen* III, 2, 3ª édit. — Hatch, *Griechentum und Christentum, passim.* — J. Holtzmann, *Theol. des N. T.* 1897 p. 85 ss. — Harnack, *D. G.* 1896 *passim.* — Corluy, *Comment. in ev. S. Jo.* p. 24 ss. — Knabenbauer, *Comment. in ev. sec. Jo.* p. 66 ss.

(2) Cfr. v. g. *Act.* XVII, 1, 10 ; XVIII, 4, 7 etc.

(3) Teste Philone (*Leg. ad Cj.* 8, 20) in omnibus Alexandriæ partibus Synagogæ erant. — Post Christum natum magna Alexandriæ inhabitantium pars judaïca erat. Cfr. Schürer *l. c.*

tari cupit specialia hac de re opera adire debet. Animadvertere tamen liceat, — sepositis aliis cognitionis atque culturæ campis in quibus reciprocus ille influxus formalis potius quam realis deprehenditur, — mutuam dependentiam græcæ philosophiæ atque theologiæ judaïcæ ab invicem, vere realem atque substantialem fuisse, ut infrà ex generalibus alexandrinæ theologiæ characteribus Philonisque præsertim exemplo patebit.

Ad hanc commixtionem doctrinalem consummandam non solum Judæorum in Alexandria civitate commoratio, verum etiam plures aliæ causæ contulerunt. Quosdam enim tunc temporis Judæi dispersionis eximios nacti sunt scriptores, qui monotheismo a patribus accepto summo conatu adhærentes, omnes suas vires in hunc intenderunt scopum, ut traditionalem illum monotheismum cum græca philosophia non sine ingenti labore conciliarent. Impellebant insuper Judæos ethnicorum objectiones contra religionem atque cultum nationalem motas refellendi zelus, studium magnatum favorem acquirendi, ipseque proselytismi spiritus, quo Judæi eruditi ciebantur ut doctrinam suam atque historiam, leges atque messianicas prophetias modo græcis concivibus adaptato exponerent.

Ex his jam intelligitur quomodo methodus judæo-alexandrina necessario *eclectica* atque *allegorica* evaserit. Etenim ex variis philosophicis doctrinis a Platone olim atque ab Aristotele, a Stoicis atque a Pythagoricis prolatis, eas in sui systematis subsidium assumpserunt scriptores quæ cum doctrina ac lege Judaica modo magis obvio conciliari poterant. Platonis idealismi systema atque Stoicorum ethica præsertim usuveniebant. Eclectismum illum ab Aristobulo (c. 170-150 a.) jam usitatum (1) apud Philonem imprimis videre est.

---

(1) Zeller, *o. c.* p. 257 « Aristobulus kennt und citiert ausdrücklich die griechische Philosophen Pythagoras, Sokrates, Plato, und ist mit ihren Anschauungen wie ein Fachmann vertraut. »

E studio illo judaicam religionem cum græca philosophia conciliandi, orta est methodus vetus Testamentum allegorico modo interpretandi. Etenim quidquid a græcis philosophis accipiebant Judæi in Moysem ipsum tanquam in fontem reducere conabantur, ità ut alexandrinus judaismus quodammodo privatam suam et nationalem indolem amitteret, et sensim sine sensu extrinseca elementa acquireret. Vetus Testamentum tanquam omnium veritatum, etiam rationalium, fontem atque normam habebant. Quæ allegorico-exegetica methodus tamen a Philone non fuit creata : Stoici illam antea græcis mythis applicaverant, eique Aristobulus etiam præierat (1). Nihilominus Philo primus hujus methodi invexit systema quoddam generale ; primus duplicem sensum, verbalem nempe atque allegoricum, clare distinxit, atque novæ methodi usum variis suis scriptis vulgavit. Doctrina judæo-alexandrina, cujus vestigia jamdiu ante Philonem deprehendimus, in Philonis operibus determinatas regulas nacta est, atque ab hujus scriptoris tempore magnum in philosophicum theologicumque campum obtinuit influxum. (2)

Philo igitur in Hellenismo cum Judaismo conciliando jure merito princeps reputatur. Primus verum judæo-hellenisticum systema invexit, totumque dogmatum comple-

---

(1) Cfr. Siegfried *o. c.* p. 26, 161 — Cfr. etiam Hatch *o. c.* p. 42 ss. — p. 48 « Aristobulus behauptet in einer Schrift die er an Ptölemäus Philometor gerichtet haben soll, dass sofern die mosaischen Schriften ausserhalb der Sphäre der Philosophie liegen, die griechischen Philosophen ihre Philosophie aus ihnen geschöpft haben. »

(2) Si nomine philosophiæ judæo-alexandrinæ quivis judaicæ theologiæ cum græca philosophia contactus intelligatur, talis jam ante annum 150 a. Ch. apparet. — Si vero interna criteria attendantur quibus Philonis doctrina ab antiquiori græca philosophia distinguitur, et propria methodo quæstiones de Deo ac de mundo aspectabili deque entibus intermediis tunc temporis agitatas solvere conatur, judæo-alexandrinæ philosophiæ origini posterius tempus assignandum est. Cfr. Zeller, *o. c.* p. 254.

xum ope scientiæ philosophicæ penetrare tentavit. (1) Juxta Philonem, sacræ Hebræorum Scripturæ omnem omnino continent scientiam (2), a quocumque immunes sunt errore, absoluta auctoritate gaudent, nec alius cognitionis fons desideratur. Hoc tamen non impedit quominus in ejus doctrina ingens deprehendatur influxus græcæ philosophiæ, summamque et Philo erga græcos scriptores professus sit venerationem. Sed, ut ait Zeller (o. c. p. 146), quo majori æstimatione Philo græcam scientiam prosequebatur, eo magis hujus cum judaismo conciliationem intendebat. Quem in finem sapientiam græcam ex judaica relatione ortam esse contendebat, et veteris Testamenti libros allegorico modo interpretabatur, quin tamen necessario litteralem sensum repudiaret.

Philonis systema judæo-hellenisticum ope istius methodi constructum, apud suprà citatos auctores videre est (3) : nos tantum elementa essentialia quædam trademus, tùm ut judæo-alexandrinæ philosophiæ character generalis adumbretur, tum ut clarescat « Verbi » notio, quam plures auctores rationalistæ a Philone mutuatam præpostere contendunt.

Idea fundamentalis apud Philonem esse videtur platonica dualistica scilicet de oppositione Deum inter et mundum, seu elementum spirituale inter et materiale. Deum Philo, ut Neopythagorici, duplici via describit negatione nempe et affirmatione ; negatione scilicet quatenus nullum attributum finitum divinam perfectionem, ejus infinitatem ejusque supra rerum universalitatem transcendentiam adæ-

---

(1) De Philonis systemate cfr. Zeller, *o. c.* et Siegfried, *o. c.* — Cfr. etiam Harnack, *D. G.* I p. 111 ss., 118 ss. — Schürer, *G. J. V.* I p. 866. — Nicolas, *R. H. R.* V. p. 318-339 : VII p. 145-164 ; VIII p. 468-488, 582-602 ; 756-772.

(2) *De Mundi opif.* 2 « Μωυσῆς δὲ καὶ φιλοσοφίας ἐπ' αὐτὴν φθάσας ἀκρότητα καὶ χρησμοῖς τὰ πολλὰ καὶ συνεκτικώτατα τῶν τῆς φύσεως ἀναδιδαχθείς. »

(3) Cfr. præsertim Zeller, *o. c.* p. 353 ss. — Siegfried, *o. c* 198 ss.

quate exprimere valeat (1). Negativæ illæ determinationes in hoc tendunt ut differentiæ Deum inter et mundum materialem distinctius appareant. — Quatenus quodcumque prædicatum Deo inferius est, Philo — in hoc a veteri Testamento recedens — Deum absque proprietatibus (ἄποιος) esse ducit, ac consequenter absque nomine (ἄρρητος) et incomprehensibilem (ἀκατάληπτος) eum prædicat. Sæpe inculcat nos tantum intelligere *Deum esse,* non vero *quid Deus sit.* « Esse » igitur unicum prædicatum est quod proprio sensu ei tribui possit, nomen « ejus qui est » seu Jehovæ, unicum est quod Dei essentiam et non tantum operationem quandam seu potentiam designet, ità ut dici possit: non nomen proprie dictum sed tantum « esse » Deo convenire (2).

Sed, ut optime notat Zeller (3), in hac mera negatione stare non poterat Philo, cum hæc negativa theologia ex eo tantum orta sit, quod omnia prædicata imperfectiora duxerit quam ut perfectionem divinam exprimere valeant. In ipsa enim hac negatione affirmatio quædam perfectionis, licet indeterminata et generalis, atque idea etiam transcendentiæ includitur. Unde et Deum describit ut ens omnia transcendens omnemque realitatem et perfectionem in se includens omnisque beatitudinis exemplar. Deum exhibet ut ens absolute beatum et perfectum, quod etiam universitatis rerum sit mens seu intelligentia : « ... τὸν τῶν ὅλων νοῦν τὸν Θεὸν » (4). Sicut soli Deo « esse » sensu proprio acceptum competit, ità et « agere », dum rerum creatarum proprium est pati (5). — Unde et Deum omnium rerum causam supremam prædicat (6).

---

(1) Cfr. ZELLER, *o. c.* p. 354-355.

(2) *De Vita Mosis* I, 14 ; II, 42 : « ἐγὼ εἰμὶ ὁ ὤν ἵνα... προσαναδιδαχθῶσιν ὡς οὐδὲν ὄνομα ἐπ' ἐμοῦ τὸ παράπαν κυριολογεῖται ᾧ μόνῳ πρόσεστι τὸ εἶναι. »

(3) *O. c.* p. 356.

(4) *Migr. Abrah.* 4.

(5) *De Cherub.* 121 ; *de mundi opif.* 2.

(6) *L. Alleg.* 62.

Quo magis autem transcendentia divina extollebatur, eo imperfectior et pejor materia (quam præexistentem putabat Philo), apparebat. Quamvis tamen sæpe ens divinum modo Stoicorum tanquam in mundo agens sibi fingeret, in mente ejus prævalebat tamen Platonicorum adversus materiam repugnantia. Inde devenit ad quamcumque immediatam relationem Dei erga materiam negandam. Ejusmodi repugnantiam nequaquam docebant veteris Testamenti scripta, quorum de mundi opificio doctrinam servare cum vellet Philo, philosophicam scientiam iterùm in subsidium vocavit.

Imprimis doctrina Stoicorum intermedia entia, λόγοι nempe, tanquam virtutes seu causas agentes ei præbebat, cui theoriæ thesin adjunxit Platonis de ideis exemplaribus (cum hujus de anima mundi doctrina connexam). Entia illa intermedia, a græcis philosophis derivata, angelis bonis et malis Judæorum annectere conabatur. Cùm autem ante omnia actionem Dei in mundo sensibili a sacra Hebræorum Scriptura toties propositam probare vellet, magis presse Stoicos quam Platonem in hac materia secutus est : ideæ platonicæ seu ideæ exemplares mundi sensibilis nimis abstractæ nec satis actuosæ videbantur ad rerum effectionem explicandam : cui fini attingendo Stoicorum doctrina aptior apparebat, quippe quæ præbebat mentem divinam in rerum universitate diffusam, et virtutes ab ente causante exeuntes, resque omnes penetrantes et vivificantes. Virtutes illæ activæ nihil aliud sunt quam λόγος σπερματικὸς Stoicorum. Ità Philo entia spiritualia Deum inter et materiam mediantia excogitavit, quæ tanquam a Deo in mundum sensibilem exeuntia, ut personales-impersonales virtutes cogitandæ sunt (1), et ut causæ exemplares simul et actuosæ reputandæ apparent.

Sedulo tamen notandum est, ut Zeller (l. c.) animadvertit,

---

(1) Cfr. Harnack, *D. G.* I p. 106. — De his onmibus cfr. Zeller, *l. c.* ubi etiam creatio juxta Philonem exponitur.

horum entium intermediorum characterem personalem indeterminatum omnino esse ac incertum : doctrina religiosa enim Philoni suggerebat ut personæ speciem eis tribueret, philosophica autem doctrina ut impersonalia ea diceret illum inclinabat : utrumque characterem — contradictorium (1) — Philo inscius conjunxit.

Duas virtutes seu potentias Philo posuit supremas : Bonitatem scilicet et Potentiam. Tertiam autem fundamentalem potentiam statuit, quæ ambas priores conjungit ac inter utramque mediatrix existit, *Logos* (2) nempe de quo statim agendum.

---

(1) Zeller, *o. c.* p. 365 « Er verknüpft beide Bestimmungen ohne ihren Widerspruch zu bemerken, ja er kann ihn gar nicht bemerken, weil sonst sofort die Vermittlersrolle verloren gienge, vermöge deren sie einerseits mit Gott identisch sein müssen, damit dem Endlichen durch sie eine Theilname an der Gottheit möglich werde, andererseits von ihm verschieden damit die Gottheit trotz dieser Theilnahme ausser alle Berührung mit der Welt bleibe. »

(2) Siegfried *o. c.* p. 224. « Man hat darüber gestritten, ob diese (die beiden göttlichen Grundkräfte) oder der Logos das Ursprüngliche seien, ob sie den Logos erst bilden oder ob der Logos sie aus sich hervorgehen lasse. In Wahrheit findet sich beides bei Philo. »

ARTICULUS III

Ὁ Λόγος apud Philonem [1]

Nomen ὁ λόγος ab Heraclito et Stoicis [2] antea usurpatum, deinde elementis platonicis judaicisque auctum, usurpatur a Philone ad designanda entia Deum inter et mundum mediantia, collective sumpta et tanquam unicum ens spectata.

Doctrina Philonis de Verbo sicut generatim ejus doctrina de virtutibus illis intermediis parum accurata est et determinata, nec semper sibi constare videtur. Omnia quæ de intermediis potentiis apud Philonem affirmantur, potiori jure de *Logo* prædicantur, qui idcirco multiplicibus ac variis imo contradictoriis attributis describitur [3]. Diverso modo exhibetur juxta varios quos induit respectus erga Deum scilicet, erga creaturas et in specie erga hominem. Relationes illas breviter exponemus ut quænam *Verbum* Joannis inter et *Verbum* Philonis intercedat cognatio clarius appareat.

1° Ὁ Λόγος respectu *Dei*. Locus præcipuus quem Philo sæpe invocat ubi de Verbi erga Deum relatione agit est

---

[1] Cfr. præsertim : Zeller, *o. c.* — Siegfried, *o. c.* p. 219 ss. — J. Réville. *La doctrine du Logos dans le 4e Evangile et dans les œuvres de Philon.* Paris, 1881. — A Heinze. *Die Lehre vom Logos in der griechischen Philosophie*, 1872. — Pfleiderer. *Das Urchristenthum etc.* 1887, p. 696 ss. — Döllinger. *Paganisme et Judaïsme* IV p. 255 ss. — Matter. *Histoire de l'école d'Alexandrie*, III p. 189 ss. — Hatch. *Griechentum und Christentum.* p. 133-138. — Schürer. *G. J. V.* II p. 877 ss. — Thoma. *Die Genesis des Johannesevangeliums.* Berlin. 1882, p. II ss ; 32 ss. — A. Aal. *Der Logos, I, Geschichte der Logosidee in der griechischen Philosophie*, 1896.

[2] Origo nominis apud Hatch, *Griech. und Christ.* p. 129 ss. videatur.

[3] Cfr Zeller *o. c.* p. 371. — Hatch *o. c.* p. 183 ss. — Harnack *D. G.* I, p. 106.

Gen. I, 27 : « ἐποιησεν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα τοῦ Θεοῦ ». Animadvertit hunc locum non posse verti « fecit Deus hominem imaginem suam », quippe quæ versio εἰκονα loco κατ' εἰκόνα postularet. Sequitur inde dari imaginem Dei (εἰκων, ἀπεικόνισμα) quæ rursus pro aliis rebus exemplar (παράδειγμα), vel juxta Platonicos vocatur ἰδέα ἰδεῶν, ἀρχέτυπος ἰδέα, ἀρχέτυπον, et in quantum rebus imprimitur σφραγίς, χαρακτήρ appellatur. — Præterea nominatur σκία Θεοῦ, ἡ περὶ Θεὸν δόξα, ὁ Θεὸς ὁ ὀφθείς... ἐν τόπῳ Θεοῦ, ὁ νοητὸς οἶκος Θεοῦ (1). — Computatur *Verbum* inter ea quæ facta sunt (2); aliquando vero ut identicum cum divina sapientia exhibetur (3); alibi iterum ab illa sapientia tanquam a matre distinguitur, Dei filius primogenitus (4), imo Deus vocatur, ast uti videtur sensu improprio vel Deus secundus (5).

Unde cujusdam inconstantiæ Philo arguendus videtur, quæ eadem inconstantia et cunctatio reperitur ubi de relatione Verbi ad virtutes seu principia divina tractat: plures textus caput et ducem harum virtutum exhibent Verbum, quod alibi ut illarum omnium complexus et summa apparet (6).

2° Ὁ Λόγος respectu *creaturarum* vim exemplarem et virtutem habet efficientem: quemadmodum Deus exemplar et imago est τοῦ Λόγου, ità vicissim ὁ Λόγος omnium rerum exemplar existit et mensura. Ex alia parte Verbo virtus producens et conservans tribuitur: juxta *Gen.* c. I, Verbum tanquam creationis ὄργανον apparet; insuper induit mundum ut vestimentum, fundamentum est mundi, catena est omnia creata religans et continens. Ità *De Prof.* 20: « ὁ τοῦ

(1) Cfr. SIEGFRIED, *o. c.* p. 224 et vide loca ibidem adducta.

(2) *L. Alleg.* 93 « πρεσβύτατος καὶ γενικώτατος τῶν ὅσα γέγονε. »

(3) *L. Alleg.* 52 « ἐκ τῆς Ἐδὲμ τοῦ Θεοῦ σοφίας, ἡ δέ ἐστιν ὁ Θεοῦ λόγος. »

(4) *Conf. ling.* 341 : « τὸν πρωτόγονον αὐτοῦ λόγον. »

(5) *De Somn.* 599. Cfr. ZELLER, *o. c.* p. 375 n. 1.

(6) Cfr. SIEGFRIED, *o. c.* p. 224 ss.

ὄντος λόγος δέσμὸς ὢν τῶν ἁπάντων, καὶ συνέχει τὰ μέρη πάντα καὶ σφίγγει καὶ κωλύει αὐτὰ διαλύεσθαι καὶ διαρτᾶσθαι ». De utroque respectu simul, nempe de idea exemplari et de virtute effectiva cogitat Philo quando verbum « ὁ λόγος τομεὺς » appellat, quo nempe Deus materiales res in principia sua ultima constitutiva dividit, et in spiritualibus rebus omnia discernit (1).

3° Respectu *hominis*. Ὁ Λόγος exemplar est hominis ut immediate suprà vidimus, qui homo idcirco ἀπεικόνισμα, μίμημα τοῦ λόγου appellatur, quæ similitudo secundum mentem (νοῦς) humanam attenditur (*De opif. m.* 48). — Ut Siegfried notat (*o. c.* p. 227 s.), sub hoc respectu etiam λόγος τομεύς vocatur, quatenus scilicet Deum inter et homines medium existit, neque ut Deus increatus, neque ut homo creatus (*Quis rer. divin. haer.* 42). — Exhibetur ut veritatis et sapientiæ dispensator qui ut *manna* animam sapientis nutrit eamque tanquam *sol* illuminat (2); ex alia parte depingitur etiam ut virtutis fons et roborator, ut virtus divina animæ immanens (3).

Maximi momenti quæstio fit utrum nempe Philo « Verbum » conceperit tanquam « personam » a Deo distinctam, scil. ut « subsistentiam. »

Longam et solidam omnino hac de re disquisitionem Gfrörer instituit (*o. c.* I p. 243-327) ejusque conclusio fere cum illa coïncidit quam Zeller (*o. c.* p. 378 ss) tradit: uterque nempe summam indeterminationem in hac materia apud Philonem deprehendit, ità ut sive affirmetur, sive negetur Philonem « Verbum » tanquam hypostasin concepisse, magnas in difficultates incidendum sit (4). — Eorum autem conclusionem breviter tradamus.

---

(1) *Quis rer. div. hær.* 34. Cfr. Gfrörer, *o. c.* I p. 187 s.

(2) *Leg. alleg.* II, 21 ; III, 61. — *De somn.* I, 15, 19.

(3) Loca videsis apud Gfrörer, *o. c.* I p. 200 ss.

(4) Cfr. etiam J. Réville, *o. c.*, et opus ejusdem auctoris: « *Le Logos d'après Philon d'Alexandrie.* » 1877, p. 53 ss. 73 ss.

Ex una parte, ut brevis expositio suprà tradita satis ostendit, innumeri apud Philonem occurrunt textus, qui contra characterem hypostaticum Verbi faciunt. Etenim in quantum Platonis et Stoicorum doctrinam premit, impossibile est ut ea quæ de Verbo exponit cum charactere ejus personali conciliemus. Nam Verbum Philo expresse depingit ut proprietatem Dei, eamque ut a Deo indistinctam exhibet. — Ex alia tamen parte plures Verbi determinationes pluraque attributa et prosopopœiæ Verbum tanquam personam distinctam proponere videntur: Ὁ Λόγος enim juxta Philonem est *filius* Patris, universi creati *primogenitus, imago* Patris, mundi *creator, mediator* Deum inter et homines, *archangelus, summus sacerdos, secundus Deus,* et *rector universi* positus a Deo ; *mediator* qui, teste populi Judaici historia, sæpe apparuit. (1)

Sane omnes illæ prosopopœiæ et attributa Verbum Philonis judicio personam fuisse manifeste probarent, nisi tot aliæ suprà memoratæ locutiones exstarent quæ contradictoriæ sententiæ favent; nisi insuper in istis prosopopœis evolvendis talia occurrerent attributa quæ hypostaticæ Verbi naturæ contradicunt. Hæc abunde sufficere possunt ut aperta, in quam Philo inscius incidit, contradictio manifestetur.

Hujus tam flagrantis contradictionis possibilitas vario modo explicatur. Ità Zeller (*o. c.* V p. 380 s) tenet hanc contradictionem oriri ex ipsa systematis natura, quatenus nempe antinomiam Philo ponebat Deum inter et materiam, hancque nimis indignam pravamque ducebat quam ut a summo Deo immediate attingeretur. Necessario ens aliquod intermedium admittere cogebatur, quod nimirum ad indignitatem vitandam ab utroque termino discretum esset,

---

(1) Alias personificationes apud Gfrörer, *l. c.* invenire est. Verbum e. g. ens divinum est quod Moysi in rubo ardenti apparuit, vindictæ angelus qui Sodomam et Gomorrham destruxit, columna quæ populum Israël in deserto duxit, etc. etc.

ad mediationem tamen possibilem reddendam cum utroque termino quodammodo esset identicum; quod igitur simul et proprietas divina et virtus operativa in mundo foret. (1)

Gfrörer e contrario Philonem duo consociare voluisse elementa autumat sibi invicem repugnantia, quæ ambo illius temporis theosophia ei præbebat : doctrinam nempe de Verbo hypostatico jam ante ipsum cognitam (2), Platonisque doctrinam in Mosaicam religionem jam introductam.

Huic autem sententiæ calculum adjicimus.

Quodsi ulterius quæratur quænam in doctrina τοῦ Λόγου elementa Philo apud græcos philosophos desumpserit, quænam vero deprompserit e mosaica religione, sequenti modo respondendum censemus.

1° Manifestam oppositionem materiam inter et Deum ex qua repugnantia mediatoris necessitas oritur, a Platonis philosophia mutuatus est (3).

2° Nomen ipsum « ὁ Λόγος » probabilius non e veteris

---

(1) J. Réville, *o. c.* p. 61 ss. putat Philonem, cùm logice ad theoriam emanationis devenire debuisset, personificationem manifestationi divinæ activitatis in mundo tribuisse. Qui concipiendi modus ei magis placebat et in confusione quam apud eum cernere licet, tamen prævalet utpote magis mediationis exigentiæ in suo systemate conveniens, etiam naturali ejus in prosopopœias tendentiæ et judaicæ de creatione notioni magis adaptata. — Conceptum personæ seu hypostaseos græcæ philosophiæ, alexandrinæ præsertim, ignotum putat.

(2) Cfr. etiam Harnack, *D. G.* I, 105 n. 2 : « Von höher Bedeutung ist die Thatsache dass schon vor Philo im Alexandrinischen Judenthum der Begriff der weltschöpferischen und auf die Menschen übergehenden *Weisheit* Gottes hypostasirt worden ist. (Sirach, Baruch, die Weisheit Salom., Henoch, ja selbst schon die Proverbien). »

(3) Errat igitur J. Réville, (*o. c.* p. 80 s). quando doctrinam illam tam judaïcam esse quam platonicam censet. Argumenta quæ profert probant quidem notionem mediatoris Deum inter et mundum in veteri Testamento haud ignotam fuisse, sed veteris Testamenti de creatione doctrina a Platonis theoria longe distat, et ista oppositio, quæ philonensis systematis radix est et fundamentum, nullibi in Mosaica religione apparet.

Testamenti scriptis ut quidam volunt, sed e græcâ philosophia acceptum ducimus (1).

3° Ut supra jam innuimus *ideas exemplares* e Platone (2), *virtutes activas* e stoicis philosophis desumpsit.

4° In Veteri Testamento (et in theologia judæo-alexandrina) sequentia doctrinæ capita invenit : revelationem divinam, angelorum existentiam et ministerium ; Sapientiam divinam (3), universitatis rerum per Verbum creationem, hujusque universitatis per ens intelligens summe bonum et personale gubernationem ; doctrinam de angelo Jehovæ (4).

---

(1) Etenim significatio quam vox ὁ λόγος in veteri Testamento obtinet (λόγος = verbum, locutio) apud Philonem minime fundamentalis in doctrina de Verbo apparet. — Juxta Siegfried, *o. c.* p. 219, res illa nullum dubium patitur. « Aber wenn es auch keinem Zweifel unterworfen ist, dass Philo den Namen Logos lediglich von den Stoikern entlehnt... » De his omnibus conferri possunt : Heinze. *Die Lehre vom Logos in der griechischen Philosophie,* 1872. — Siegfried, *o. c.* p. 219. — Zeller, *o. c.* I 607, V 382 ; 140-159 ; — Hatch, *o. c.* p. 129 ss, apud quos auctores variæ conceptus τοῦ Λόγου evolutiones describuntur.

(2) Notandum tamen, cum Heinze, *o. c.* p. 225, ideas exemplares apud Philonem non esse increatas ut apud Platonem, sed ab intellectu divino cogitante procedere.

(3) Cfr. Franzelin. *Tractatus de Deo Trino.* Romæ, 1881, p. 97 ss. 111 ss. Doctrina de sapientia divina Deo creanti assistente in ipso *Sapientiæ* et *Proverbiorum* libris proeminet et clare proponitur. — Cfr. *Prov.* c. VIII, 21-35 ubi sapientia « ab æterno ordinata, antequam quidquam Dominus faceret a principio » Domino universa creanti assistens describitur, et hominibus tanquam fons vitæ et salutis proponitur. Cfr. etiam c. IX. — Cfr. *Sap.* VII, 21, VIII, 7: ità VIII, 21: sapientia « omnium artifex » dicitur. Ità etiam VIII, 5 : « sapientia... quæ operatur omnia » et IX, 9 : « Et tecum sapientia, quæ novit opera tua, quæ et affuit tecum cum orbem terrarum faceres, et sciebat quid esset placitum oculis tuis, et quid directum in præceptis tuis ». Infrà (c. XII) exponitur etiam quomodo filios Israël per desertum deduxerit. — Sapientiæ divinæ conceptum ad Philonis « Verbum » constituendum multum contulisse satis apparet.

(4) In veteris Testamenti libris sæpe sermo fit de Maleac (Angelo) Jehovæ qui ceteris angelis longe superemineat, cui prædicata divinitatis

— Elementa illa biblica vetus synagoga tùm in Palæstina, tùm inter Judæos Dispersionis et Alexandriæ præsertim, excoluit: hìc autem imprimis theoria de *Memra* commemoranda venit (1).

Quibus expositis, patet jam magnum judaicæ doctrinæ influxum in Philonis de Verbo systemate invaluisse (2), ità ut Philo τὸν Λόγον mediatorem tanquam a Deo aliquo modo distinctum — licet non distincte ut hypostasin (quam notionem non habuisse videtur) — deducere potuisset, si doctrinam philosophicam ignorasset. Nonobstante usu græcæ philosophiæ judæus remansit quoad fidem, quoad mores legisque mosaicæ cultum: græca philosophia in ejus philosophandi modum potius et methodum influxum obtinuit; ope præsertim Platonis et Stoicorum doctrinæ, theoriam quamdam seu integrum de Logo systema forsan inscius ædificavit, eo ipso quod ostendere voluerit philosophiam græcam in Mosaica religione contineri.

Attamen, quod pro nostra materia omnino notatu dignum apparet, *de doctrina* τοῦ Λόγου *cum messianica idea coordinanda ne cogitavit quidem.*

---

tribuantur, qui Dei nomine loquatur, Dei æterni honorem sibi vindicet et ut Deus tractetur. » Corluy, *o. c.* p. 28 qui loca plura affert.

(1) In Targumim chaldaicis Onkelosi, Pseudojonathanis et Hierosolymitanis innumeris vicibus occurrit mentio cujusdam entis mediatoris Deum inter et homines, cujus opera Jehovah in mundo exteriori agit, et revelationes hominibus elargitur. Vocatur illud ens aliquando *Schekina* (habitatio), sed fere semper *Memra*, Verbum, (quod paraphrases optime distinguunt a *locutione* divina quam Pithgama vocant). Jam vero sæpissime paraphrases voci « Jehovah », quam textus hebræus habet, illa duo vocabula præsertim « Memra » substituunt. Scripta illa Philone quidem longe posteriora sunt, sed opera anteriora omnium judicio supponunt. Cfr. Corluy, *o. c.* p. 30.

(2) Contra Schürer, *o. c.* p. 866, et J. Réville, *o. c.* p. 83 : « Il faut reconnaître que dans la doctrine de Philon la quantité et la valeur des éléments grecs l'emportent sur celles des éléments juifs, surtout en ce qui concerne la détermination du Logos. »

ARTICULUS IV

Ὁ Λόγος APUD QUARTUM EVANGELISTAM.

Ut præcedentis circa Philonis de « Verbo » doctrinam disquisitionis utilitas, imo necessitas appareat, recolere sufficit quantum momentum omnes auctores quæstioni de origine τοῦ Λόγου in quarto evangelio tribuerint.

Etenim non pauci qui de quarti evangelii origine scripserunt, historicum hujus evangelii valorem vel etiam ejus originem apostolicam negarunt, inde præsertim moti fuere, quod non potuisset vitæ Christi testis oculatus evangelicam ejus prædicationem totamque ejus agendi rationem commutare in philosophicum quemdam tractatum, cujus principia e philosophia judæo-alexandrina profluxerint, cujusque fundamentum sit Logos philonicus in Prologo propositus. Thesis illa potius dogmatum historiam respicit. Attamen, propter connexionem quam cum quæstione de evangelii auctore habere dicitur, eam silentio præterire non possumus. Singularum doctrinarum a quarto evangelista

---

(1) *Singularum doctrinarum originem,* in specie alexandrinæ philosophiæ influxum interpretatio exegetica minutim examinare debet : generales tantum theses doctrinales hîc prosequi possumus. Cæteroquin etiam dato — quod pro momento intactum relinquimus — illo Alexandrinismi influxu, nondum statim a priori deduci potest nullum oculatum testem quartum evangelium scripsisse. Hæc deductio eo minus in casu fieri potest, quod plura auctor oculati sui testimonii tradere videtur indicia. Insuper etiam si alexandrinensis speculationis influxus admittendus foret, nemo non videt historicam Christi personam tanquam fundamentum historicum ab auctore assumi. Unde potius inquirendum utrum sub certis circumstantiis immediatus vitæ Christi testis, synopticorum notitia supposita atque etiam quoad certas partes ulterius evoluta, dogmaticam methodum ad determinatum scopum adhibere non potuerit, (cfr. XX, 31).

propositarum dogmaticum nexum et historicam originem inquirere, — ob fines intra quos dissertationem hanc includere debemus — non juvat. Nihilominus totalis hujus inquisitionis neglectus quarti evangelii auctorem inquirenti vitio verti posset, cum doctrina religiosa et philosophica alicujus libri ad ejus scriptorem manifestandum conducere debeat. Unde tribus distinctis paragraphis agemus:

§ I. De Verbo in quarto evangelio.

§ II. De Prologi ad reliquum evangelium relatione.

§ III. De auctoris erga judaismum habitudine.

PARAGRAPHUS I

Ὁ Λόγος IN QUARTO EVANGELIO.

Quæstio de hujus doctrinæ origine in quarto evangelio inter auctores acatholicos acriter adhuc disputatur.

Plures inveniuntur scriptores qui joanneum Logon prout in evangelii prologo apparet, a Philonis doctrina ortum esse censent : ità inter auctores quos consuluimus sequentes enumerari possunt : Dähne, Gfrörer, Baur, Zeller, Siegfried, Kuenen, Mangold, Thoma, Pfleiderer, Hilgenfeld, J. Réville, Weizsäcker et H. Holtzmann (1). Indirectum saltem alexandrinismi influxum Schanz inter catholicos admittit.

Negant e contra Hölemann, Vacherot, Luthardt, Ritschl, Schmidt, Astié, Nicolas, Godet, Bleek, Weiss, Harnack et auctores catholici communiter (2).

---

(1) Cfr. H. HOLTZMANN. *Einl.* p. 444 ss. — ID. *Lehrbuch der neutestl. Theologie* II p. 368 ss. p. 371 n. 1 ubi multi alii auctores recensentur.

(2) Quæstio hæc peculiaris de origine τοῦ Λόγου in quarto evangelio apud citatos auctores plerumque cum generaliori de hellenismi in primævum christianismum influxu cohæret eademque cum intensione, imo acrius disputatur. Ità HATCH, (quem plures alii, inter quos

Jam vero, attentis quæ supra de Philonis doctrina tradidimus, attentis etiam quæ in quarto evangelio in prologo præsertim habentur, duabus sequentibus thesibus sententiam nostram contrahimus. (1)

1ª **Thesis :** Speculationes judæo-alexandrinæ de ente Deum inter et homines mediatore, etiam in Asia Minori vigentes, quarto evangelistæ tum vocis « Λόγος » adhibendæ, tum prologi tradendi opportunitatem ostenderunt.

Imprimis extra omne dubium est auctorem vocabulum « ὁ Λόγος » optime notum supponere apud eos ad quos scribit, cum illud ter et cum emphasi, nulla addita interpretatione, usurpet. Vox illa in evangelii exordio posita ad theorias et speculationes alludere videtur quæ tunc temporis in Asia Minori vigebant : notionem cognitam auctor assumit ut omnium attentionem excitet huicque notioni propriam doctrinam annectet. Sed undenam asiatici christiani vocem illam « ὁ Λόγος » acceperant? Impossibile sane non videtur quominus auctor atque judæo-christiani eam e judaica doctrina hauserint, licet tamen etiam judaicæ de *Memra* theoriæ haud ignaris usus ille absolutus vocis « ὁ Λόγος » aliquatenus ænigmaticus videri poterat. At, non solos judæo-christianos alloquebatur, cùm judaicos

---

eminet Harnack, sequuntur) in celebri opere « *Griechentum und Christentum* » nullum omnino influxum fuisse græcæ philosophiæ in primævum christianismum contendunt. Hunc autem influxum Siegfried, Pfleiderer, Schürer, Thoma, Kuenen, Holtzmann, von der Goltz, aliique magnum fuisse decernunt. Cfr. H. Bois. *Le Dogme Grec*, Paris, 1893, p. 288 ss. Notari hîc tantum liceat christianismum primævum juxta Hatch solo sermone Christi in monte constitui, eumque auctorem contra critices regulas Actus apostolorum et paulinas epistolas silentio præterire.

(1) Cfr. præsertim, J. Réville, *o. c.* — Weizsæcker. *Ap. Zt.* p. 530 ss. — Harnack, *D. G.* I p. 93, 103 ss., 110. — Id. *Z. Th. K.* 1892 p. 189 ss. — H. Holtzmann, *Einl.* p. 444 ss. — Id. *Z. w. Th.* 1893 p. 385 ss. — Id. *Lehrbuch der neutestamentlichen Theologie* II p. 368 ss. — A. Loisy, *R. H. L. R.* II p. 43 ss. 141 ss. 249 ss.

usus atque voces sæpius sit interpretatus. Omnino igitur probabilius ducimus vocabulum ipsum e judæo-alexandrina philosophia, in Asiam Minorem transfusa, haustum fuisse, præsertim cùm in reliquis primi sæculi scriptis (1) vox illa non usuveniat.

Notioni philosophicæ incertæ atque christianæ doctrinæ periculum creanti Joannes christianum dogma annectit. Speculationes autem christologiæ periculosas tunc temporis in Asia provincia viguisse, si non ex ipso evangelio pateat, ex prima Joannis epistola probatur ut infrà videbimus. Tempore S. Pauli jam in iisdem ecclesiis, doctrinæ inferiorem quemdam locum Christo assignantes praveque definientes Christi ad creaturas relationes ortæ erant, et in quantum ex brevibus S. Pauli textibus concludi potest, speculationes quædam, fallacis philosophiæ nomine appellatæ, (Col. II, 8), jam tunc in Asia apparuerant. — Tempore autem quarti evangelii, scil. quinquaginta circiter annis post Philonis mortem, philosophiam judæo-alexandrinam in Asia Minori cognitam fuisse, certum omnino videtur. — Nec improbabile est theosophicas illas disputationes Joannis tempore agitatas cum propagatione cerinthianæ doctrinæ connexas fuisse. In fine enim sæculi primi gnosticus ille probabiliter ex Ægypto (2) oriundus doctrinas in prologo impugnatas in ipsa Asia docuit (3) : cujus

---

(1) Adhibetur quidem *Heb.* IV, 12, quin tamen omnimoda paritas cum nostro loco adsit, ut patet. Cfr. ZAHN, *Einl.* II p. 538. « Geschichtlich denkbar wäre, dass die hellenistische Spekulation, deren erster Vertreter für uns Philo ist, dem Apostel Jo schon in Jerusalem bekannt geworden wäre; denn es gab in Jerusalem eine Synagoge der Alexandriner und in der Muttergemeinde Hellenisten genug. Es können auch nach Ephesus alexandrinische Juden wie Apollos solche Ideen gebracht haben. »

(2) Cfr. HARVEY, *o. c.* I p. LXXI.

(3) Doctrinam Cerinthi suprà vidimus, cfr. p. 73 ss. Valde probabile est cerinthianam doctrinam de mundi creatione a Philone pendere, quæ de re cfr. SIEGFRIED, *o. c.* p. 341 s. — MATTER *o. c.* II, 2. p. 262.

hypotheseos fundata probabilitas non solum ex traditione confirmatur, verùm etiam ex prima Joannis epistola commendatur. Etenim initio hujus epistolæ auctor doctrinæ de Verbo insistit; jam vero hanc epistolam contra gnosticos Cerinthi errores polemice agere persuasum nobis est, et postea patebit.

Falsa igitur philosophia, contra quam Paulus jam Christi capitis et mediatoris dignitatem propugnaverat, magis invaluerat in Asia: Philonis speculationes circa τὸν Λόγον necnon gnosticæ doctrinæ dualisticæ etiam et entia Deum inter et mundum intermedia profitentes jam oriebantur. Illarum omnium speculationum centrum erat ὁ Λόγος (1). Unde varia illa indicia suo modo confirmant quod suprà ex solo vocis Λόγος usu deduximus, et quod jam Maldonatus aiebat: « Voluit ergo Joannes accommodate ad usum loqui, voluit intelligi » (2).

Longe igitur probabilius censemus ab alexandrina philosophia et græco-gnostica speculatione terminum illum « ὁ Λόγος » desumptum fuisse. Circa illum scientiæ philosophica tunc temporis irrequieta inquirebat, et quævis elementa sive philosophica sive religiosa, Philonis exemplo, in solutionis subsidium vocabat, ità ut apostolicæ de Christo doctrinæ periculum compararet. Hanc indeterminatam « τοῦ Λόγου » notionem a lectoribus optime notam quarti evangelii auctor assumit, eique substituit determinatum et distinctum conceptum religiosum: « τὸν Λόγον » nempe, quem frustrà philosophi quæsierant, cum Jesu Christi persona identicum docuit. Propositis autem prius

---

(1) Explicite hæc doctrina de Verbo proponebatur, implicite saltem in Cerinthi systemate apparebat: Ir. I 26, 1 : « γεγονέναι τὸν κόσμον... ὑπὸ δυνάμεως τινὸς κεχωρισμένης (καὶ ἀπεχούσης) τῆς ὑπὲρ τὰ ὅλα ἐξουσίας. Notatu dignum insuper videtur apud Joannem (quemadmodum ὁ λόγος apud Philonem et illa virtus creatrix apud Cerinthum) ὁ Λόγος sub triplici respectu considerari, relate scil. ad Deum, relate ad creatum mundum et relate ad homines.

(2) *Comment. in 4 Evv.* edit. Mogunt. 1874, II p. 381.

veris, juxta ipsum, Verbi attributis, ad identificationem illam v. 17 pervenit (1). Scopus in prologo intentus quasi impletus censetur, nec vox « ὁ Λόγος » deinceps in toto evangelio apparet, adeo ut recte dixerit Harnack (2) Verbi mentionem initio quarti evangelii non clavem esse, sed ænigma. Non enim juxta prologum evangelium est interpretandum, verùm juxta evangelium prologus explicandus.

2ª Thesis: ὁ Λόγος in quarto evangelio essentialiter et multiplici ratione differt a Λόγῳ Philonis.

Quartus enim evangelista sub triplici diverso respectu « Verbum » describit, et sub quovis respectu consideretur variæ eæque *essentiales* cum Philonis λόγῳ notandæ sunt differentiæ.

1º ὁ Λόγος *relate ad Deum* v. 1 et 2 : Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θέον, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος ».

Visibili modo alludens ad verbum Dei creans de quo initio Geneseos quæstio fit (3), ostendit Joannes Verbum ante omnes res creatas, id est ab æterno, apud Deum (seu quod dicitur v. 18 in sinu Patris) exstitisse tanquam personam divinam seu hypostasin distinctam, divinam habentem naturam (4).

---

(1) Cfr. Loisy, *R. H. L. R.* 1897 p. 261. « En introduisant le nom de Jésus-Christ, l'évangeliste touche au terme qu'il poursuivait depuis le commencement du prologue : l'identification expresse du Verbe éternel avec Jésus de Nazareth, le Messie. »

(2) *D. G.* I² p. 93 n. Cfr. *Z. Th. K.* 1892 p. 189 ss.

(3) Recte notat Loisy, *o. c.* p. 46 : « La doctrine du Verbe dans saint Jean est fondée en partie sur le récit genésiaque, dont elle donne pour ainsi dire le commentaire métaphysique. Les termes abstraits que l'on trouvera plus loin « la vie », « la lumière » ont un autre sens que dans le récit de la création ; mais ils s'y rattachent aussi à leur manière. »

(4) Θεός sine articulo scribitur, ne Verbum cum τῳ Θεῷ apud quem erat Verbum confunderetur : est nomen attributi divinam designans naturam. Apposite Lucas Brugensis, *Comment. in S. J. C. ev. sec. Jo.* Antverpiæ, Vermey : p. 8. « Articulus græce additus nomini Λόγος, non nomini Θεὸς, docet, Deus hac in propositione prædicati locum tenere, *Verbum* subjecti, et construendum esse : *Verbum erat Deus.* Nam

Statim ab initio conceptus novus a Philonis doctrina valde diversus, summa cum fiducia proponitur. Etenim doctrinæ græco-judaicæ Philonis examen nobis manifestavit τὸν Λόγον apud Philonem ens esse Deum inter et creaturas medians, maxime indeterminatum quoad naturam, elementis contradictoriis constitutum, et minime ut distinctam a Deo hypostasin cogitatum.

E contra ὁ Λόγος apud Joannem jam hic apparet ut hypostasis divina concreta et determinata existens a tota æternitate. Verba πρὸς τὸν Θέον personalem distinctionem haud obscure indicant: enuntiatur enim realis Verbi distinctio ab eo apud quem esse dicitur. Ad hanc autem personalitatem præ contradictoriis attributis quibus ejus λόγος conflatus erat, Philo nunquam pervenit neque pervenire poterat. Differentia hæc fundamentalis omnino dicenda est, eoque solo ad Deum respectu præ oculis habito jam verificari videtur quod Harnack fatetur : « ὁ Λόγος Joannis cum λογῳ Philonis nihil fere præter nomen commune habet. » Nec dicendum cum Holtzmann « Joannem alexandrinensem conceptum de *secundo Deo* assumpsisse ut ei formam vulgo accomodatam tribueret » (1). Nam, præterquam quod in aliis Novi Testamenti scriptis in S. Pauli epistolis modo clarissimo affirmetur ejusque præexistentia divina appareat liquido, conceptus ille alexandrinus de « secundo deo » maxime indeterminatus erat, cùm ὁ λόγος Philonis præter alias fluctuationes hanc indeterminationem involveret : utrum nempe deus esset vel creatura. Insuper, idipsum quod Holtzmann tanquam proprium de Jesu persona in quarto evangelio traditum affirmat, apparitio scil. divina (eine Gotteserscheinung *Jo.* XIV, 9), certissime a S. Paulo affirmatur (*Phil.* II, 6-11) (2). « Apparitio illa divina »

---

evangelista, elegantia quadam hebraici sermonis ductus, gaudet thesin subsequentem inchoare ab eo voce quæ fuerit postrema præcedentis, quemadmodum et in sequentibus. »

(1) *Lehrbuch der neutestl. Theol.* II p, 370 s.

(2) Cfr. LAGRANGE, *R. B.* 1897 p. 468 ss.

quam Holtzmann ut philosophiæ judæo-alexandrinæ fructum a Joanne excerptum exhibet, non ut terminus ejusmodi evolutionis est exhibendus. Factum illud concretum, Dei scil. in terris apparitionis, apostoli eorumque discipuli agnoverunt, et Christum ab initio Dei Filium appellarunt. Deum in terris se vidisse atque tetigisse testantur. Quod factum omnes illorum explicationes supponunt; et quemadmodum Christi Dei præexistentis imagines et typicas figuras in veteri Testamento detegunt, ità et philosophicis theoriis illud divinæ apparitionis factum pro opportunitate illustrant. Ità quarti evangelii auctor alexandrinæ philosophiæ vocabulum ab Asiatis christianis cognitum Christo applicat, et hoc modo quasi scientificam Christi definitionem tradit.

Philosophicam vocem Joannes in evangelium assumpsit : divinam autem « Verbi » hypostasin, consubstantialitatem atque æternitatem ignorabat Philonis philosophia. Quanta sit diversitas ex hoc triplici prædicato satis apparet (1).

2° Ὁ Λόγος *relate ad mundum creatum* v. 3 : « Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν ὃ γέγονεν (2). Affirmatur igitur Verbum divinum subsistens omnes omnino res factas creasse, quod per emphasin affirmativo et negativo modo elucidatur. Jam vero in hac erga creaturas relatione iterum Ὁ Λόγος Joannis discrepat a λόγῳ Philonis.

Etenim, imprimis Philo, irremeabilem oppositionem

---

(1) Revera fiduciam miramur quacum plures auctores *identitatem* doctrinæ quarti evangelii cum Philonis doctrina affirmant. Ità Kuenen, (*R. H. R.* 1883 T. VII p. 184). « La doctrine du Logos du quatrième évangile est essentiellement (!) celle de Philon. » — Rectius Weizsæcker. (*Ap. Zt.* p. 533 s.): « Die Annahme der Logoslehre ist nicht einfache Uebertragung, sondern eine Verarbeitung und Umgestaltung derselben, aus der jüdischen Philosophie geschöpft ist sie doch eine wesentlich neue Lehre auf christlichem Boden geworden. » Apud quem tamen auctorem non omnia circa hanc materiam tradita probare potuimus.

(2) Loisy, *R. H. L. R.* 1897, p. 49 ss. verba ὃ γέγονεν ad verba sequentia refert: ἐν αὐτῷ Ζωὴ ἦν et vertit: « Ce qui était, en *cela* était vie », quam interpretationem satis probabilem censemus.

Deum inter et materiam professus, Verbum tantummodo invocat ut mediatorem inter utrumque terminum. Quarti evangelii auctor e contra Deum exhibet directe et immediate in mundo operantem (1), ac Verbum juxta ipsum independenter et antecedenter ad mundi constitutionem (2) existit apud Deum Patrem. Præterea in dualistica Philonis doctrina supponitur materia præexistens, ità ut ὁ Λόγος proprie non sit rerum universitatis creator. Joannes e contrario momentum indicat quo erat Verbum et mundus nondum erat conditus; positive dein excludit materiam præexistentem dicendo omnia omnino sine ulla exceptione per Verbum existentiam consecuta esse.

3° Ὁ Λόγος *relate ad homines,* vv. 4-17. Cardinalis hîc etiam differentia notanda venit. Etenim plane impossibile fuisset ut ὁ λόγος Philonis carnem assumpsisset, propter auctoris dualismum et summam Dei adversus materiam antipathiam. Præterea etsi Philoni idea quædam vaga et incerta salutis (temporalis) per Messiam obtinendæ non videatur deneganda, nullibi tamen Logon cum Messia identificat, imo inter Logon et Messiam constanter distinguit (3). — Jamvero *Verbi* incarnationem ejusque cum Jesu Messia identificationem, elementa omnino essentialia esse in quarto evangelio, adeoque essentialiter « Verbum » Joannis differre a λογῳ Philonis nemo non videt (4).

Quibus omnibus perpensis, non immerito concluditur nihil fere præter nomen a Philonis *verbo* quarti evangelii auctorem mutuatum esse. Nec ullo modo in hoc evangelio recursus ad Philonem græcamque philoso-

---

(1) Cfr *Jo.* II, 16; V, 17; VI, 44; XIV, 16; XV, 1, 2 etc.

(2) Cfr *Jo.* XVII, 5, 24 « ὅτι ἀγάπησας με πρὸ καταβολῆς κόσμου ».

(3) Reuss ipse, *La théologie johannique* 1879 p. 110 ait : « Le *Logos* de Philon diffère notablement de celui de notre évangile... surtout en ce qu'il n'est mis dans aucun rapport ni avec l'idée messianique en général ni avec celle de l'incarnation en particulier. Or, ces derniers éléments sont sans contredit les plus essentiels dans l'évangile. »

(4) Cfr ipsum Réville, *o. c.* p. 17.

phiam ([1]) rationem reddere valet doctrinæ novæ quæ non est philosophicæ scientiæ fœtus. Neque factum historicum quod ei fundamento historico inservit *methodo* scientifica illius temporis explicatur. Assumpsit vocem illam « ὁ Λόγος » circa quam irrequieto motu alexandrina theosophia et syncretismus gnosticus scrutabantur, eamque cum historica Christi apparitione conferens, λόγον indeterminatum Alexandrinorum in viventem hypostasin mutavit et hac voce christianam doctrinam expressit.

Sane veteris Testamenti doctrina quæ totum Philonis systema cæteroqui permeabat, radices quasdam et figuras christiani Λόγου Joanni suppeditabat. Ità auctor ipse ad verbum Dei creans haud obscure alludit, ac materialem illam creationem « in principio » peractam tanquam typum spiritualis creationis a Verbo effectæ assumit. Attamen doctrina ista de Verbo creante nullo modo cum prologi doctrina identificatur, nec ullibi in veteri Testamento hypostasis tam distincte apparet.

Essentiali et fundamentali differentia sedulo notata quæ Philonis de « Verbo » doctrinam inter et quarti evangelii prologum viget, animadvertamus oportet non esse mirandum quoad plura secundaria et minoris momenti doctrinæ puncta convenientiam inveniri Philonem inter et Joannem. Etenim uterque auctor in judaica religione educatus erat, et licet magnus in Philonis systema græcæ philosophiæ influxus fuerit, supra tamen didicimus judaismi professionem speciatim in doctrina de « Verbo » apud alexandrinum philosophum permansisse.

Auctores qui quarti evangelii doctrinam penitus alexandrinam dicunt (ut Réville, Thoma, Pfleiderer et Holtzmann) ex una parte communem hanc Philonis et Joannis a judaica theologia dependentiam non satis animadvertisse

---

([1]) Cfr. HARNACK, *D. G.* I p. 93. « Die Verweisung auf Philo und Hellenismus reicht hier gar nicht aus da sie nicht einmal eine Aussenseite des Problems befriedigend erklärt. »

videntur, dum ex alia parte multum exaggerare coguntur in quarto evangelio fundamentale philonicum principium, oppositionem nempe Deum inter et mundum unde mediationis necessitas et character [1] exsurgunt.

Etenim ad oppositionem Deum inter et mundum physicum quod spectat, eam in evangelio nostro reperiri nemo serio contendet. Ad oppositionem in ordine morali [2] quod attinet, ejusmodi oppositio Deum inter et mundum *qua talem* seu oppositio *essentialis et radicalis* in quarto evangelio ostendi nequit; et si omnia alia indicia deficerent, solum factum incarnationis Verbi — a quo philosophia alexandrina abhorrere debebat — sufficientem præberet probationem. Quosdam tamen textus indicare liceat. « In propria venit et sui eum non receperunt »: verba hæc, ut ex versu præcedenti (v. 10) patet, « mundum » seu omnes homines (v. 7 et 9) tanquam Verbi dominium designant [3]. Ex alia parte mundus seu homines in tenebris versantur, non naturâ, sed quia « mundus Verbum non cognovit », quia « sui Verbum non receperunt ». Verbum enim est « lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ». Mundus non est essentialiter malus seu peccato deditus: ità ait Christus XVII, 15: « non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo » (cfr I, 29). Pater ipse mundum adducit ad Filium (VI, 37, 39). Citandus adhuc venit locus, XVII, 6: « Manifestavi nomen tuum hominibus *quos dedisti mihi de mundo: tui erant, et mihi eos dedisti*, et sermonem tuum servaverunt ».

Hæc jam sufficiant ut ostendatur in quarto evangelio

---

(1) Quod utrumque etiam e veteri Testamento repeti debet.

(2) Lux et tenebræ seu Deus et mundus.

(3) Contextus huic interpretationi favet. Cfr. Maldonatus *o. c.* II. p. 408. « Nec enim de eo titulo Joannes agebat, quo populus Judæorum proprius et peculiaris dicebatur, quod ab eo electus esset, quod legem et futuras Messiæ promissiones accepisset, sed de eo potius quo universus ommino mundus ejus erat, quia per ipsum erat factus. » (Cfr. Loisy, *R. B.* 1897 p. 149 s.) — Cfr. Lucas Brug. *o. c.* p. 145 s.

nullibi latere platonicum dualismum Deum inter et mundum, spiritum et materiam, a Philone reassumptum. Unde, brevi huic expositioni finem imponimus dicendo relationes Deum inter et mundum in quarto evangelio non eas esse quas apud Philonem deprehendimus. Ex quo ulterius Joannis doctrinam de « Verbo » non esse philonicam jure merito deducimus.

PARAGRAPHUS II

DE PROLOGI AD RELIQUUM EVANGELIUM RELATIONE.

Falluntur ergo qui autumant doctrinam de Verbo in prologo non specifice christianam sed essentialiter ex alexandrina philosophia fuisse desumptam : vocem philonensem historicæ Christi apparitioni applicando, auctor græcorum lectorum attentionem ciere voluerit benevolentiamque sibi conciliare, simul ac scientificam Christi definitionem tradere. Verbi apparitio in humana natura cum salutiferis ejus effectibus pro genere humano, integrum prologum implet (v. 1-18). — Identificatione Verbi cum Jesu Christo proposita, prologi scopus completus apparet (v. 17) (1) et incipit evangelium proprie dictum.

Quæstio autem statim menti ingeritur cum quæstione generaliori de quarti evangelii indole peculiari et charactere historico intime connexa: quænam nempe prologi ad evangelii corpus seu narrationem statuenda est relatio ?

Cui quæstioni hodierni critici (2) non unanimes respon-

---

(1) In v. 18 explicatur in quonam « gratia et veritas per Jesum Christum facta » consistat, et exponitur quomodo ipse Jesus Christus solus Dei revelationem communicare potuerit.

(2) Godet, *Commentaire*, T. I p. 132 ss, 152 ss. — Schanz, *Einl.* p. 92. — Weizsæcker, *Ap. Zt.* p 536. « Die Erzählung selbst, ebenso wie die Worte Jesus, können den Ursprung aus der Logoslehre nicht

dent. Ad scopum nostrum sane non inutile erit præcipuas sententias cum propriis argumentis respicere. Quæstio fit utrum philosophicus *Verbi* conceptus in evangelio evolvatur, vel e contra utrum Verbi notio in prologo tradita per ipsum evangelium sit interpretanda. De eo sane non quæritur, utrum nempe ideæ quædam in prologo expositæ in evangelii decursu rursus tractentur : ità de Christi divinitate in prologo affirmata per totam expositionem sermo fit, estque scopus explicitus auctoris naturam Christi divinam demonstrandi. Sed hoc inquirendum venit: utrum nempe philosophica Verbi idea totum evangelium permeaverit, evangelii christologiam inspiraverit, ità ut merito evangelium τοῦ Λογοῦ vocari possit?

Ad hanc autem quæstionem cum Harnack et Loisy contra Thoma, Pfleiderer, Holtzmann aliosque respondendum esse censemus *philosophicam Verbi* notionem in evangelii corpore non eminere ; Verbique mentionem in prologo non clavem esse sed aliquatenus ænigmaticum conceptum per subsequentem evangelicam expositionem interpretandum. (1) In favorem hujus sententiæ non spernendum sane argumentum desumi posse videtur ex eo quod identificatione Jesu Christi cum Verbo semel proposita in prologo, nomen « ὁ Λόγος » in toto reliquo evangelio jam non appa-

---

verleugnen. — Harnack, *Z. Th. K.* 1892 p. 189 ss. *D. G.* I p. 93 s. 762. — Loisy, *R. H. L. R.* 1897 p. 43 ss., 141 ss., 249 ss. — H. Holtzmann, *Z. W. Th.* 1893 p. 385 ss. — *Lehrb. der Neutestl. Theol.* II p. 372, 396 ss.

(1) Cfr. Harnack, *D. G.* I p. 93 s. *Z. Th. K.* l. c. « Der Prolog des Evglms ist nicht der Schlüssel zum Verständniss des Evglms, sondern er bereitet die hellenistischen Leser auf dieses vor. Er knüpft an eine bekannte Grösse, den Logos, an, bearbeitet ihn und gestaltet ihn um, falsche Christologie implicite bekämpfend — um ihm Jesus Christus den μονογενὴς Θεός zu substituiren, resp. ihn als diesen Jesus Christus zu enthüllen. Von dem Momente an, wo dies geschehen ist, ist der Logosbegriff fallen gelassen. Der Verfasser erzählt nur noch von Jesus um den Glauben zu begründen, dass er den Messias, der Sohn Gottes sei. » P. 323 ss., 230.

reat. Etenim si *philosophicus* ille conceptus totum replet evangelium ejusque norma sit dogmatica, quomodo fit ut nomen illud, in quo evangelii scopus ac significatio reponitur, non jam usuveniat ? Quomodo fit ut Christus, præsertim iis in locis ubi de divina ejus natura ac de Filii erga Patrem relatione habetur sermo, nunquam hoc vocabulo designetur, vel identificatio in prologo proposita nullibi confirmetur ?

Observat quidem Holtzmann præ sensu quodam religioso et litterario cavisse auctorem quominus tam graviter contra historicæ artis regulas atque indolem peccaret : evangelica indoles hujus appellationis τοῦ Λόγοῦ penitus evanuisset atque in gnostico-apocrypham methodum fuisset mutata. (1)

Verùm quarti evangelii auctor arguendus foret contradictoriæ methodi. Etenim, ex una parte tota ejus theologia ut penitus hellenistica et doctrinâ de *Verbo* omnino imbuta exhibetur, ità ut toto cœlo a synopticorum narratione differat (2) ; ex alia parte identificationem in prologo tam expresse propositam in corpore evangelii propter synopticorum methodum repetere vitaret.

Talem sollicitudinem non intelligimus apud auctorem qui, judicio ipsius Holtzmann, priorum evangeliorum methodum ità derelinquit ut fictam historiam methodo plane subjectiva scribat (3). Quomodo integram evangelii narrationem in philosophicum systema immutare potuerit

---

(1) *Lehrb. der neutestl. Theol.* II p. 397. « Der Evglienton wäre damit definitiv verlassen und mit der gnostisch-apokryphischen Manier vertauscht gewesen. Eine so grelle Dissonanz musste dem religiösen wie künstlerischen Gefühl des Evglisten gleich widerstreben. » Cfr. Jülicher, *Einl.* p. 250. « Sein Taktgefühl wird den Evglsten verhindert haben diesen aus der alten Philosophie stammenden Terminus Jesu selber in den Mund zu legen. »

(2) Holtzmann, *Lehrb. der neutestl. Theol.* II p. 398 ss.

(3) Cfr. Holtzmann, *Lehrb. der neutestl. Theol.* II p. 352 ss. — Jülicher. *Einl.* p. 258 ss. « Man wird dem 4 Evglm nur gerecht, wenn man es als eine philosophische Dichtung mit religiöser Tendenz aus der 3 christl. Generation betrachtet. »

auctor, quin hujus systematis clavem et fundamentum vel semel enuntiaverit? Si historicus auctoris sensus hanc Jesu appellationem repudiabat, quomodo passa est eadem historica conscientia tot alia et quidem essentialia attributa illorum auctorum judicio a synopticorum testificatione penitus discrepantia? Discrepantiæ timor immerito invocatur ubi singula elementa eodem titulo discrepantia apparent et integra fere terminologia nova obtinet. Notemus insuper plures occurrere locos in quibus ejusmodi Jesu appellatio modo omnino naturali adducta fuisset, v. g. X, 35. (1)

Deinde propugnato ab adversariis influxui doctrinæ de Verbo obstare videtur usus quasi indiscretus vocis « ὁ λόγος » in quarto evangelio. Etenim illa vox velut solemnis et propria Jesu appellatio extra prologum non occurrit, imo frequenter omnino (36 vicibus) in diversa acceptione supponit. Quod sane haud facile explicatur apud auctorem cujus sensum historicum omnes ultro confitentur, si revera illa de Verbo doctrina totius evangelii sit anima et fundamentalis idea.

Ità octies ad sermonem aliorum (IV, 37, 39; XII, 38; XV, 25; XVII, 20; XVIII, 9; XIX, 8, 13) designandum vox ὁ λόγος usurpatur; novies pro sermone quodam particulari Jesu usuvenit (II, 22; IV, 50; V, 38; VI, 60; VII, 36, 40; X, 19; XVIII, 32; XXI, 23); undecies dicitur de integra Jesu prædicatione (IV, 41; V, 24; VIII, 31, 37, 43, 51, 52; XIV, 23, 24; XV, 3, 20).

Si doctrina philonensis de *Verbo* totum evangelium et integram christologiam inspiravit, nonne plane mirandum est Christum Λόγον toties de « τοῦ λόγου μοῦ » « ὁ λόγος ὁ ἐμὸς » loqui? (2) Octo autem loca quæ supersunt adhuc magis

(1) « Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est et non potest solvi Scriptura ». Tanquam apodosis expectatur « quomodo ego, *ipsum Verbum*... »; sed hujus appellationis loco habetur: « quem Pater sanctificavit et misit in mundum. » Cfr. GODET, *o. c.* I p. 157 s.

(2) Observat HOLTZMANN *l. c* « Demgemäss haben wir es in solchen

admirationem movere nata sunt. Ità imprimis XII, 48 ὁ λόγος *Christi* personificationem quandam obtinet. Jam vero si idea fundamentalis de Christo - Λόγῳ semper ante mentem auctoris versabatur, quomodo ista conceptuum alternatio et substitutio possibilis erat ?

In septem aliis locis, exhibetur « ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ » (X, 35 ; XIV, 24 coll. XVII, 6 ; XVII, 14, 17). Agitur autem in his locis de revelatione divina per Christum facta: an talem discrepantiam non vitasset auctor judæo-alexandrinus ? Remanet tandem locus adhuc magis mirandus in sententia Holtzmann, nempe VIII, 55, ubi de se ipso Christus affirmat : « οἶδα αὐτον (Θεὸν) καὶ τὸν λόγον αὐτοῦ τηρῶ ». Ità Christus se totaliter a Λόγῳ τοῦ Θεοῦ distinguit. [1] Si conscientia historica in evangelica narratione

---

Reden des Johann-Christus mit einer, durch die Dehnbarkeit, des Begriffes λόγος begünstigten, Umsetzung des Logosgedanken des Prologs in die geschichtliche synopt. Redeweise zu thun ; vgl. im Munde Jesu λόγοι Mt. 7, 24, 26 ; 24, 35 ; Mc. 8, 38 ; 13, 31 ; Lc. 6, 47 ; 9, 26, 44; 11, 28; 21, 33; 24, 44, λόγος Mt. 13, 20-23 ; Mc. 4, 14-20 ; Lc. 8, 11-15, 21 und im evangel. Bericht Mc. 1, 45 2, 2 ; 4, 33 ; 16, 20 ; Lc. 1, 2, 4 ; 4 32 ; 5, 1, 15 ; 7, 17 ; 10, 30. » — Sed conceptus τοῦ Λόγοῦ qualis in prologo apparet nullo modo hîc reperiri potest, neque de proprie dicta mutatione seu accommodatione ad modum loquendi synopticorum quæstio esse potest. — Neque etiam dicendum: « Wie bei Philo die einzelnen λόγοι zum Sammelbegriff ὁ λόγος sich verhalten, so sind es bei Joh. die verschiedenen λόγοι oder auch ῥήματα Gottes 3, 34 ; 8, 47 ; 17, 8 oder Jesu 5, 47 ; 6, 63, 68 (8, 20 ; 10, 21) 12, 47, 48 ; 14, 10 ; 15, 7, deren Zusammenfassung seinen λόγος darstellen 4, 41 ; 5, 24 etc. (Holtzmann, *ibid.*) » Nam, quemadmodum apud synopticos ità et apud Joannem istæ locutiones nullo modo philosophicæ seu metaphysicæ sunt, quod cæteroquin ipse Holtzmann animadvertit: « Im metaphysischen Sinne von λόγοι spricht zwar Philo, nicht aber Joh, der bloss 17, 14 den einheitlichen λόγος welchen Jesus den Jüngern mittheilt, 13, 24 in die einzelnen Λόγοι zerlegt. » Sed si quarti evangelii auctor essentialiter a Philone et a philosophia judæo-alexandrina pendet, quænam hujus phænomeni ratio sufficiens assignabitur ?

[1] Cfr Harnack, *Z. Th. K.* 1892 *l. c.*

auctorem impedivit quominus Jesum « τὸν Λογὸν » appellaret, an sensus ejus philosophicus eum a fortiori non cohibuisset ab illo indiscreto usu ejusdem termini vitandi ?

Cæterum, non ità intimum esse nexum quoad doctrinam τοῦ Λόγοῦ inter prologum et reliquum evangelium ex eo patet quod actio creativa Verbo initio tributa jam non appareat, cùm tamen de mundi creatione ulterius sermo fiat.

His jam sufficienter liquet quartum evangelium per philosophicam seu judæo-alexandrinam τοῦ Λόγοῦ notionem non esse interpretandum. Ex ipso evangelio statuendum est quisnam sit ὁ Λόγος apud Joannem, et quænam sint illa « vitæ » « lucis » et « *præexistentiæ* » attributa quæ de illo in prologo prædicantur ; non e converso. ([1]) Ut igitur optime demonstravit Harnack, nullam præconceptam opinionem philosophicam prologus reliquo evangelio imponit. ([2])

Speculationes judæo-alexandrinæ circa τὸν Λόγον, occasionem præbuerunt auctori doctrinam de Christo eo modo evolvendi quo illius epochæ scientificis speculationibus annecteretur, atque eæ præsertim solverentur quæstiones quæ magis anxias mentes tenebant quæque apostolicæ doctrinæ præ cæteris periculosæ esse poterant. Usus autem quorumdam verborum ut v. g, vocis ὁ Λόγος, ut vidimus, minime evangelii dependentiam ab illa philosophia adstruit; neque generales quædam similitudines, theosophicas judæo-alexandrinas speculationes inter et respectus sub quibus evangelii auctor historicum Incarnationis factum considerat,

---

([1]) Cfr. Loisy, *o. c.* p. 46. « L'on s'exposerait à un perpétuel contresens en voulant expliquer l'Evangile par la théorie du Logos dans Philon. »

([2]) *L. c.* Cfr. etiam Harnack, *D. G.* I p. 762 n. 1. « Gewiss enthällt der Prolog zum Theil die Themata, welche die folgende Darstellung ausführt, aber in einen solchen Fassung, dass man den Gedanken nicht zu unterdrücken vermag der Schriftsteller habe in dem Prolog *in ihrer Denkweise* die griechischen Leser auf das Paradoxe *vorbereiten* wollen, was er ihnen mitzutheilen hatte. »

— ut est v. g. idea mediationis — ad dependentiam vere doctrinalem concludere sinunt.

Quemadmodum S. Paulus areopagitas alloquens dixerat « ὁ οὖν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, τοῦτο ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν » (*Act.* XVII, 23), ità quarti evangelii auctor Asiaticis dicere videtur : « Verbum, quod quæritis revera existit, illud audivimus ac vidimus, illud perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de illo verbo vitæ ; Verbum illud, vita et lux hominum, caro factum est et habitavit in nobis : est nempe unigenitus Dei Filius, Jesus Christus » (1). Testimonium illud personale tam instanter ab auctore vindicatum (Jo. I, 14 ; I Jo. I, 1-4), nimis vividum erat quam ut theosophicæ et cosmologicæ speculationes illud in philosophicam doctrinam immutare potuissent. Ejusmodi cosmologicæ speculationes, quibus philosophia judæo-alexandrina pascebatur, in evangelio non reperiuntur. Ejusmodi speculationes nequidem in ultimis Christi sermonibus apparent. Ubique in historica Jesu Christi persona evangelista nititur, quæ divina persona in toto evangelio identica remanet (2), sese Messiam ubique clare profitetur, atque opus sanctificationis hominum mediis in difficultatibus prosequitur. Hic est fundamentalis evangelii character ; juxta Christi facta et sermones determinandum est quisnam sit « ὁ Λόγος » ad quem fide accedendum esse dicit evangelista, quænam sint et lux et vita quæ in tenebris luxerint.

---

(1) Weizsæcker, ipse *Ap. Zt.* p. 533 ss. ait. « Die Annahme der Logoslehre ist nicht eine einfache Uebertragung sondern eine Verarbeitung und Umgestaltung derselben. Aus der jüdischen Philosophie geschöpft, ist sie doch eine wesentlich neue Lehre auf christlichen Boden geworden. »

(2) Cfr. Harnack, *Z. Th. K.* 1892. p. 193 : « In keinem Sinne ist von einer Doppelpersönlichkeit oder von einer Scheidung einer Himmlischen und eines Irdischen, eines Göttlichen und eines Menschlichen, in ihm die Rede. »

PARAGRAPHUS III

DE QUARTI EVANGELII AUCTORIS ERGA JUDAISMUM HABITUDINE. (1)

De relatione quarti evangelii ad synoptica evangelia agentes, talia eaque multiplicia in scripto illo animadvertimus indicia e quibus cum certitudine concluditur auctorem judæum palestinensem fuisse.

Ut auctoris persona necnon character ejus evangelii clarius innotescant, simul ut via jam ad evangelii scopum sternatur (plures enim auctores (2) quartum evangelium contra Judæos scriptum fuisse volunt) — de auctoris erga judaicam religionem habitudine tractemus necesse est.

Plura forsan etiam talia inveniemus elementa quæ ad epocham ac scriptionis locum determinanda suo modo adjumento esse poterunt, præterquam quod historico evangelii characteri statuendo non plane evadent inutilia. Imprimis hoc tenendum esse putamus : quarti evangelii nempe auctorem non primarie Judæos alloqui, nec primarie scriptum fuisse ad Judæorum conversionem.

Necessitatem spiritualem asiaticarum ecclesiarum præ oculis habuerit : periculum autem doctrinale tunc temporis

---

(1) Cfr. Aberle. *Th. Qs.* 1862. p. 37 ss. — Schanz, *Einl.* p. 84 ss. — Luthardt, *o. c.* p. 134 ss. 163, 175. — Godet, *o. c.* I p. 214 ss. 336 ss. — Bleek-Mangold, *Einl.* p. 337 ss. — Reuss, *o. c.* p. 50, 81 ss. — Thoma, *o. c.* p. 787 ss. — H. Holtzmann, *Einl.* p. 452, 456, *Lehrb. der neutestl. Theol.* II p. 354 ss. — O. Pfleiderer, *o. c.* p 701 ss. — Cornely, *Introd.* III p. 230 ss. — Franke, *o. c.* p. 18 ss. — Batiffol, *Six Leçons*, p. 116 ss. — Weizsæcker, *Ap. Zt.* p. 520 ss. — B. Weiss, *Der johanneische Lehrbegriff in seinen Grundlinien untersucht*, Berlin, 1862, p. 101, 192. *Einl.* p. 562 ss. 570. — C. Wittichen, *Der geschichtliche Charakter des Evangeliums Johannis in Verbindung mit der Frage nach Seinem Ursprunge*, Elberfeld, 1868. p. 5-35. — Harnack, *D. G.* I p. 93-94. — A. Hilgenfeld, *Z.w. Th.* 1893. p. 507 ss.

(2) Inter quos Schanz et Batiffol, *ll. cc.*

non tam ex Judæorum parte quam ex philosophia judæo-alexandrina et ex nascente gnosticismo provenisse, omnibus fere hujus epochæ religiosis monumentis probatur, et ex vocis « ὁ Λόγος » solemni usu confirmari videtur, ut jam audivimus.

Judæos in quarto evangelio non principaliter intendi etiam e verborum aramaicorum interpretatione et usuum judaicorum explicatione confirmatur. Ità I, 38, 42; II, 6 « secundum purificationem Judæorum »; V, 2; XIX, 40 « sicut mos est Judæis sepelire. » Si primaria intentione Judæos convertere voluisset, an ejusmodi superfluas elucidationes tradidisset? E contrario, optime intelliguntur hæ interpretationes si præsertim ethnico-christianos græco sermone utentes et judaicorum usuum ignaros alloquitur.

Animadvertendum etiam est auctorem de Judæis agere tanquam de gente quadamtenus aliena pro iis ad quos sermonem facit. Ità II, 6; III, 1 « princeps Judæorum »; V, 1: « Post hæc erat dies festus Judæorum »; VI, 4 « Erat proximum Pascha dies festus Judæorum »; VII, 2; XI, 55; XVIII, 14 etc. (2) Si Judæos in Asia Minori degentes convertere voluisset auctor, nonne ejusmodi appellatio singularis et mira videretur? Deinde si hunc scopum præ cæteris fuisset prosecutus, in prophetiarum Veteris Testamenti impletione magis institisset. Nec ad illud probandum refert quod Batiffol (1) ait, auctorem scil. testimonium Apostolorum, Joannis Baptistæ (3), denique ipsius Patris invocare ne ulla jam remaneat Judæis excusatio. Etenim illa testimonia deserviunt ad scopum generalem et explicitum evangelistæ (XX, 31), scilicet ad Christi divinitatem comprobandam et ad quemvis scopum didacticum

---

(1) *Six Leçons* p. 122 ss.

(2) Clare ostendit Zahn, (*Einl.* II p. 554) ex hujusmodi locutionibus nihil prorsus concludi posse contra auctoris originem judaicam.

(3) Hujus testimonii allegatio præterea peculiari scopo inservit, ut postea videbimus.

Christi doctrina et miraculis demonstrandum illi testes necessario invocandi erant.

Quartum evangelium igitur primario fine ad Judæorum in Asia degentium conversionem scriptum fuisse haud arbitramur.

Ex alia tamen parte, falluntur qui putant judaicam gentem ejusque legem ab evangelista despectui haberi.

Auctores qui illam sententiam tenent in his præsertim factis nituntur: universa, aiunt, judaica gens initio jam evangelii (c. V) tanquam Christo inimica exhibetur, legem judaicam Christus legem *vestram* vocat (VII, 19, 22; VIII, 17; X, 34); Veteris Testamenti significationem et valorem nimis deprimit (I, 17; IV, 21-24; V, 37, 38; VII, 28; VIII, 19, 44, 55; X, 8; XV, 21; XVI, 3).

Imprimis negandum non est Christi rationem agendi erga Judæorum *gentem* apud Joannem aliquatenus minus benevolam quam apud synopticos videri. Cujus tamen rationis agendi causa oriunda est non ex doctrinali auctoris repugnantia adversus religionem judaicam atque populum qua tales, verùm potius ex temporis locique in quo scriptum fuit quartum evangelium circumstantiis. Etenim evangelium nostrum post eversam Hierosolymam dirutumque templum fuit exaratum, nec judæo-christianis, quemadmodum evangelia synoptica, sed ethnico-christianis asiaticis destinatum fuit. Unde de valore et vi obligandi Legis Mosaicæ non jam tunc disceptatio contentioque erat. — Christianæ religionis a Synagoga separatio jamdiu erat completa: unde auctor noster non eodem modo ac synoptici ipsi Mosaicæ Legi inhæret. De Sabbati violatione tamen Christus a Judæis reprehenditur (V, 1 ss.; VII, 23). — Legis ac revelationis Mosaicæ dignitas et valor coram ipsius Filii revelatione penitus evanuerunt (I, 17, 18). Mosaica revelatio non jam habet vitæ æternæ præstandæ virtutem (V, 39), neque ulla jam veritas in ipsa reperitur (IV, 23) cùm penitus fuerit abolita: hanc completam Legis abolitionem medio in colloquio Jesu cum muliere samaritana

evangelista ipse notare videtur IV, 23: « Sed venit hora *et nunc est* (Ἀλλὰ ἔρχεται ὥρα καὶ νῦν ἐστίν) quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate ». Populi judaici Messiam rejicientis culpa jam clarius apparet, quemadmodum hæc evangelistæ animadversio ostendit (XII, 37): « Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum ». Ità fit ut illa adversus Christum oppositio apud quartum evangelistam populo seu nationi magis imputetur qua tali, dum a synopticis in Pharisæos potius Legisque doctores culpa refundatur.

Ità licet Christi religionis universalitas apud synopticos auctores jam affirmetur(1), vocatio gentilium apud Joannem privilegio Judæorum quasi juxtaponitur et æquiparatur (X, 7-16; XI, 52; cfr etiam XII, 20 ss).

Numquid autem hæc omnia talem demonstrant auctorem qui non ex judaismo sit oriundus vel contra Judæos magno æstuaverit odio?

Minime (2); ut suprà jam innuimus, sensus auctoris erga judaicam religionem Judæorumque adversus Christum oppositionem ex loci temporisque ac scopi circumstantiis satis explicantur (3). Ex alia autem parte tot prostant in evangelio indicia, e quibus liquet auctorem genere judæum fuisse, legisque prærogativas atque relativum valorem agnovisse.

Ità Christus fundamentale principium « ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστίν » prædicat (IV, 22). Judaica gens

---

(1) Cfr. v. g. *Mt.* VIII, 10-12; XXI, 43; XXIV, 14; XXVIII, 19, etc.

(2) Ità, ut omnes norunt, S. Paulus apostolus, judæus genere, nihilominus Legis abolitionem præclare demonstrat. Apposite Weizsæcker, *Ap. Zt.* p. 524. « Wir stossen hier auf ein ähnliches Verhältniss wie bei Paulus, von welchen wir immer sagen müssen, dass so, wie er nach beiden Richtungen von Juden spricht, überhaupt nur ein Christ sprechen konnte welcher selbst Jude war. »

(3) In illo tamen loquendi modo novum latere argumentum putamus quo illorum opinio, qui evangelium ad Judæorum conversionem exaratum fuisse putant, nobis infirmari videtur.

tanquam propria Messiæ gens perhibetur (XI, 51-52), atque Israelitarum privilegium etiam Joannes Baptista profitetur (I, 31). Vetus Testamentum tanquam præparationem et iter ad Messiam exhibet (V, 39, 45-47; VIII, 56). — Scripturæ veteris Testamenti auctoritatem agnoscit (X, 35). Plura præterea historica facta apud quartum evangelistam ostendunt quanti Legis observationem Christus faceret : ità Judæorum festa celebrat, templum « domum Patris » appellat et venditores ac nummularios ex eo ejicit (II, 13 ss.). Relativum hierosolymitani cultus valorem agnoscit (IV, 20 ss.). Circumcisionem et sabbatum æque obligandi vim habuisse implicite fatetur (VII, 22-23). Unde merito diximus suprà illa loca in quibus Christus de lege ait « ἐν τῷ νόμῳ ὑμῶν » (X, 34) nullo modo auctoris erga judaismum despectum revelare. Imo ipse loquendi modus quo hoc loco (X, 34) integra veteris Testamenti scriptura verbo « ὁ νόμος » designatur, auctorem judæum patefacit. Isaias gloriam Messiæ vidit (XII, 41) et Abraham exultavit ut videret diem Christi (VIII, 56).

Licet igitur locutiones quædam modusque quo Christi adversarii « οἱ Ἰουδαῖοι » designantur talem depingant auctorem, qui gentem judaicam eversam, christianamque religionem a judaismo penitus sejunctam viderat, nulla certa indicia contra judaicam hujus auctoris originem testantur (1). Neque Legis Mosaicæ abolitionem contra historiæ regulas in ipsam Christi vitam transtulit : Messias apud

---

(1) V. X. 8. « Πάντες ὅσοι ἦλθον κλεπται εἰσὶν καὶ λησταί » immerito affertur, cùm solos *sui temporis* (εἰσὶν) Pharisæos atque scribas hîc intendat Christus. — Quoad loca in quibus Patris cognitio populo judæo denegatur cfr. Holtzmann. *Lehrb. der neutestl. Theol.* II p. 337. « Wenn Christus seinen Volksgenossen 5, 38 ; 7, 28 ; 8, 19, 54, 55, 15, 21 ; 16, 3 ; 17. 25 die Erkenntniss des Vaters nachdrucksvoll abspricht, damit nicht die Unwahrheit der alttest. Religion, sondern nur die Schuld der Juden gekennzeichnet welche, obwohl im Bezitz aller Prämissen richtiger Gotteserkentniss, doch stets versäumt haben, davon Gebrauch zu machen. »

Joannem vere *judæus* est ipseque auctor privilegia et temporalem judaicæ religionis valorem implicite agnoscit. Sed, post ruinam templi, civitatis ac gentis, post evangelii prædicationem gentilibus factam, in ipsa Asiæ provincia in qua Judæi contra nascentem Ecclesiam persecutiones movebant (1), jam magis videbatur *judaica natio qua talis* salutem messianicam repudiasse. Unde frequentior appellatio « οἱ Ἰουδαῖοι » quam apud synopticos apparet, quin tamen aut historicæ veritati ullatenus noceat (2), aut a judaismo historico *qua tali* discrepet.

Cæterùm, omnia illa indicia quæ testem judæum oculatum ostendunt, hic recolenda sunt et suo modo judaicam auctoris originem confirmant (3).

Ex præcedenti autem investigatione sequitur conclusio quædam generalis. Etenim cum auctor judaicam religionem ut revelationem divinam habuerit, et in legali judaismo, antequam christianismo nomen dederit, educatus fuerit ac edoctus, origo illa judaica attente consideranda est atque pensanda. Exinde profecto oriundus est animus ejus religiosus, specifice licet christianus, in veteri tamen Lege radicatus atque fundatus. Integram judaici populi historiam præparationem fuisse ducebat ad Christum Messiam, cujus religiosæ persuasionis ratio sane habenda est, ubi agitur de auctoris doctrinæ origine determinanda atque definienda.

Qui ex una parte quarti evangelistæ judaicam originem, ex alia autem parte persuasivum et oculatum ejus de vita Jesu Christi testimonium pensat, haud facile theologicam hujus evangelii conceptionem aut alexandrinismo aut gnosticismo adjucabit.

---

(1) Cfr. epp. S. Pauli & Apoc. v. supra p. 238 ss.

(2) Aliæ adhuc considerationes apud Luthardt, *o. c.* p. 131 ss. videri possunt. — Cfr. H. Delff, *Das vierte Evangelium übersetzt und erklärt* 1890. — Güdemann, *Neutestamentl. Studien* 1893, p. 13 ss. *et passim.*

(3) Ità animadversione dignum est in causa Christi, licet nomen « οἱ Ἰουδαῖοι » adhuc appareat, « οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι » tanquam veri mortis Jesu Christi fautores depinguntur (XI, 47, 56 ; XII, 19 ; XVIII, 3, 35 ; XIX, 6, 15, 21).

CAPUT III

De Scopo quarti evangelistæ.

Peculiaris quarti evangelii characteris causas investigantes, duo jam perpendimus momenta quorum unumquodque suo modo ad specialem evangelii nostri indolem constituendam contulerunt : cognitio nempe synopticorum ab auctore apud lectores supposita, necnon adjuncta intellectualia ac religiosa in quibus editum fuit. — Aliud jam internum indicium inquirendum est : methodus auctoris seu materiæ dispositio necnon scopus ab auctore intentus ; hæc autem inter se intimo nexu cohærere, ab omnibus admittitur.

Varias de evangelii origine traditiones examinantes, antiquos Patres et ecclesiasticos scriptores de scopo a quarto evangelista intento jam sollicitos fuisse compertum habuimus. Varia quæ de hac quæstione tradiderunt paucis recolere opportunum erit. Non solum « spirituale » evangelium Joannem « de Christi divinitate » scripsisse dicunt, sed accuratioribus etiam limitibus quarti evangelii finem circumscripserunt. Ità signanter duplex præsertim scopus ab antiquis scriptoribus fuit notatus, completio nempe synopticorum evangeliorum, et variarum hæreseon impugnatio. Uterque finis temporis decursu paulatim evolutus est ità ut apertas chronologicas contradictiones quidam minoris auctoritatis scriptores admiserint. Ità nonnulli ad personalem Petri et Pauli apud Joannem legationem statuendam devenerunt, alii e contrario inter hæreticos a Joanne impugnatos computarunt ipsum Marcionem. De scopo complendi synopticorum narrationem S. Irenæus ne verbum quidem habet, neque a priori improbabile

est scopum illum quandoque fuisse recensitum propter specialem Joannis evangelii indolem. Ejus tamen mentio jam apud antiquos testes recurrit. Quoad utrumque finem assignatum interna criteria jam inspiciamus.

Circa quarti evangelii scopum magnæ etiam inter modernos dissensiones vigent : non inutile erit præcipuas opiniones breviter commemorare.

E. Reuss opinatur ([1]) evangelistam solummodo theologiæ evangelicæ in Christi divinitatis facto fundandæ compendium tradere voluisse.

Juxta Luthardt : quartum evangelium tam historice quam dogmatice tria priora complens, revelatio est de Jesu filio Dei in subsidium fidei ei adhibendæ et ad vitam æternam ducentis. ([2])

Censet Godet (o. c. p. 356 ss.): evangelium illud præcedentes narrationes complens, messianitatem et divinitatem Jesu probans indirecte contra Cerinthi atque Ebionitarum doctrinam necnon contra gnosticum docetismum pugnare.

Bleek-Mangold (*Einl.* p. 405) et Henle ([3]) evangelium aiunt contra gnosticum errorem scriptum fuisse. Henle in specie Cerinthum, Saturninum, Carpocratem, Basilidem, Ebionitas et Nazarenos Joanni coævos habet.

Jülicher (*Einl.* p. 248) contra judaicam theologiam evangelium scriptum putat; Batiffol pariter ad Judæos convertendos auctorem calamum arripuisse autumat. ([4])

([1]) *La Théologie Johannique*, 1879 p. 29. « L'auteur... a écrit un résumé de la théologie évangélique telle qu'elle peut et doit s'édifier sur le fait de la divinité du Sauveur... Nous ne lui reconnaissons pas d'autre but. »

([2]) *Kurzgefasster Kommentar zu den hl. Schriften A. und N. T.* — Herausgegeben von H. Strack und O. Zöckler. — Neues Testament, Zweite Abteilung, erläutert von E. C. Luthardt und O. Zöckler, Nördlingen, 1886, p. 93.

([3]) *Der evangelist Johannes und die Antichristen seiner Zeit*, München 1884, p. 60 ss.

([4]) *Six Leçons* et p. 120. « Il est écrit pour réfuter, ou si vous aimez mieux pour convertir les Juifs. »

B. Weiss (*Einl.* p. 576 s.) juxta c. XX, 31 characterem Messianicum Jesu seu ejus filiationem æternam atque divinam ab auctore vult intentam, et cerinthianam gnosin habet tanquam scriptionis occasionem.

Resch præter scopum principalem c. XX, 31 enuntiatum secundariam etiam intentionem complendi synoptica evangelia agnoscit, quam intentionem peculiari modo evolvit (1). Harnack auctorem contra Cerinthi christologicum errorem scripsisse autumat (2).

Sententiam prorsus singularem denique Corssen profitetur : scopus quarti evangelii in refutanda illa christologia consistit quam jam antea *Leucii acta* docuerant (3).

Aberle (*Th. Qt.* 1862 p. 37) et Aberle-Schanz (*Einl.* 1877) contra judaismum restauratum auctorem agere dicunt.

Douais (4) duplicem scopum admittit completivum nempe synopticorum et polemicum adversus Cerinthi doctrinam scil. et gnosticorum docetismum.

Quid in tanto sententiarum conflictu tenendum sit inquiramus.

Imprimis quod spectat nonnullos hæreticos qui ab uno

---

(1) *Aussercanonische Paralleltexte zu den Evangelien*, IV, Heft, (*T. U.*) 1896 p. 40 ss. « Diese Absicht der Ergänzung zeigt sich namentlich in fünf Richtungen : *erstlich* in einer viel besseren Charakterisierung der Jünger und Jüngerinnen Jesu, *zweitens* in einer viel tieferen Erfassung der Persönlichkeit Jesu, *drittens* ebendeshalb in einer ausführlicheren Wiedergabe des Selbstzeugnisses Jesu in seinen Reden, *viertens* in der von den Synoptikern wenig berücksichtigten Darstellung des Wirkens Jesu in Judäa, und endlich *fünftens* in der pragmatischen Erklärung des Verwerfungsschicksals, welches Jesu *sowohl* in *Galiläa als in Judäa* zu Theil geworden ist » etc.

(2) *Chron. A. C. L.* p. 680 n. 2 « Wenn Irenäus sagt (III, 11, 1) der Verf. des Evangeliums habe « eum qui a Cerintho inseminatus erat hominibus errorem auferre voluisse » so wird er im Rechte sein. »

(3) *Monarchianische Prologe. T. U.* XV, 1, 1896 p. 118 s., 128, 131 ss.

(4) *Sc. C.* 1895, p. 393 ss. Idem fere tenet P. Ewald : *De Voornaamste Vraag van het onderzoek betreffende de Evangelien*, 1892 p. 42. Ebionitas loco Cerinthi adducit.

alterove ex antiquis tanquam a Joanne confutati exhibentur, historicus horum testimoniorum valor accurate est librandus. Ita Valentinus et Marcion qui medio sæculo secundo floruerunt nonnisi cum manifesto errore chronologico citantur. Cæteroqui quomodo ad plurium hæreticorum nomina proferenda devenerint Patres facile intelligitur. Nihil enim magis pronum erat quam ut ii hæretici tanquam a Joanne refutati traducerentur, quorum errores *de facto* quarti evangelii doctrinæ contradicebant. Porro, persuasum nobis est plures scriptores Valentinum, Marcionem aliosque enumerantes, hoc tantum affirmare voluisse, illos in Joannis evangelio *de facto* redargui.

Sed aliter profecto dicendum est de Cerintho, contra quem Joannem scripsisse plures antiqui scriptores diserte asserunt.

S. Irenæi præsertim testimonium est attendendum, cum tempori quo scriptum fuit evangelium cæteris testibus propinquior sit, et ratione commercii quod cum Presbyteris et Polycarpo habuit, magna in omnibus hujusmodi quæstionibus polleat auctoritate. Hæc autem S. Irenæus scribit: « Hanc fidem annuntians Joannes Domini discipulus, volens per evangelii annuntiationem auferre eum, qui a Cerintho inseminatus erat errorem, et multo prius ab his qui dicuntur Nicolaitæ, qui sunt vulsio ejus quæ falso cognominatur scientiæ, ut confunderet eos et suaderet quoniam unus Deus qui fecit omnia per Verbum suum.... Omnia igitur talia circumscribere volens discipulus Domini et regulam veritatis constituere in Ecclesia, quia est unus Deus omnipotens.... sic inchoavit... » (1)

Utrùm hæ assertiones interno evangelii characteri respondeant, postea examinabimus. Hîc jam animadvertere liceat, ad Cerinthum quod attinet, pauca quæ prostant chronologica indicia in hoc conspirare ut existentiam Cerinthi tanquam Joanni ephesino coævi certam reddant.

---

(1) *Adv. hær.* III, 11, 1.

Ad alteram Irenæi assertionis partem, scil. ad Nicolaitas quod spectat, Irenæum circa hos hæreticos ea tantum tradere quæ ex Apocalypsi depromere poterat suprà liquit. Ex hoc autem solo facto quod tanquam adversarii in Apocalypsi impugnantur Irenæus nobis videtur ad ipsorum in evangelio refutationem asserendam fuisse adductus.

De scopo perficiendi et complendi evangelia synoptica Irenæus ne verbum quidem habet. Neque complementum illud, si tamen proprie dictum adsit, tanquam propositum ab auctore finem seu destinatum scopum, admittendum esse putamus. Censemus enim quarti evangelii auctorem *minime hunc in finem scripsisse* ut synopticorum relationem compleret, quatenus scil. trium priorum evangeliorum incompletas esse cernens narrationes eas proposito fine complere voluerit.

Etenim huic sententiæ imprimis ipse auctor parum favere videtur, dum ait c. XX, 31. « Ταῦτα δὲ γέγραπται, ἵνα πιστεύσητε ὅτι Ἰησοῦς ἐστὶν ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, καὶ ἵνα πιστεύοντες ζωὴν ἔχητε ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ». Clare enim affirmat inter ea omnia quæ scribere potuisset, se ea elegisse quæ ad Christi divinitatem demonstrandam maxime facerent. Unde, licet forsan ad synoptica evangelia in præcedenti versu 30 (ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ) alludat, delectum potius fecit quam complementum materiale. Insuper Joannes viginti tantum circiter adjuncta e Christi vita retulit ; imo hujus vitæ ac doctrinæ quatuor evangelicæ relationes simul sumptæ narrationem materialiter adhuc valde incompletam tradunt. Proposito igitur ac definito consilio synopticorum relationem *complere* noluerit.

Hoc tamen non impedit quominus in decursu tractationis inter facta et miracula a synopticis omissa quædam historico ac didactico suo scopo maxime faventia *elegerit*, imo synopticorum relationem notam supposuerit, quin unice *agrapha* referre ullo modo sibi proposuerit. Ità quædam facta, a synopticis jam scripto consignata, iterum exposuit, quatenus Christi divinæ naturæ probandæ præ cæteris inserviebant.

Igitur, licet quartum evangelium narrationes jam existentes *de facto* in pluribus compleat novaque præbeat elementa, positiva complendi intentio a mente auctoris removenda videtur. Eodem modo Joannis evangelium complementum *dogmaticum* synopticorum præstat, quatenus scil. auctor Christi divinitatem ostendere volens « spirituale » et didacticum scripsit opus. At iterùm, quia hanc indolem *de facto* in quarto evangelio reperimus, an ideo in animo habuisse auctor dicendus est scopum dogmatice synopticos complendi? Nonne sequitur potius character ille dogmaticus ex fine generali et explicito quem habuisse se scriptor c. XX, 31 testatur? *Scopum* igitur proprie completivum neque materialem seu historicum neque dogmaticum admittendum esse censemus. Cui disputationi, cùm magna ex parte de verbis agitetur æquo longius ne inhæreamus.

***

De SCOPO POLEMICO potius est tractandum.

An igitur et quisnam quarti evangelii auctori scopus polemicus est agnoscendus?

Sane, fatendum est stylum ac methodum licet scopo historico-didactico optime conveniant, nullibi explicite polemicos esse. Nec ipsa auctoris declaratio c. XX, 31 ad adversariorum cognitionem multum confert, nam omnes doctrinæ gnosticæ implicite saltem Christi divinæ naturæ contradicebant. Nostro tamen judicio optimum comparationis elementum prima Joannis epistola præbet; nam, ut in procemio vidimus, hanc epistolam eadem in regione eodem fere tempore et ab eodem auctore ac evangelium scriptam fuisse jam omnes fatentur.

Jam vero Joannes in prima illa epistola falsam christologiam illorum aggreditur qui negant « quoniam Jesus est Christus » (II, 22) « qui negant Filium » (II, 23), qui non confitentur « Jesum Christum in carne venisse » seu qui « solvunt Jesum » (IV, 23). — Plures præterea occurrunt

textus e quibus constat determinatos omnino illius regionis viros designari imminensque esse seductionis periculum (1): « ὅτι πολλοὶ ψευδοπροφῆται ἐξεληλύθασιν εἰς τὸν κόσμον ». — Quinam autem illi pseudoprophetæ fuerint, ex duobus locis videtur determinari posse nempe IV, 2 « Ἐν τούτῳ γινώσκετε τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ πᾶν πνεῦμα ὃ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐστίν » et V, 6 « Οὗτός ἐστιν ὁ ἐλθὼν δι' ὕδατος καὶ αἵματος, Ἰησοῦς Χριστός οὐκ ἐν τῷ ὕδατι μόνον, ἀλλ' ἐν τῷ ὕδατι καὶ τῷ αἵματι ».

Ut ex comparatione cum Iren. *Adv. H.* I 26, 1 elucet, doctrina impugnata recte Cerintho tribuenda videtur.

Sequentia enim S. Irenæus de Cerinthi doctrina tradit (2): « Jesum autem subjecit, non ex virgine natum, (impossibile enim hoc ei visum est), fuisse autem eum Joseph et Mariæ filium, similiter et reliqui omnes homines, et plus potuisse justitia, et prudentia, et sapientia ab omnibus. Et post baptismum descendisse in eum, ab ea principalitate quæ est super omnia, Christum figura columbæ; et tunc annunciasse incognitum Patrem, et virtutes perfecisse; in fine autem revolasse iterum Christum de Jesu, et Jesum passum esse, et resurrexisse: Christum autem impassibilem perseverasse, existentem spiritalem. »

Cerinthi doctrinam a Joanne in epistola prima impugnatam fuisse nuperrime Hümpel asseruit (3). Schürer autem contra Hümpel observat hanc sententiam immerito inde deduci quod in illa epistola docetarum christologia refellatur: juxta Schürer enim gnostici omnes hanc docetismi doctrinam profitebantur, quæ igitur christologia Cerintho

---

(1) Itâ II, 18 « et nunc Antichristi multi facti sunt »; II, 19 « Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum », II, 26 « Hæc scripsi vobis de his qui seducunt vos » ; cfr. IV, 1, 2, 3.

(2) *Adv. hær.* I, 26, 1. Textum græcum videre est p. 74 Partis prioris hujus disquisitionis.

(3) *De errore christologico in epp. Johannis impugnato ejusque auctore.* Erlangen, 1897. — Cfr. etiam Zahn, *Einl.* II, p. 572.

minime fuisset propria. (1)

Sed animadvertendum est docetismum, de quo in epistola agitur, esse doctrinam omnino specialem et cum Cerinthi christologia, qualem eam ex hæreseon catalogis novimus, adæ quate convenire. Impugnatur enim ut diximus, doctrina quæ personam Christi inter et Jesum distinguit, identitatem Jesu cum Christo rejicit, adeoque Christum ipsum carnem assumpsisse negat. Concedit quidem Cerinthus Christum (æonem cœlestem) « ἐν τῷ ὕδατι » venisse : alludit enim ad Christi baptisma ; verùm Christum « ἐν τῷ αἵματι » venisse negat, adeoque respuit veram personæ divinae incarnationem et passionem. Præterea methodus in prima Joannis epistola usurpata systemati gnostico Cerinthi adhuc parum evoluto congruit : generalia enim omnino argumenta contra illud afferuntur, ita ut veram doctrinam auctoritativo modo potius proponat auctor (IV, 2), asserat negationem Filii negationem ipsius Patris secum trahere (2), atque contra pseudoprophetas (3) christianos præmuniat dicendo illam doctrinam esse tenendam quam ab initio acceperant (II, 24).

In quarto autem evangelio eamdem ac in prima Joannis epistola doctrinam defendi, ex pluribus locis parallelis concluditur, ità ut epistola a multis auctoribus ut complementum quoddam et commendatio ipsius evangelii habeatur.

C. XX, 31 « Ταῦτα δὲ γέγραπται, ἵνα πιστεύσητε ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ Χριστὸς ὁ υἱος τοῦ Θεοῦ, καὶ ἵνα πιστεύοντες ζωὴν ἔχητε ἐν τῷ ὀνόματι αὐτου.

I Jo. V, 5 : « Τίς ἐστιν ὁ νικῶν τὸν κόσμον εἰ μὴ ὁ πιστεύων ὅτι Ἰησοῦς ἐστὶν ὁ υἱος τοῦ Θεοῦ, 6. Οὗτός ἐστιν ὁ ἐλθὼν δι'

(1) *Th. LZ.* 1897 p. 428.

(2) Filii negationem non sensu judaico de charactere Christi messianico esse intelligendam ex hoc ipso textu I, Jo. II, 22, 23, declarari videtur.

(3) Plures ut diximus in epistola occurrunt textus e quibus falsos doctores bene determinatos in re christologica errantes verba facere apparet. Ità II, 17 ss. — II, 24, 26, s. ; IV, 1 ss.

ὕδατος καὶ αἵματος, Ἰησοῦς Χριστός.

IV, 2. πᾶν πνεῦμα ὃ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐστιν. Cfr. adhuc IV, 14 ; V, 1.

Utrobique, quemadmodum ex juxtapositis elucet textibus, doctrinæ christologicæ summa versatur in identitate Jesu ac Christi ejusque divina natura agnoscenda, et hoc eo magis attentione videtur dignum, quod phrasis illa epistolæ « ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ υἱος τοῦ Θεοῦ » præcise evangelii scopo exprimendo inservit.

Et his igitur deduci posse apparet quarti evangelii auctorem, periculo quod ex falsæ christologiæ propagatione oriebatur, ad evangelium conscribendum permotum fuisse. Varia autem quæ collegimus indicia in hoc conspirant, ut doctrina cerinthiano dogmati contradictoria in evangelio propugnata asseratur.

Ad quæstionem autem de tempore quo Cerinthus doctrinam suam in Asia sparserit solvendam, pauca omnino eaque aliquatenus indeterminata suppetunt indicia. Plures tamen qui de hac re scripserunt auctores Cerinthum Joanni ephesino coævum fuisse dicunt, eumque Ephesi prædicasse plures tenent. ([1])

Hanc igitur de scopo evangelii sententiam ut solide probabilem habemus, et tùm traditione tum internis indiciis egregie commendatam.

Porro, an præter Cerinthum ejusque sequaces alii adver-

([1]) Ità Weizsæcker. *Ap. ZA.* p. 510 : « Denn Kerinth ist in Ephesus aufgetreden und zwar noch zur Zeit des Johannes. » — Harnack, *Chron. ACL. I.* p. 533 : « Cerinth, der im 2 Jahrh. Einigen als den Verfasser der johanneischen Schriften gegolten had, muss am Ende des 1 oder am Anfang des 2 Jahrh, gelebt haben » ; *it.* p. 680 n. 2. — Cfr Huempel *o. c.* p. 39 et Poggel, *o. c.* p. 119. — Henle : *Der Evangelist Johannes und die Antichristen seiner Zeit.* München 1864, p. 60, ss, p. 73.

sarii sive explicite sive implicite redarguuntur ? Nonnulli auctores hoc putarunt : utrum autem jure merito necne statim inquiramus.

Plures judaismum impugnari dixerunt (1). Ita recentius adhuc P. Batiffol quartum evangelium ad Judæorum refutationem, vel potius ad eorum conversionem scriptum fuisse declaravit (2).

Citat imprimis Batiffol plures textus in quibus legis mosaicæ abolitio gentiliumque vocatio modo clarissimo affirmatur (3). Hoc quidem minime negamus, at inficiamur inde sequi auctorem contra Judæos polemice agere. Etenim, præterquam quod similes textus etiam in aliis Novi Testamenti scriptis occurrunt, quin tamen in iisdem Judæi impugnentur, ipsa Christi divinitatis probatio ab auctore intenta, divinæ Christ missionis atque eo ipso finis Mosaicæ legis probationem implicite complectebatur. Quod autem veteris Legis cessationem tam expresse significet auctor et veluti factum omnino impletum declaret, epochæ tardiori, qua scripsit, diruto nempe jamdiu templo dispersaque Judæorum gente, tribuendum videtur. Insistit dein Batiffol in peculiari testimoniorum genere quæ ab auctore invocantur, apostolorum nempe (I, 14 ; II, 11 ; XX, 29 ;) Joannis Baptistæ, (I, 19-37), Patris (V, 34-36) et Judæorum coævorum (IX ; X ; XI).

At, iidem ipsi testes explicito divinitatis Jesu Christi testificandæ scopo præ cæteris sane inserviebant. Imo, illa testimonia in quacumque de Christi vita et doctrina tractatione invocanda erant, nec unquam poterant silentio præteriri.

---

(1) Ità Aberle-schanz. *Einleitung*, 1877, p, 90 ss. Joannem conatus Judaismi in Jabne restituti cohibere voluisse putavit.

(2) *Six Leçons*. p. 120. « Le quatrième évangile, dirons-nous avec M. Jülicher, n'est ni gnostique ni antignostique. Mais il faut dire qu'il est écrit pour réfuter, ou, si vous préférez, pour convertir les Juifs. »

(3) IV, 20-22 ; VII, 23 ; VIII, 32, 36 ; X, 7-16 : XI, 52.

Revera quod testes illi directe testantur non est ipsa judaicæ legis abolitio, sed potius divina Jesu Christi natura. Ità Jo. I, 14 : « καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός, πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. » Ita etiam ait I, 34 Baptista ait : « Κἀγὼ ἑώρακα, καὶ μεμαρτύρηκα ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ ὑιὸς τοῦ Θεοῦ ». Pariter II, 11, V, 34-36 etc.

Insufficentia igitur sunt indicia quæ allegantur ad ostendendum Judæorum in evangelio refutationem vel conversionem intentam fuisse. Si hunc scopum auctor prosecutus fuisset, probabiliter magis veteris Testamenti prophetiarum impletioni inhæsisset: in hac enim ostensione præcipuum ad Judæorum conversionem obtinendam reponebatur argumenter. Insuper licet sæculo primo exeunte, multi Judæi in Asia provincia commorarentur, non tamen a parte Judæorum christianis communitatibus præcipuum periculum oriebatur. Gnosticæ potius speculationes, judaismo sæpe compenetratæ, christologiam invadere tentabant: contra nascentes illos circa Christi personam errores Joannes asiaticas ecclesias præmunire voluerit testimonio suo authentico discipulatus (1).

Huic autem scopo dogmatico magna ex parte character omnino proprius quarti evangelii qualem supra descripsimus, tribuendus apparet : multum enim ille scopus ad materiæ delectum determinandum conferre debuit, sicut ad methodum modumque exponendi.

Antequam huic de quarti evangelii scopo disquisitioni finis imponatur, quædam dicenda remanent circa modum quo Joannis Baptistæ testimonium adducitur. Modus iste sane attentione dignus videtur : ctenim ratione omnino peculiari evangelista Baptistæ testimonio insistit. Jam C. 1 V 6 ss. dicitur Joannem non fuisse « lucem » ipsam, sed « tantum testimonium perhibuisse de lumine » ; v. 15 ite-

(1) Cfr. Loisy. *R. H. L. R.* 1898, p. 31 s.

rum Baptistæ testimonii significationem profitetur, donec v. 19 ss. circumstantias in quibus de Christo testificatus est atque testimonii tenorem indicet. (I, 19-28 ; 29-34). Duas declarationes complectitur, quarum prior sacerdotibus levitisque a Judæis deputatis facta fuit, altera autem propriis Baptistæ discipulis fuit exposita. Secunda declaratio priorem complet, ambæque simul sumptæ primum constituunt testimonium divinæ Jesu filiationi Verbique incarnationi tributum.

Sedulo autem animadvertendum est tempore S. Pauli Ephesi fuisse discipulos scientes « tantum baptisma Joannis », et qui « neque si Spiritus sanctus est » audiverant. (Act. XVIII, 24-XIX, 8). Ex alia parte testimonio libri Actuum (XVIII, 24 s.) illos discipulos christianismum suum imperfectum Ephesi prædicasse novimus.

His omnibus perpensis, ac speciali notata cura, qua evangelii scriptor Baptistæ de Messia testimonio inhæret, satis probabile apparet eum in locis commemoratis Baptistæ discipulorum memorem fuisse. Inde tamen immerito aliquis concluderet tempore quo editum fuit quartum evangelium Joannis Baptistæ sectatores adhuc exstitisse, horumque confutationem tanquam finem polemicum, licet secundarium, ab auctore fuisse intentam. [1]

---

[1] Cfr. diversimode de hac quæstione sentientes Bleek-Mangold, *Einl.* p. 404. — Godet I, p. 364 s. — Weizsæcker, *Ap. ZA.* p. 525 s. — Wrede, *Göttingische Gelehrte Anzeigen* 1896, p. 527. — Batiffol : *Six Leçons*, p. 123. — *R. H. L. R.*, II, p. 143 s.-III, p. 34 — Von der Goltz, *T. U*, 5, p. 171 ss. — Zahn, *Einl.* II, p. 542, scopum vere polemicum admittit contra tales qui Baptistæ personæ nimis adhærebant, atque specificam differentiam Christum inter et Baptistam negabant.

SCHOLION.

De progressu historico narrationis, vitæque publicæ Christi divisione apud quartum evangelistam.

Disquisitio hæc licet ad quarti evangelii auctorem cognoscendum parum directe conferre possit, indirecte tamen ad hunc finem utilitatem præbet, cùm ex una parte hujus evangelii peculiarem indolem suo modo delineet, et ex alia parte nata sit varias illustrare quæstiones jam tractatas, uti relationem ad synopticorum narrationem, scopum, etc. Utrumque punctum in titulo indicatum satis intime connecti patet.

Plures auctores, scholam Tubingensem secuti (1), narrationem vitæ Christi vere historicam quarto evangelio denegarunt duplici præsertim nixi argumento ; quatenus scil. in hoc evangelio tùm perfecta conscientia quam Christus de messianico suo munere statim ab initio manifestat, tùm etiam finalis exitus initio prævisus atque paratus (I, 19, 24) omnem verum historicum progressum plane impossibilem reddant.

Jamvero, finis vitæ atque missionis Christi sane temporis decursu menti discipuli vividior imprimebatur, ipsiusque Spiritus revelatione (XVI, 13 ss.) magis magisque clarior apparebat ; neutra tamen ex rationibus allegatis cogit ad negandum progressum narrationis historicum. Quod ex

---

(1) Keim, Wittichen, Reuss, Stap, Sabatier, *aliique*. — Cfr Luthardt, *o. c.* p. 166 ss. — Godet, *o. c.* I, p. 162, ss. — Lightfoot, *Biblical Essays*, p. 190, ss. — Weiss, *Einl.* p. 582.

ipso narrationis interno examine ejusque cum synopticis comparatione paucis ostendere juvat.

Etenim, quod attinet ad illud quod dicitur, Jesum apud Joannem suæ messianitatis conscientiam ab initio habere perfectam, libenter concedimus Jesum talem initio vitæ publicæ se prodere qui se esse Messiam plane persuasum habeat ; sed negamus exinde sequi reliquum evangelium nihil lucis hac in re affundere ; negamus præterea illam messianitatis conscientiam in Christo apud Synopticos realiter evolvi.

Ità quoad duos priores synopticos, conscientia messianitatis divinæque filiationis ex historia baptismi Christi elucet (*Mt.* I, 11 ss ; *Mc.* I, 4 ss.) Quid enim aliud sibi volunt laus Christi a Baptista prolata, prædictio novi baptismatis quod « in Spiritu sancto et igne » fiet, Baptistæ hæsitatio, Spiritus Dei descendens sicut columba et veniens super Jesum, « vox de cœlis dicens : Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui ? ». Matthæus igitur et Marcus ab ipso narrationis exordio Christum Messiam prædicant. Quod eodem jure de Luca affirmatur, ubi Christus ipse jam C. II, 49, ait : « nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse ? », idemque Joannis Baptistæ testimonium occurrit (III, 15 ss.) aperteque Judæi eum rogant an « forte ipse esset Christus ? » Ad ipsam igitur conscientiam Messianitatis quod spectat eodem modo de quarto evangelio ac de synopticis est dicendum : ab ipso exordio utrobique apparet completa. Verus tamen obtinuit progressus in Christi indole messianica revelanda, simul ac in fide quam discipuli populusque judæus illi revelationi tribuerunt. Jamvero hujusmodi revelatio gradatim propalata, ac ipsi plerumque correlativus fidei assensus a parte discipulorum in Joannis evangelio nullo modo desiderantur.

Tantum abest ut Christus publice semper se Messiam aperte confiteatur, ut hæc confessio tantum privatim mulieri samaritanæ facta fuerit (IV, 25 ss.), Judæi vero tribus tan-

tum ant epassionem mensibus publicam et apertam declarationem expostularent : « si tu es Christus, dic nobis palam » (X, 24). A prima revelatione et primo testimonio Christo per Joannem Baptistam tributo, usque ad supremum culmen quo discipulorum fides in persona Thomæ antea increduli pervenit clamantis : « Dominus meus et Deus meus » (XX, 28) — gradatim evolvuntur tum Christi manifestatio, tum discipulorum fides, tum etiam Judæorum incredulitas (1).

Ità quoad manifestationem quam de seipso apud Joannem Christus tradit, pro variis in quibus versatur adjunctis, varia exponit attributa et variarum ope simulitudinum novas proprietates patefacit. Ità II, 18 ss. invenitur resurrectionis prædictio ; III, 5 : nova nativitas ex aqua et Spiritu sancto ; III, 14 comparatio cum serpente æneo ; III, 19 ss. : lux in mundo ; III, 25 ss. : novum testimonium Christo a Baptista redditum ; IV, 10 : aqua viva ; V, 17 ss. Filii prærogativæ cum Patre communes ; V, 36 ss. : testimonium majus Joanne : Patris, scil. Scripturarum atque ipsius Moysis ; VI, 32 : panis de cælo verus ; VI, 48, panis vitæ ; VI, 63 : Filius hominis ascendens ubi erat prius ; VII, 38 : flumina aquæ vivæ ; VIII, 12 : lux mundi ; VIII, 36 : liberatio per Filium ; VIII, 58 : æternitas ; X, 7 : ostium ovium ; X, 11 : pastor bonus ; X, 28 : vita æterna data ovibus ; X, 30 : Ego et Pater unum sumus ; XI, 25 : Ego sum resurrectio et vita ; XIII, 34 ss. : mandatum novum ; XIV, 1 Fides Christo adhibenda : XIV, 6 : Ego sum via et veritas et vita ; XIV, 10 : Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est ; XIV, 16 ss. : promissio Spiritus paracliti ; XV, 1 : Ego sum vitis vera ; XVI, 27 : credidistis quia ego a Deo exivi ; XVII, 3 : Hæc est autem vita æterna : ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.

---

(1) Cfr. Godet *o. c.* I p. 111 s.

Quoad Apostolorum fidem in Christum Messiam, idem progressus in quarto evangelio deprehenditur. Ipsius enim Baptistæ de Christo tanquam Messia testificantis discipuli vel auditores fuerant, vel saltem solemnis ejus testimonii notitiam acceperant, adeoque ab ipso Christi missionis exordio quæstio circa eum erat agitata non tam « quis Christus esset », quam « an jure necne Messias diceretur ». Unde eo ipso quod discipuli se Christo prædicanti adjungebant, fidem suam licet adhuc vacillantem atque imperfectam in Messiam implicite profitebantur. Quod autem initiali apostolorum fidei plus quam alii evangelistæ inhæret, hoc potius universæ ejus evangelii indoli (1) atque scopo tribuendum est. Cæterum Joannes ipse explicite discipulorum in fide progressum testatur, dum v. g. II, 11 ait : « Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ : et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus ». Hæc fides juxta tradita in priori capite intelligenda apparet de fidei augmento, miraculorum visione parto. Fidei augmentum a variis circumstantiis procuratum testantur etiam loci sequentes, quos tantum indicabimus : VI, 67-70; XI, 15 ; XVI, 29-31 ; XVII, 8 ; XX, 8, 29.

***

Veniamus jam ad ipsum progressum eventuum seu historicum. An vera evolutio joanneæ narrationis est asserenda ?

Multi auctores inde a Baur idealismi et mechanicæ evolutionis arguunt quartum evangelium, omnisque proprie dicti progressus historici possibilitatem jam exinde negandam putant, quod statim ab initio exitus ministerii et vitæ Christi indicetur. (II, 19, 24).

At, quomodo hæc generalis indicatio Christique præscientia narrationis inertiam atque immobilitatem probet profecto non videmus. Quid tunc de Marci evangelio dicendum, ubi c. III, 6 dicitur : « Exeuntes autem Pharisæi,

(1) Cfr. Luthardt *o. c.* p. 171.

statim cum Herodianis consilium faciebant adversus eum quomodo eum perderent » ? Attamen, secundi evangelii evolutionem historicam nemo negabit. Cæterum in joannea narratione continua habetur lucta fidem inter et incredulitatem, adeo ut paulatim et longo processu exitus præparetur.

Exposita prima Jesu manifestatione judæis deputatis per Baptistam facta (I, 19 ss.), propriaque Christi coram primis discipulis revelatione relata, incipit proprie dicta evangelica narratio. Omniscientiam (I, 40 ss.) omnipotentiamque (II, 1 ss.) postquam coram discipulis probaverat Jesus, ministerium suum publicum per templi purificationem incipit (II, 13 ss.). Apparent statim prima Judæorum diffidentiæ indicia (II, 18-20), ex alia tamen parte multorum fides ostenditur (II, 23). Christus deinde seipsum coram Nicodemo revelat (III, 1 ss.), et, altero a Baptista testimonio accepto (III, 25 ss.), « ut cognovit quia audierunt Pharisæi quod Jesus plures discipulos facit et baptizat quam Joannes,... reliquit Judæam et abiit iterum in Galilæam. » (IV, 1 ss.). Habito eum muliere samaritana colloquio (IV, 5 ss.), « multi crediderunt in eum Samaritanorum » (IV, 39). Sanatio filii reguli in Galilæa peracta fidem reguli totiusque ejus domus provocat. (IV, 45 ss.).

Jerosolymam autem reversus, Christus propter claudi sanationem in Sabbato peractam, et propter apertam divinitatis suæ revelationem (V, 1 ss.) incipienti Judæorum persecutioni obnoxius est. Etenim jam « magis quærebant eum Judæi interficere » (V, 18). Respondit Jesus, in sui justificationem invocando testimonium Joannis Baptistæ, operum, ipsius Patris atque Scripturarum (V, 18 ss.). Reversum Jesum in Galilæa magna sequitur multitudo « quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur » (VI, 1 ss.). Panibus multiplicatis, multitudo eum regem facere vult (VI, 15) ; Jesus autem se subtrahit turbæ, quæ eum nihilominus sequitur ; deinde occasione novæ revelationis murmurarunt multi discipulorum ejus et « abierunt

retro », dum duodecim Petro duce fidem confessi sunt (VI, 15 ss.). Post hæc ambulabat Jesus in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambulare : quia quærebant Judæi eum interficere » (VII, 1). Occasione diei festi Scenopegiæ (1), « ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto » (VII, 10) propter metum scil. Judæorum.

Tunc in Judæa, incredulitatis sede principali, lucta ingens incepit. Prædicante Jesu, « de turba multi crediderunt in eum » (VII, 31) ; at, « Pharisæi..... miserunt principes et ....ministros ut apprehenderent eum » (VII, 32), sed infectis rebus et ipsa Christi prædicatione victi redeunt ad Pontifices et Pharisæos apud quos Nicodemus Jesum defendit (VII, 33 ss.). Sequitur mulieris adulteræ adductio « ut possent accusare eum » (VIII, 6) ; nova orta disputatione, (VIII, 12 ss.) multisque interea credentibus (VIII, 30), alii « tulerunt.... lapides ut jacerent in eum : Jesus autem abscondit se et exivit de templo » (VIII, 59). « Jam... conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret » (IX, 22) ; atque sanatio cæci nati eos magis indurat (IX, 34).

Post novam apertamque divinitatis confessionem, Christum lapidare volunt (X, 31) ; sed Jesus « exivit de manibus eorum » (X, 39), et abiit trans Jordanem, ubi multi ad eum venerunt atque in eum crediderunt (X, 40 ss.). Occasione mortis Lazari (XI, 1 ss.) iterum in Judæam transit, et Lazaro resuscitato, multi ex Judæis crediderunt in eum (XI, 45), Pontifices vero et Pharisæi colligunt concilium (XI, 47) Christum morti tradendum esse decernunt, dantque « mandatum ut si quis cognoverit ubi sit, indicet ut apprehendant eum » (XI, 56).

Occasionem quidem brevi invenient ; antea tamen turba Christi ingressum triumphalem in Jerosolymam celebrat (XII, 1 ss.) ità ut Pharisæi timeant (XII. 19). Occasione

---

(1) VII 5 obiter notatur « fratrum » incredulitas.

triumphalis hujus ingressus gentes alloquitur (XII, 20 ss.) turbamque adstantem (XII, 29 ss.). Deinde Jesus « abiit et abscondit se ab eis » (XII, 36). Luctam Christi, cum Judæis incredulis ministeriumque publicum absoluta censet evangelista ità ut animadvertat : « Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum » (XII, 37).

Sequitur completa Christi, coram discipulis revelatio (XIII-XVII) quos traditor relinquit (XIII, 30) cum Christi adversariis de tradendo Magistro pasciturus. Proditio autem illa apud Joannem pluribus locis paratur, nec ità repente ac apud synopticos adducitur (VI, 70 ss., XII, 4 ss., XIII, 2, 11, 18 ss, XVII, 12). A c. XVIII passionis historia incipit, ejusque varia adjuncta Joannes minutim exponit (1). C. XX demum discipulorum fides in Christum de morte triumphantem roboratur ; exponitur evangelii scopus (XX, 31), et appendix annectitur (c. XI).

Summaria hæc historici nexus expositio narrationis texturam atque progressum revelat, diversaque ostendit fata pugnæ « lucem » inter et « tenebras » initio jam annuntiatæ (I, 5), ità ut plane ignoremus quomodo auctores quidam (2) evolutionem hanc negare potuerint. Historiæ progressus multo clarius elucet quam in narratione synopticorum.

***

Ad operis *divisionem* quod attinet, indubium, nostro judicio, distinctionis indicium auctor c. XII, 37 ss. tradit, ubi ministerium Christi publicum absolutum censet atque de ejus in judaicum populum effectu sermocinatur : « Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebunt in

---

(1) V. g. XVIII, 2-3, 12-13, 24, 28, 39-40 ; XIX, 1, 4-6, 15-16 etc.

(2) Ita E. Reuss *o. c.* p. 23 « Y a-t-il quelque part la moindre trace d'un progrès, d'un développement dans n'importe quel sens, comme on a cru le découvrir dans les Synoptiques, et qui nous montrerait une tendance rétrograde dans les chances de succès ou qui préparerait la catastrophe ? » Eodem fere modo Stap, Sabatier, Keim, Wittichen aliique plures.

eum » (1). Ut diximus, his verbis se propositam luctam tenebras inter et lucem absolvisse ostendit.

Quæritur autem utrum aliud ejusmodi indicium materiæ partitionis reperiri possit, in specie utrum c. IV, 54 cum pluribus auctoribus divisionis signum sit agnoscendum ? Versus intentus ità sonat: « Hoc iterum secundum signum fecit Jesus cum venisset a Judæa in Galilæam. »

Jamvero, indicium illud a pluribus propositum rejiciendum esse arbitramur. Imprimis enim indicatio illa mere geographica rem probare non videtur, cùm antea et in Judæa fuerit Christus, et postea in Galilæam venerit. Deinde, ut ex dictis circa historicum progressum satis constat, lucis cum tenebris lucta antea jam incœperat. Demum, toto narrationis decursu novæ Christi revelationi hinc fides illinc infidelitas respondet : hæ autem contrariæ manifestationes jam ante caput V incipiunt et post illud rursus apparent.

Unde arbritarium nobis videtur tres in prologo partes, hisque tres in narratione respondentes sectiones distinguere. Duas igitur tantum partes, (præter prologum I, 1-I,15, et appendicem c. XXI) distinguimus propria auctoris animadversione XII, 37 notatas. Prioris partis objectum, ut ex præcedentibus patet, in eo est ut per vitam Christi publicam pugna evolvatur tenebras inter et lucem, seu ex una parte diversæ manifestationes et revelationes divinitatis Christi, ex alia autem parte paucorum fides, nationis vero judaicæ incredulitas innotescant. In secunda autem parte continuatur intima Jesu revelatio discipulis facta, exponitur apparens et momentanea tenebrarum victoria, finalis vero triumphus lucis seu Christi.

---

(1) Cfr. Aberle-Schanz *Einleitung in das N. T.* Freiburg i. B. 1877 p. 93. Hujus tamen auctoris explicatio C. XII, 37 ss. haud probanda videtur, quatenus nempe Joannes objectioni responderet « Judæi (scil. incolæ ipsius civitatis Jerosolymæ atque viciniæ) non credebant in eum quia miracula *coram eis* non fecerat. » Eodem modo polemicam significationem c. XIII, 1 ab erudito auctore (*o. c.* p. 96) assertam negandam esse censemus.

CAPUT IV.

De Psychologia Auctoris.

Quarti evangelii auctor, ut jam sæpius diximus, peculiarem de Christi vita sentiendi rationem in animo suo impressam habuit. Ut in tractationis decursu observavimus, non tantum historicam Christi vitæ narrationem tradit, sed simul modo quodam vividiori atque sublimiori quam Synoptici, gesta Christi ejusque sermones refert. Hinc inde talia occurrunt indicia, quæ profundiorem quarti evangelistæ circa Messiæ ministerium meditationem testificantur ([1]). Plures auctores talem concipiendi modum utpote apostolo qui revera cum Christo conversatus fuisset impossibilem, Joanni apostolo abjudicant, eamque discipulo Christi mediato tantum tribuunt. Neque fides, dicunt, neque quævis philosophica convictio realitatem historicam transmutare potuit ([2]) in imaginem tam idealem atque sublimem, qualem de Christo Joannis evangelium præbet. Unde et alii ad prædominantem subjectivi idealisque elementi influxum in evangelio asserendum, imo ad omnem ei historicum valorem denegandum deveniunt ([3]).

([1]) Cfr. v. g. I, 14 ; II, 21-22 ; VI, 64 (in textu græco) ; VII, 15 ; præsertim XII, 37-43 etc.

([2]) Cfr. Weizsæcker *Ap. ZA.* p. 517 : « Keine Macht des Glaubens und der Philosophie kann gross genug vorgestelt werden, um die Erinnerung des wirklichen Lebens so auszulöschen und dieses Wunderbild eines göttlichen Wesens an ihre Stelle zu setzen... Für einen Urapostel ist es undenkbar. » — Holtzmann *Einl.* p. 446, 450, 452.

([3]) P. Keppler, *Das Joh-Ev. und das Ende des 1 christl. Jahrh.* 1883 p. 5 — O. Pfleiderer, *Das Urchristenthum*, p. 758 ss. — Holtzmann *Einl.* p. 435 ss. — Loisy etiam asserit : « Il n'écrit pas une histoire de Jésus, mais plutôt un traité de la connaissance de Jésus. » *(R. H. L. R.* 1897 p. 266).

Huic quidem ratiocinandi modo jam antea partim satisfactum est. Diximus nempe rationem qua Joannes de Christo loquitur nihil habere quod a priori tanquam a vera historia abhorrens jure dici possit.

Sed interno evangelii charactere jam notato, ulterius indagare oportet.

Imprimis, ad ipsum evangelii historicum valorem in se spectatum quod attinet compertum habuimus narratione joannea synopticorum historiam modo omnino naturali compleri. Plura etiam eaque nova elementa historica auctor addit, tantaque cum fiducia ac libertate vitæ Christi gesta tradit, ut modus ipse exponendi oculatum testem, talemque exhibeat qui multo plura de Verbo incarnato communicare potuisset. Ex uberrimo enim fonte ipsum depromere apparet, ità ut nihil exquisitum vel parum naturale aut circumstantiis inconveniens notetur, nullibi conatus vel etiam subjectivus ac polemicus animus deprehendatur.

Sane propositum scopum auctor confitetur prosequiturque ; at, qui scribendo vitam resque narrando destinatum finem intendit, non necessario fictitiam tradit biographiam, nec ineluctabiliter imaginationis phantasmatibus indulget. Finis potius ità influit, ut narrandarum rerum delectui atque ordinationi præsideat ; hacque methodo quartum evangelium scriptum fuisse ipse auctor expresse fatetur (XX, 30-31).

Innumera minutaque sive locorum et temporum, sive etiam personarum adjuncta obiter et confidenter proposita mediis in sermonibus occurrunt, eumque revelant scriptorem, qui de fide ejusmodi historicis elementis adhibenda minime dubitet. In tota insuper ejus expositione magna elucet quam fovet auctor confidentia, fore nempe ut vitæ Christi imago a se tradita cum coæva christianorum circa Messiam fide prorsus conveniat, nec synopticorum imagini contradicat.

Et tamen reales synopticorum inter et Joannis narratio-

nem differentiæ intercedunt, et vere altior Joannis de Christo doctrina nobis apparet.

Causa hujus peculiaris quarti evangelii indolis, non exclusa sane gratiæ influxu, ipse auctoris character imprimis assignandus est.

Familia non omnino humili Capharnaum ortus videtur : etenim parentes ejus Zebedæus et Salome pauperes non erant, cùm pater mercenarios habuisse dicatur (Mc. I, 20), et mater ejus inter mulieres quæ Dominum a Galilæa secutæ facultatibus suis ministrabant connumeretur (Mt. XXVII, 55-56 ; Mc. XV, 40-41 col. Lc. VIII, 3). Salome vocabatur uti ex adductis textibus constat, et juxta Mc. XVI, 1 coll. Lc. XXIII, 55 s. XXIV, 1 inter mulieres numeratur quæ aromata emerunt ad corpus Jesu ugendum. Joannes præterea notus erat Pontifici (Jo. XVIII, 15-16. Unde immerito ut homo rudis omnique cultura expers traducitur. Erat Joannes indolis fervidæ ac religiosæ. Nam discipulus erat Joannis Baptistæ et audito magistri sui de Christo testimonio, cum Andrea statim Dominum secutus est (Jo. I, 36 ss.). Simul cum fratre suo Jacobo ad continuam Domini sequelam invitatus fuit ; uterque statim omnibus valedixit ut Domino se conjungeret (Mt. IV, 21 ; Mc. I, 20 ; Lc. V, 10-11). Ambo postea apostoli eliguntur (Mt. X, 3 ; Mc. III, 17, Lc. VI, 14), et Jesus « imponit eis nomina Boanerges, quod est Filii tonitrui » (Mc. III, 17). Hujus nominis autem impositio valde probabiliter ad indolem illorum vehementiorem ac fervidam alludit (1), cujus aliud prodiderunt indicium, quando in Samaritanos, Dominum hospitio recipere nolentes, ignem de cœlo mitti cupiebant (Lc. IX, 52 ss.). Zeli sui æstuosi in magistrum novum specimen dedit Joannes, prohibendo quemdam dæmonia

(1) Licet cum omnimoda certitudine dici nequeat ad quamnam illorum dignitatem vel qualitatem significandam Christus illud nomen imposuerit. Cfr. Beelen, in Mc. III, 17 (*Het Nieuwe Testament*, Brugge, 1891 T. I, p. 223).

ejicientem qui non erat in Christi comitatu (Mc. IX, 38 t. gr.). Joannes etiam notus Pontifici Petrum in atrium Pontificis introducit (Jo. XVIII, 15).

Nec mirum igitur Joannem inter tres illos discipulos fuisse quibus magis familiariter Christus utebatur ; quos nempe testes esse voluit resuscitationis Jairi filiæ, transfigurationis suæ atque agoniæ (Mc. V, 37 ; IX, 1 ; XIV, 33 ; coll. XIII, 3). Hinc Joannes et frater ejus Jacobus primum locum in regno Messianico expetere non dubitant (Mc. X, 37) (1).

Joannem autem præ cæteris peculiari amore prosecutus est Christus : in quarto evangelio vocatur « discipulus quem diligebat Jesus » (XIII, 23 ; XIX, 26 ; XX, 2 ; XXI, 20) ; in ultima cœna in sinu Domini recubuit (XIII, 23, 25 ; XXI, 20) ; ei innuit Petrus ut Christum de proditore interroget (XIII, 24 ; XXI, 20), eique Jesus moriens matrem suam commendavit (XIX, 25 ss.).

Post Christi mortem, eodem in Dominum ejusque doc-

(1) Casu autem quo quatuor mulieres apud Jo. XIX, 25 tanquam cruci adstantes nominarentur ac cum quatuor mulieribus apud Mt. XXVII, 56 et Mc. XV, 40 enumeratis forent identificandæ, « soror matris ejus » apud Joannem Salome fuisse dicenda esset. In hac sententia « mater filiorum Zebedæi » quemadmodum Maria Cleophæ soror fuisset matris Christi. Unde Joannes Apostolus vinculo sanguinis cum Christo junctus fuisset et forsan sanguinis vinculum inter Baptistam et Joannem apostolum (Lc 1, 36) tunc admittendum foret. (Cfr. Zahn, *Einl.* II p. 453). Unde Joannis apud Baptistam primùm, deinde apud Christum apostolatus, etiam abstrahendo a gratia, modo plane naturali explicaretur. Addit Zahn *o. c.* p. 455 : « Dass er Beziehungen zu dem Hohenpriester Kajaphas hatte und der Dienerschaft in dessen Hause bekannt war (18, 15 f.), ist eine überraschend neue Nachricht, erscheint aber weniger befremdlich, wenn wir uns erinnern, dass die Frau des Zebedäus eine Priestersdochter und die Familie zwar nicht vornehmeren Standes und höherer Bildung war (Act. 4, 13) aber doch dem wohlhabenden Mittelstand gehörte Auch durch Act. 4, 13 wird bestätigt, dass der Apostel Jo. ebenso wie Pt. von der Lebenszeit Jesu her dem Einem oder Andern aus dem hohepriesterlichen Kreise von Angesicht bekannt war. »

trinam amore æstuasse videtur apostolus dilectus, quemadmodum ex variis Scripturæ locis constat, et aliis ejus scriptis apparet (1).

Ratione igitur hujus zelosæ simul ac religiosæ indolis, ratione etiam intimi cum Christo amicitiæ vinculi, nullus forsan in collegio Apostolorum tam idoneus erat ac Joannes, ut vitæ ac prædicationis Christi imaginem tam alte menti imprimeret, ac de dilecti Magistri missione sensus tam sublimes conciperet (2). In intimiori illo cum Christo vitæ commercio, adjuvante utique gratia, discipulo « quem diligebat Jesus » datum fuisse ut profundiori modo Christi naturam scrutaretur quis inficias ibit ?

Psychologicam igitur hujus sublimioris conceptionis possibilitatem tali Apostolo, qualis Joannes fuit, immerito denegaretur. Insuper qui fundamentalem doctrinam circa Christi naturam ac missionem identice in synopticis inveniri perpendet (3), Joannem fatebitur propria conceptione historiam non adulterasse, verùm Christi imaginem ex ipsa historia, qualis ab initio vividæ ejus imaginationi fuerat impressa, et diuturna meditatione revolvebatur, desumptam fuisse. Tam vivax atque vehemens ingenium ad vitam Christi modo peculiari delineandam ejusque imaginem colore proprio ac vivido totam compenetrandam, vel ex intima sua natura necessario impellebatur.

Et sane peculiarem hanc de Christi vita imaginem decursu temporis Joannes magis magisque profunda meditatione sibi propriam fecerat. Excidium dein nationis judaicæ templique destructio ac religionis christianæ extra

---

(1) *Jo.* XX, 3 ss. *Act.* III, 1 ss. ; IV, 13, 19 ; VIII, 14 ss. — *Gal.* II, 9. — *Apoc.* I, 9 etc.

(2) Cfr. Resch *T. U.* X, 4 p. 38 : « Johannes war ein Feuergeist, für die tiefste theologische Speculation befähigt, für die höchste Entwickelung der Gedanken veranlagt. (Vgl. Eus. Præp. ev. XI, 18 : Ἰωάννην τὸν Ἑβραίων θεολόγον). »

(3) Cfr. v. g. Knabenbauer, *Evangelium in Joannem,* Parisiis 1898, p. 28 s.

Judæam diffusio, plura Christi verba authentico modo confirmabant, eorumque sensus vividior apparebat. Cæterum quo tempore quarti evangelii auctor scribebat, ecclesiarum necessitates spirituales ac religiosæ in dies etiam extendebantur. Synopticorum narrationes primam evangelii diffusionem comitatæ fuerant, et facta præcipua e Christo novamque legem ab ipso allatam tum Judæos dispersionis, tum paganos docuerant. At, semel ac prædicatum fuerat evangelium, duplex doctrinæ evolvendæ ratio statim suboriebatur. Etenim ex una parte novæ communitates christianæ Christi personæ melius cognoscendæ studebant, dum ex alia parte doctrina christiana juxta varias in quibus propagabatur regiones, varia philosophica et theosophica systemata obviam habebat.

Theosophicarum autem speculationum atque nascentis gnosticismi centrum erat Ephesus, quo alexandrina circa *logon* doctrina ac cerinthiana gnosis confluebant, atque Christi divinitatis dogmati periculum creabant.

Hæc omnia autem adjuncta in causa fuerint cur Joannes, dogmaticum scopum prosequens, ex uberrima copia quæ de mirabili vita Christi referre poterat, ea elegerit talique modo coordinaverit eaque exposuerit methodo, ut imaginem temporis atque loci necessitatibus magis adaptatam delinearet.

Græci præterea idiomatis usus, Joannes ab infantia valde probabiliter familiaris (1) novam jam atque typicam dog-

(1) Cfr. Van Steenkiste, *S. J. Ev. secundum Matth.* Brugis, 1882, IV p. 1505: « Persuasum nobis est Jesum græce etiam interdum locutum fuisse, ut innuitur Jo. 7, 35.... Pariter Jo. 12, 20 sq. Salvator cum *gentilibus* quibusdam sermocinatur. Id autem confirmatur ex eo quod id temporis ista lingua apud Judæos, etiam Palæstinenses, in communi vitæ consuetudine esset familiaris, atque in scribendo maxime legendoque adhiberetur. »

Th. Zahn, *Einl.* I p. 24 ss. Ita p. 29. « Aber Jesus und seine Jünger müssen auch im Stande gewesen sein, gegebenen Falls auf eine griechische Anrede griechisch zu antworten. Leute, welche schwerlich Hellenen genannt sein würden, wenn sie wie die Juden aramaisch gesprochen hätten, wenden sich mit ihrem Wunsch, die persönliche

matorum expressionem consecraverat, ità ut plurium ejusmodi vocabulorum usus etiam ad specialem orationis habitum in quarto evangelio constituendum contulerit.

Denique et altera ratio silentio prætereunda non videtur quæ ad apostoli psychologiam constituendam inservire potest. Et, ut optime notat Batiffol (1), etiam ab iis, qui supernaturalium charismatum existentiam negant, immerito hæc ratio despectui haberetur, cum saltem conscientiam apostoli manifestet ejusque methodum. Sequentibus autem evangelii locis exponitur : XIV, 15-21 « Si diligitis me : mandata mea servate. Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere quia non videt eum nec scit eum, vos autem cognoscetis eum : quia apud vos manebit, et in vobis erit. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos. Adhuc modicum et mundus me jam non videt. Vos autem videbetis me quia ego vivo et vos vivetis. In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis. Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo : et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum ». Dein XIV, 25-26 : « Hæc locutus sum apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis » ; XV, 26-27: « Cum autem venerit Paraclitus quem ego mittam vobis a Patre spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me : et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis ». Demum XVI,, 12-15 : « Adhuc multa habeo vobis dicere : sed non potestis portare modo. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem ; non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque

---

Bekanntschaft Jesu zu machen, ohne Weiteres an die beiden Apostel griechischen Namens. » (Jo. 12, 21).

(1) *Six Leçons*, p. 127. — Cfr. etiam Resch *o. c.* p. 38 ss.

audiet loquetur, et quæ ventura sunt annunciabit vobis. Ille me clarificabit quia de meo accipiet et annunciabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater mea sunt. Propterea dixi : quia de meo accipiet et annunciabit vobis ».

Testante igitur ipso auctore, opus Spiritus illius Paracliti vera erat apostolorum institutio : « ille vos docebit omnia et suggeret (ὑπομνήσει : in memoriam revocabit) vobis omnia quæcumque dixero vobis ». Juxta Christi igitur promissionem futurum erat ut continuo a Spiritu Sancto edocerentur atque illuminarentur, ità ut cuncta quæ in Jesu verbis tunc temporis obscura adhuc erant, postea clare perspicerent. Hæc verba igitur Joannis psychologicam ac mysticam dispositionem scrutanti firmam ejus persuasionem ostendunt, eum de omnibus Christi dictis, deque eorum vera significatione a Spiritu edoceri. Hæc autem intima auctoris persuasio consideranda est atque pensanda, ubi causæ inquiruntur libertatis cujusdam in quarto evangelio cum scrupulosa historica fidelitate consociatæ.

Psychologicæ possibilitatis joanneæ de Christo imaginis, necnon personalis apostolici sigilli in evangelium impressi rationes vere sufficientes assignatas fuisse arbritamur ([1]).

***

Cæterum hæc de Christi vita et missione cognitio in primæva Ecclesia, non adeo erat Apostolo propria et personalis, ut tota exclusive ad eum pertineret. Etenim jam ante quarti evangelii scriptionem talia hinc inde deprehen-

---

([1]) Notatu digna est hæc conclusio A. Resch *o. c.* p. 48: « Jedenfalls lässt das innere Selbstzeugniss des johanneischen Evangeliums seinen Verfasser als eine Persönlichkeit erkennen von so erhabener Geistesgrösse, von so reicher Fülle selbstständiger geschichtlicher Erinnerungen, von so sicherer Vertrautheit mit Allem was auf Jesu Person, seine Umgebung und seine Lebensschicksale Bezug hatte, von so tiefem Einblick und von so völliger Hingabe des Herzens an den geliebten Meister, als man nur bei einem der hervorragendsten Urapostel voraussetzen kann. »

duntur indicia, talesque imagines quæ cum Joannis concipiendi modo certam similitudinem præ se ferunt. Hæc per singula prosequi ad nos non spectat. Sufficiant igitur sequentia summaria indicia.

Pluries in testimoniis quibusdam de quarti evangelii existentia examinandis, præsentem quæstionem indirecte tetigimus.

Ità de *Doctrina XII Apostolorum* agentes, preces eucharisticas in hoc opusculo servatas, elementum quoddam esse primævæ traditionis christianæ a Joanne consecratum (c. 6 et 17) notavimus (1). Obiter etiam sententiam indicavimus a von der Goltz propositam, qui, ut jam diximus, conceptionem quamdam peculiarem christianismi obtinuisse tenet, eamque in Joannis evangelio ejusque epistolis stylo quasi classico expressam fuisse docet. In schola autem seu theologia joannea duplicis quasi speciei elementa reperit, talia nempe quæ in pluribus aliis scriptis (scil. in Ep. ad Ephes., Apoc., Ignatii epp., Didache, ep. Polycarpi et in locis quibusdam synopticorum evv.) occurrunt, — alia vero quæ clare tantum in quarto evangelio et apud S. Ignatium inveniuntur.

Ad prius elementorum genus sequentes reducendæ sunt ideæ: in precibus eucharisticis *Doctrinæ* occurrentes, ὁ λόγος· τὸ ὕδωρ τῆς ζωῆς conceptus ζωή, ἀφθαρσία, τροφὴ πνευματική; præterea: στέφανος τῆς ζωῆς πίστις καὶ ἀγάπη, mandatorum observatio, magna amoris Dei exaltatio, sanguinis aquæ et Baptismatis connexio, antithesis inter mortem et vitam, inter lucem et tenebras, ὁ μόνος et ὁ μονογενὴς υἱος, crux ut dispersorum credentium vexillum cogitata (2).

---

(1) Observat von der Goltz *o. c.* p. 174 « Die Gebete der Did. können übrigens sehr gut aus Kleinasien stammen. »

(2) *O. c.* p. 169 ubi ultima verba sequenti modo redduntur: « das Halten der Gebote, die starke Hervorhebung der Liebe Gottes, die Verbindung von Blut, Wasser und Taufe, den Gegensatz von Tod und Leben, Licht und Finsternis, den μόνος resp. μονογενὴς υἱός, das Kreuz als Banier für Sammlung der zerstreuten Gläubigen (vgl. Joh.

At S. Ignatius cum quarto evangelista quædam fere omnino exclusive propria habet, quæ independenter tamen ab hoc evangelio ([1]) in Joannem apostolum tamquam in fontem reducenda videntur: ejusmodi est quod in quarto evangelio habetur sanctissimum simul ac altissimum, nempe religiosa Christi ad Patrem habitudo ([2]), necnon vivida quam Ignatius solus inter coævos de vita ac indole Domini exhibet imago ([3]).

Totam suam eruditam disquisitionem concludit von der Goltz dicendo, in quarto evangelio traditionem contineri summi valoris ab apostolo Joanne oriundam et ante diffusionem evangelii notam, quæque tum primævas ideas christianas, authentica Domini verba et historica elementa complectitur ([4]).

Eodem modo Harnack ([5]) opinatur complexum quemdam doctrinarum, ex ipsis Ecclesiæ incunabulis oriundum, tanquam fundamentum atque basin joanneæ theologiæ assignari posse, ità ut quarti evangelii theologicæ conceptiones immerito tanquam in primævis litteris christianis solitariæ traducantur. Vestigia enim doctrinæ illius antiqua reperienda ait in epistolis S. Ignatii ([6]), in Doctrina XII Apos-

---

11, 52. Ign. Sm. 1, 2. Did. IX, 4 und Fragm. VIII d. Presbyter d. Iren.).

([1]) De qua independentia tamen minime constat. Cfr. Pars I p. 33 ss.

([2]) *O. c.* p. 171 « Das Heiligste und das Högste des 4 Evangeliums, das religiöse Verhältnis Jesu Christi zu seinem Vater. »

([3]) Addit adhuc von der Goltz *l. c.* « Die Neigung des Ign. zum sittlichen Dualismus, welche bei ihm noch wie bei Joannes merh religiösen als naturalitischen Charakter trägt, mag ebenfalls ein Erbteil des Apostels sein.... Ebenso dürfte die Betonung der Liebe und Einheit der Gläubigen um der Einheit mit Christo und dem Vater willen und die glühende Christusliebe des Ign. ein Vermächtnis des Apostels sein. »

([4]) *O. c.* p. 177 « neben hellenistischen und legendarischen Elementen. » Hanc tamen assertionem non probavit eruditus Auctor.

([5]) *D. G.* (3ª ed.) I, p. 94 n. 1.

([6]) Quas tamen a Joannis evangelio probabilius immediate pendere suprà (p. 33 ss.) diximus.

tolorum, in epistola Barnabæ, in II epistola S. Clementis et in Herma Pastore.

Hanc autem inquisitionis viam ex professo P. Ewald ingressus est (1), et magna cura joannearum idearum cum reliquis sive canonicis sive extracanonicis scriptis connexionem ostendit. Qui loca parallela ab hoc auctore adducta examinabit, persuasum habebit multa doctrinæ elementa specifice joannea in scriptis quarto evangelio anterioribus vel coævis inveniri. Ex illa comparatione vere probatur joanneam de Christo imaginem a primæva traditione haud ità discrepare ut quidam autumarunt.

---

(1) In opere jam pluries citato : « *Das Hauptproblem der Evangelienfrage* » vers. neerl. Jonker (1892) : *De voornaamste vraag van het onderzoek betreffende de Evangelien en de weg tot hare beantwoording.* — Cfr. p. 26 s. et præs. p. 71 ss. — Ità scribit p. 26 s.: « De buiten-Synoptische Evangelische literatuur van het oude Christendom getuigt voor het historisch karakter van wat de vierde Evangelist meedeelde, terwijl zich uit tal van merkwaardige parallellen de bekendheid van verschillende auteurs met het Johanneisch materieel, inzonderheid met de door Johannes bewaarde toespraken van Christus laat bewijzen..... Wij willen, om een enkel voorbeeld aan te voeren, wijzen op het gebruik dat in den brief van Jakobus (1, 17 vervl.) van het gesprek met Nikodemus gemaakt is, op den terugslag dien Paulus Rom. 6, 15 verv., en Gal. 5, 1 vervl. en elders geeft op de Joh. 8, 30 vervl. ontwikkelde gedachten, op de « Anklänge » aan het hoogepriesterlijk gebed, vooral I Kor. 1, 1-9. Dit bewijs kan men inderdaad bijna over al de in het Johannes-Evangelie voorkomende toespraken uitbreiden en wel met dit gevolg, dat men zal moeten toestemmen dat de Joanneïsche elementen in de nieuwtestamentische schriften, buiten de Evangelien, tegen de Synoptische elementen, die daarin voorkomen, tamelijk wel opwegen, terwijl zij ook in de oudste buitenkanonieke letterkunde ten minste niet ontbreken. En hieruit volgt tevens dat dit Joanneïsch materieel — de gedeelten die de toespraken teruggeven zijn zeker ook niet geheel zonder historische omlijsting gebleven — niet minder dan het Synoptische, in de gemeente het voorwerp van de overlevering en de algemeene verbreiding geweest is. »

CAPUT V

De Apostoli Joannis in quarto evangelio anonyma designatione (1).

Varia quæ hucusque de quarto evangelio exploravimus indicia interna, sententiam ope traditionis historicæ de evangelii auctore stabilitam confirmarunt.

Propriam hujus evangelii indolem testi immediato vitæ doctrinæque Christi haud repugnare, multiplici ratione suadetur, dum in ipso textu variæ assignantur causæ quæ, peculiarem illum concipiendi modum in anima auctoris genuerunt.

Etenim scriptor se indubie prodit judæum origine, e Palæstina oriundum, Christo coævum, rerumque narratarum testem oculatum, propria fidentem scientia, ità ut in summas impingat difficultates, qui quarti evangelii auctorem negat virum fuisse apostolicum.

Quæstio autem fit, utrum nomen auctoris, in scripto nullibi explicite consignatum, ex internis erui possit criteriis ?

Jamvero, omnibus rite perpensis indiciis, cum fiducia respondemus auctoris nomen in ipso evangelio haud obscure innui. Joannes, Zebedæi filius et apostolus, modo anonymo scriptum quasi obsignavit.

---

(1) Cfr. Reuss. *La théologie johannique*, p. 95 ss. — Bleek-Mangold *Einl.* p. 353 ss. — Luthardt. *Der joanneische Ursprung*, p. 141 ss. — Godet. *Commentaire*, I p. 339 ss. — O. Pfleiderer. *Das Urchristenthum*, p. 784 s. — Thoma. *Die Genesis des Johannes-Evangeliums*, p. 796 s. — Lightfoot. *Biblical essays*, p. 39 ss. — Holtzmann. *Einl.* p. 454. — Zahn. *Einl.* II p. 466 ss. — Batiffol. *Six Leçons*, p. 113 ss. — Knabenbauer. *Evangelium secundum Joannem*, p. 7 ss.

Verùm antequam illa omnia indicia examinemus, hypothesis quædam a pluribus olim criticis accepta, sed hodie fere communiter derelicta, eliminanda est, hypothesis scil. illorum qui tenent falsarium quemdam apocryphum opus Joanni apostolo supponere voluisse.

Etenim, modus iste quo falsarius opus suum Joannis apostoli auctoritate commendare voluisset omnino ineptus fuisset, omniumque apocryphorum methodo plane oppositus. Nam apocryphi libri omnes originem suam suspectam prodere solent, eo ipso quod nomen scriptoris cui adjudicari volunt, in loco conspicuo atque eminenti ponunt (1), ipsiusque auctoritati insistunt ut eo facilius accipiantur. In quarto autem evangelio præcise oppositum obtineret : character auctoris apostolicus nullibi proprie eminet; de ejus ad apostolatum vocatione expresse sermo non habetur, siquidem nomen ejus ex industria tacetur, et ad illud nomen cognoscendum sat magna requiritur mentis attentio. Res ità patet ut, quartum evangelium, in hypothesi suppositionis, verum foret « monstrum litterarium ». Auctor qui talem obscurum seipsum designandi modum eligit, evidenter in fama ac notitia confidit quibus apud eos fruitur ad quos scriptum suum destinatur.

Cæterùm argumentum libri internum ejusque indoles tali suppositioni directe adversantur. Etenim, qui scriptum suum Apostolo cuidam auctori tribuere voluisset, erga synoptica evangelia, in communitatibus jam accepta et

(1) Apposite Reuss, *Théologie johannique*, p. 100: « Les ouvrages supposés trahissent généralement leur origine d'une manière bien plus directe et s'appliquent surtout à accentuer les noms qui doivent leur servir de passe-port. Ici, nous ne voyons rien de pareil. L'auteur, en supposant qu'il ait voulu en imposer à ses lecteurs, aurait sans doute éprouvé le besoin de se poser comme apôtre d'une manière directe. Mais, il y songe si peu, qu'il n'ajoute pas même au nom du seul Jean qu'il y introduit nominativement l'épithète du Baptiste qui lui est donnée partout ailleurs. On serait donc plutôt autorisé à dire qu'il tenait à faire oublier qu'il y en avait encore un autre qui a pu jouer un rôle dans cette histoire. »

auctoritate donata, talem independentiam qualis deprehenditur in quarto evangelio, ostendere ausus non fuisset. Talis igitur hypothesis ut anticritica definitive rejicienda est.

Suppositionis igitur hypothesi repudiata, manet ut omnia indicia anonymam auctoris designationem spectantia colligamus, ea invicem conferamus, atque eorum interpretationem inquiramus.

Imprimis personam Joannis apostoli eminentem in evangelio locum obtinere, ex variis indiciis certum est. Etenim e synopticis evangeliis Jesum tres discipulos speciali amore prosecutum esse novimus ([1]), et in ipso quarto evangelio de discipulo « quem diligebat Jesus » sermo fit (Jo. XIII, 23; XIX, 26; XX, 2; XXI, 7, 20). Jamvero, discipulus « quem diligebat Jesus » in fine Evangelii cum hujus auctore identificatur XXI, 24 : « Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et *scripsit hæc* ».

Cæteroquin quarti evangelii auctorem inter Christi intimiores discipulos esse quærendum constat ex Jo. I, 14 et 16 coll. I Jo I, et IV 14 (de quibus textibus statim infrà quæstio recurret) : Scribens enim his locis explicite se illis annumerat quibus familiaribus usus fuit Christus.

Quisnam autem fuit ille dicipulus speciali modo dilectuo ?

E tribus apostolis illis, Jacobus Zebedæi non est cogitandus, cum in Palæstina diu ante scriptum quartum evangelium martyrium passus sit (Act. XII, 2) ; nec Petrus est discipulus ille « quem Jesus diligebat », cum huic discipulo Petrus in quarto evangelio pluries juxtaponatur, atque explicite ab eo distinguatur (Jo. XIII, 24; XVIII, 15 ss.; XX, 2 ss.; XXI, 7, 20 ss.). Remanet igitur ut anonymus ille discipulus fuerit apostolus Joannes.

Hæc identificatio auctoris Joannis cum anonymo quarti

([1]) Cfr. *Mt.* XVII, 1 ; XXVI, 37. — *Mc.* V, 37 ; IX, 2 ; XIV, 33 ; *Lc.* VIII, 51 ; IX, 28.

evangelii discipulo aliis internis indiciis confirmari potest. Ità animadversione dignum est omnia illa adjuncta quibus anonymus apostolus interfuit, accurate et vivido colore exponi, uti apparet v. g. in notitia circa Joannem Baptistam et circa priorum discipulorum vocationem, in sermonibus Christi in ultima cœna, in variis judicii et mortis Christi adjunctis, et demum in Christi ad mare Tiberiadis manifestatione (c. XXI).

Locus Jo. I, 35-39 speciali attentione dignus apparet. Ità v. 35 ss., « duo discipuli » quorum nomina non traduntur, a Christo assumuntur tanquam apostoli. Infrà v. 40 unius ex duobus Andreæ scil. nominatim mentio fit, et de eo dicitur v. 41 : « Εὑρίσκει οὗτος πρῶτος τὸν ἀδελφὸν τὸν ἴδιον Σίμωνα ». Eo ipso innui videtur alium « ex duobus » discipulis etiam fratrem suum invenisse. E synopticis autem evangeliis novimus præter fratres Andream et Simonem Petrum, duos alios in apostolorum collegio fuisse fratres, « filios Zebedæi » (Jo. XXI, 2) scil. Jacobum et Joannem. Auctor implicite ergo se tanquam Andreæ socium designat; est igitur unus ex « duobus aliis » fratribus. Cùm de Jacobo Zebedæi, ut suprà dictum est, tanquam de evangelii auctore quæstio esse nequeat, remanet ut Joannes in hoc loco se ipsa narratione implicite designaverit.

Illa anonyma Apostoli Joannis designatio factum est magna attentione dignum, præsertim cùm in quarto evangelio alii apostoli suo nomine appellentur. Quomodo igitur factum illud explicandum est ?

Autumat Harnack (1), omnia naturaliter explicari si discipulus quidam nomine Joannes erga Joannem apostolum magistrum suum devotus loqui censeatur.

---

(1) *Chron. A. C. L.* I p. 677 n. 1. « Johannes heisst der Zebedäide in Evangelium niemals. Warum wird er nicht mit seinem einfachen Namen genannt wie die anderen Jünger alle, sondern mit einem Namen, der nur die Verehrung seiner Person geben durfte ? Wenn ein verehrungsvoller Schüler hier spricht, der selbst « Johannes » hiess, so ist Alles klar. »

Ast, non videmus imprimis quomodo auctor ab apostolo diversus, saltem Joannem Domini præcursorem titulo « Baptistæ » non designasset, cum ille saltem inter duos Joannes distinguere debuisset. Insuper, quomodo ille discipulus saltem membra e Joannis apostoli familia nomine suo non vocasset? Ità frater apostoli Jacobus in narratione de primorum discipulorum vocatione nomine non citatur (c. I, 35 ss.). C. XIX, 25 matris Joannis apostoli nomen non enunciatur (1), cum tamen aliarum mulierum proferentur nomina. C. XXI, 2 : Jacobus et Joannes qui in apostolorum catalogis post Simonem Petrum recensentur, in quarto evangelio simpliciter tribus apostolis nomine citatis Petro, Thomæ, Nathanael postponuntur et obscuro titulo « *et filii Zebedæi* » designantur.

Jam vero, an illa quam sibi auctor indubie animo proposuit, constans omissio nominis trium personarum quæ priora in Christi comitatu loca obtinebant, et de quibus in quarto evangelio sæpius sermo fit, *naturaliter* explicatur in hypothesi discipuli cujusdam *Joannis* vocati evangelium scribentis ? Nobis saltem omissio inexplicabilis apud discipulum magistro suo addictissimum apparet. Talis enim discipulus probabiliter nihil antiquius habuerit, quam ut, data occasione, magistrum ejusque consanguineos in eminenti ac conspicuo loco poneret eorum nominibus quam sæpissime adductis. Imo, tantum abest ut nominis identitas eum a magistri nomine adducendo cohibuisset, ut potius distinctionem claro modo affirmasset, vel saltem modo omnino objectivo (2) de Joanne apostolo locutus fuisset.

---

(1) Juxta sententiam quæ fundata sua probabilitate non caret. Vel si quibusdam versionibus (syr. copt. pers.) quæ legunt « *et* » Maria Cleophæ fides adhibenda non est, argumenti vis non omnino evanescit, cum tunc ipsa Joannis matris praesentia non commemoraretur. (Cfr. *Mt.* XXVII, 56 ; *Mc.* XVI, 1).

(2) Ait quidem Harnack *l. c.* « Einmal wird übrigens in dem Buche c. 21, 2 ganz objectiv von « den Zebedaïden » gesprochen. » Sed de more auctoris juxta hunc locum immerito judicaretur, cum sit

Jam vero, an ità procedit quartus evangelista ? Nemo præterea qui psychologiæ apostoli attendit, ejusque de Christi divina natura intimam persuasionem perpendit titulum « discipulus quem diligebat Jesus » sibi ipsi tributum vitio vertere vellet, quasi de eo vanam gloriam ostendat. Nedum apostoli scribentis humilitati opponi debeat illa appellatio, est potius a parte discipuli ferventi amore erga magistrum affecti, ejusque vitam describentis ingenui gratique animi testimonium. An idcirco S. Pauli testimonium in suspicionem venit quia pluribus in locis de gratia apostolatus sibi ipsi gratulatur ?

Sed examinandi jam veniunt loci quidam cum anonymo Joannis apostoli designationis modo conferendi.

Primus locus attendendus C. I, 14 occurrit : « καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ ». Auctor igitur se vidisse testatur gloriam Verbi quod caro factum, « quod habitavit in nobis » (græce ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν). Quæstio fit de quanam visione agatur ? Jam vero, ex toto orationis contextu evidens fit auctorem publicam Verbi in Jesu manifestationem intendere, unde verba hæc Maldonati (1) omnino nostra facimus: « Credo... voluisse Joannem *verbo a tabernaculo deducto* significare Verbum Dei non tanquam indigenam in patria sua, sed tanquam hospitem et peregrinum in aliena apud nos ad tempus tantum habitasse ». — Verbum igitur « ἐθεασάμεθα » ad generationem auctori coævam refertur, præsertim ad cœtum discipulorum (2).

---

unicus locus in quo ambo fratres simul nominantur. Non autem videmus cur in enumeratione scribere debuisset auctor: « discipulus ille quem diligebat Jesus et frater ejus, et alii ex dicipulis ejus duo. »

(1) Cfr. Maldon. *Ed. moguntina* 1602 p. 423.

(2) Cfr. Loisy. *R. H. L. R.* 1897 p. 253 s. qui addit : « L'évangéliste parle comme un témoin oculaire de la vie de Jésus, et les personnes qu'il s'associe doivent être dans les mêmes conditions. Toutefois la distinction des anciens disciples qui ont vu, et des fidèles qui depuis ont cru sans avoir vu, n'est pas accentuée dans ce passage, si bien que le témoignage apostolique, le seul qui serait visé si on interprétait le texte à la rigueur, se confond presque dans la perspec-

Nec displicent hæc Toleti (1) verba: « Evangelista narrati mysterii reddit testimonium ex visu. Posset enim peti ab eo, quomodo scis Verbum factum carnem, et habitasse in nobis ? Vidimus inquit, testes sumus oculati. Verbum græcum visum diligentem et attentum significat, quasi aspeximus et considerate vidimus, non quidem ipsum Verbum in se, quia corporeis oculis videri non potest, sed in sua gloria et splendore ab eo procedente... His etiam verbis declarat Joannes non sic Verbum carnem factum in nobis habitasse, ut occultaret se Dei Verbum et filium esse, sed splendorem suæ divinitatis multifariam dedisse, nempe prædicatione, innumeris et inauditis miraculis, morte et resurrectione sua, transfiguratione ». Et revera initio scripti hujus historici quod Christi terrestrem vitam narrandam suscipit, verbum « ἐθεασάμεθα » rerum narrandarum authentiæ seu veritati stabiliendæ destinatur.

Ulterius, quum primæ Joannis epistolæ auctoris identitas cum quarti evangelii auctore ab omnibus criticis accepta sit, jam ex hac epistola argumenta depromere licet. In illa autem epistola C. I, 1 ss. talis occurrit textus unde auctorem vitæ Christi testem oculatum fuisse, omnino constare videtur. Ità sonat : 1. « Ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς, ὃ ακηκόαμεν, ὃ ἑυράκαμεν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν, ὃ ἐθεασάμεθα καὶ αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν, περὶ τοῦ λόγου τῆς Ζωῆς. 2. Καὶ ἡ Ζωὴ ἐφανερώθη, καὶ ἑωράκαμεν καὶ μαρτυροῦμεν καὶ ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν τὴν Ζωὴν τὴν αἰώνιον, ἥτις ἦν πρὸς τὸν πατέρα καὶ ἐφανερώθη ἡμῖν. 3. ὃ ἑωράκαμεν καὶ ἀκηκόαμεν, ἀπαγγέλλομεν καὶ ὑμῖν, ἵνα καὶ ὑμεις κοινωνίαν ἔχητε μεθ' ἡμῶν. »

Jamvero, hoc tanquam omnino indubium ponimus : in textu citato auctorem expresso modo ac cum instantia loqui de visione oculata et corporali. Adeoque plane rejicienda

---

tive avec le témoignage de la chrétienté contemporaine, pour constituer le témoignage unique de ceux qui ont vu Jésus, la distance qui sépare l'âge proprement apostolique de l'époque plus récente où écrit l'auteur étant hardiment supprimée ou négligée comme accessoire. »

(1) *Comm. in S. Joannis ev.* Coloniæ Agrippinæ 1589 p. 84.

nobis videtur sententia Harnackii, qui in illo textu de spirituali quadam visione agi contendit (2), hancque significationem antithetico modo eruit ex historia Thomæ, quæ c. XX, 20, ità concluditur : « ὅτι ἑώρακάς με πεπίστευκας ; μακάριοι οἱ μὴ ἰδόντες καὶ πιστεύσαντες ».

Hanc sententiam ejusque probationem expresse rejicimus. Sane tales apud Joannem textus reperiri in quibus « videre » de visione spirituali intelligi debeat, minime negamus. Sed quominus I Jo. 1 ss. de visione seu cognitione spirituali interpretemur, obstant imprimis multiplices definitiones sensibiles atque corporales quibus auctor visionem suam determinat « ὃ ἀκηκόαμεν, ὃ ἑωράκαμεν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν » etc.; et ut nullum supersit dubium : « καὶ αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν, περὶ τοῦ λόγου τῆς Ζωῆς ». Agitur evidenter de corporali manifestatione Verbi, quam « vidit » auctor, de qua « testatur » quamque aliis « annuntiat » (1).

---

(2) *Chron. A. C. L.* I p. 676 : « Die nächstliegende, ja m. E. einfach gebotene Annahme, dass er sich hier (19, 35) von dem Augenzeugen unterscheidet und damit überhaupt seine eigene Augenzeugenschaft, also auch seine Identität mit dem Johannes, der unter dem Kreuz gestanden haben soll, in Abrede stelt, kann durch scheinbar so starke Stellen, die die Augenzeugenschaft des Verfassers zu fordern scheinen, wie ep. I, 1, 1 f. und ev. 1, 14 nicht erschüttert werden. Man darf nicht vergessen, dass ein Mystiker redet, der einerseits (1, 18) schreiben kann : Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακεν πώποτε, andererseits III ep. 11 ὁ κακοποιῶν οὐχ ἑώρακεν τὸν Θεὸν und I ep. 3, 6 ; πᾶς ὁ ἁμαρτάνων οὐχ ἑώρακεν (θεὸν) οὐδὲ ἔγνωκεν αὐτόν. Was das für ein Hören, Sehen, Beschauen, Betasten ist, welches er meint (auch 1, 14) geht aus der Thomasgeschichte antithetisch hervor, die (c. 20, 29) mit den Worten schliesst : ὅτι ἑώρακάς με πεπίστευκας ; μακάριοι οἱ μὴ ἰδόντες καὶ πιστεύσαντες. Diese Stelle beweist doch wohl, dass er irdisches Sehen usw. I Joh. 1, 1 f. nicht im Sinne haben kann. » — De argumento quod in suæ sententiæ favorem ex *Apoc.* c. XXI, 14 deducit, jam supra (p. 59) actum fuit.

(1) De modo quo hæc prima Joannis epistola ad reliquam Joannis in Asia minori activitatem necnon ad ipsum evangelium referatur cfr. B. Weiss, *Einl.* p. 434 : « Eine Abhandlung ist die Schrift in keinem Fall, es sind weder theoretische noch praktische Fragen, die der Verfasser erörtert, in denen er seine Ansichten Zweifeln oder Bestrei-

Obstat præterea aperta atque distincta oppositio ab auctore intenta inter seipsum qui vidit etc. et credentes qui non viderunt, non audierunt, non perspexerunt, neque manibus contrectaverunt Verbum vitæ, quibus scil. annuntiat auctor quod vidit et audivit, ut et illi societatem cum eo habeant.

Probationem ab Harnack ex ev. c. XX, 29 allatam non admittimus, neque antithesim cum 1 Jo. I, 1 ss. intelligimus : in utroque enim loco visio corporalis cognitioni per fidem acquisitæ opponi videtur ; quatenus scil. ex una parte Thomas qui Christum vidit oculis corporeis, opponitur eis qui credere debent quin sensibili modo videant, et ex alia parte epistolæ auctor explicite exhibet suam realem atque materialem visionem tanquam fidei argumentum iis qui ità non viderunt.

Textus igitur 1 Jo. I, 1 ss. si quid significat, de visione oculata et sensibili quam auctor sibi vindicat, est interpretandus. Sane ex eo locus Jo. I, 14, in quo visio auctoris factum Incarnationis et inhabitationis Verbi tanquam objectum habet, solidam confirmationem mutuatur.

Horum autem locorum Jo. I, 14 et 1 Jo. I, 1 ss. maxime ratio habenda est, et contra sanæ interpretationis regulas peccaret qui locos forsan obscuriores eis ante-

---

tungen gegenüber vertheidigt ; es sind Meditationen über die grossen Grundwarheiten, in denen er mit den Lesern eins ist, die er bald von dieser, bald von jener Seite beleuchtet, die er in kontemplativer Weise ausspinnt und in ihren Konsequenzen für das Leben darlegt. Aber diese Meditationen sind nicht Selbstzweck, immer wieder geben sie in direkte Paränese über ; und es ist kein ideales Publicum, an das er dieselben richtet. Wie 1, 3 f., so tritt es immer wieder hervor, dass es ein bestimmter Kreis ist, für den und an den er schreibt (2, 1, 7 f. 12 ff. 21, 26, 5, 13). Es ist der ihm bekannte Kreis, in dem er wirkt und mit dem er sich darum gelegentlich zusammenfasst (2, 19), *der seit lange schon das Evangelium empfangen hat* (2, 7), in dem er sich selbst die verscheidenen Altersklassen vergegenwärtigt (2, 12 ff.), den er von Irrthümern bedroht sieht (2, 26, 3, 7), von dem er Lobendes zu sagen weiss (2, 20 f. 4, 4). »

poneret, ut definitivam in tanti momenti materia sententiam ferret. (1)

Jam autem veniamus ad alios locos, imprimis ad c. XIX, 35, ubi post narratam transfixionem lateris Christi dicitur : « Καὶ ὁ ἑωρακὼς μεμαρτύρηκεν, καὶ ἀληθινὴ αὐτοῦ ἐστὶν ἡ μαρτυρία. κἀκεῖνος οἶδεν ὅτι ἀληθῆ λέγει ἵνα καὶ ὑμεῖς πιστεύσητε. » Cum interpretibus catholicis fere omnibus et cum ipso Harnack (2) hunc versiculum ab ipso evangelii auctore scriptum fuisse tenemus. Sed statim oritur quæstio utrum, ut Harnack autumat, hic versiculus discipuli cujusdam Joannis apostoli prodat manum ?

Sane, ut jam notavimus, immerito hîc a Jo. I, 14 et 1 Jo. I, 1 ss. abstractio fieret, cum contrà cum his textibus præsens locus omnino conferendus appareat. Ast, etiam si in seipso inspiciatur ab istis secretus, videndum est utrum ab auctoris methodo abhorreat et originis ab apostolo Joanne impossibilitatem demonstret. Negative respondendum esse censemus. Etenim, quod auctor ante omnia hîc affirmare intendit, firmum est fundamentum cui lectorum fides innititur : « ἵνα καὶ ὑμεῖς πιστεύσητε » : ad hoc autem non tertiæ cujusdam personæ auctoritas, sed ipsius auctoris oculatum testimonium expectatur. Cæterum præsens tempus notetur : « κἀκεῖνος οἶδεν ὅτι ἀληθῆ λέγει ». Quomodo autem hoc explicetur in sententia illorum qui cum Har-

---

(1) Cfr. A. Van Hoonacker, *Revue biblique internationale*, 1900, p. 230, ubi doctissimus auctor, priorem operis nostri partem dijudicans, scribit: « L'auteur affirme expressément et avec emphase qu'il fut le témoin oculaire des faits évangéliques (*Ev.*, I, 14 coll. *Apoc.*, I, 2 ; I *Ep.* I, 1). Il est vrai qu'en d'autres passages il est question d'une vision de Dieu au sens moral et spirituel, comme I *Ep.*, III, 6 ; III *Ep.*, v. 11 : « le pécheur n'a point vu ni connu Dieu » ; tandis que d'autre part, *Ev.* I, 18, il est dit que « personne n'a vu Dieu. » On ne voit point comment ces passages, qu'on les compare entre eux ou avec ceux où l'auteur affirme qu'il a vu ce qu'il atteste, seraient de nature à modifier ou à infirmer la portée de ces derniers. Le témoignage que l'auteur se rend à lui-même est confirmé par le ton et par bien des détails de ses récits.»

(2) *Chron. A. C. L.* I p. 675.

nack quartum evangelium post Joannis apostoli mortem scriptum fuisse tenent, non videmus. Ab alia parte tempus præteritum « μεμαρτύρηκεν » modo plane naturali interpretari licet non de solo testimonio scripto, sed et de testificatione orali per universum vitæ apostolicæ cursum reddita (1). Insuper ut Weiss optime notat (2), voce ἐκεῖνος *ipsum loquentem* in quarto evangelio designari posse ex c. IX, 37 apparet, ubi cæco nato « quis sit Filius Dei » petenti Christus, seipsum designans, respondit : « Καὶ ἑώρακας αὐτὸν, καὶ ὁ λαλῶν μετὰ σοῦ ἐκεῖνός ἐστιν (3). » — Nihil igitur obstat quominus ipse Apostolus Joannes tertiâ verbi personâ seipsum designet. Hîc autem hanc ipsius apostoli designationem de facto obtinere, probatur ex hoc quod narrator testis sui veracitatem quidem, non vero ipsius testis de sua veracitate persuasionem stabilire valet (4), quam

---

(1) Ità A. Van Hoonacker, *l. c.* « Le passage XIX, 35, loin de distinguer l'auteur du témoin oculaire mis en cause, semble bien plutôt supposer leur identité. Le *parfait* employé dans le premier membre ne contredit point cette supposition ; il se justifie pleinement comme allusion à toute la vie passée, apostolique de l'évangéliste ; celui-ci avait attesté le fait dans sa prédication orale. D'autre part le *présent* employé dans le second membre semble difficilement se comprendre en dehors de l'hypothèse que c'est le témoin oculaire lui-même qui tient la plume. »

(2) *Einl.* p. 460 n. 1.

(3) Cfr. etiam *Jo.* XVII, 3 ubi Christus pariter modo objectivo de seipso loquitur. Nec. ut notat Weiss, *Einl.*, p. 561, n. 1, objici potest *Jo.* XX, 30 : « Dass er aber ganz objectiv von den Zeichen redet, die Jesus vor den Jüngern that, kann ihn, der nirgends von sich in erster Person redet, nicht von diesen μαθηταί ausschliessen. » Cfr. etiam II *Cor.* XII, 1 ss.

(4) *Einl.*, p. 560 n. 1 : « Allein dass mit ἐκεῖνος der Redende auch auf sich selbst hinweisen kann, zeigt 9,37 ; und hier (sc. 19, 34) muss es so genommen werden, da der Erzähler wohl die Wahrhaftigkeit, aber nicht das Wahrhaftigkeits*bewusstsein* seines Zeugen bekräftigen könnte. (Vgl. Steitz St Kr. 1859, 3 ; 1861, 2 und Buttmann, ebendas. 1860, 3 ; Z. f. W. Th. 1861, 2). » — Cfr. G. Wetzel. *Die Echtheit und Glaubwürdigkeit des Evangeliums Joannis aufs neue untersucht und verteidigt.* I, Leipzig, 1899, p. 11 : « Was der Zeuge *sagte,* das konnte ein anderer

intimam persuasionem verba « κἀκεῖνος οἶδεν ὅτι ἀληθῆ λέγει » expresse exhibent (1).

Cæterum, distinctione inter apostolum testem oculatum et discipulum ejus admissa, nedum solvatur contrà magis implicatur difficultas solvenda. Quomodo enim discipulus ille mediatus modo tam obscuro narrationis suæ testem proponere potuit ? Cur saltem hoc loco ejus auctoritatem non clare prædicat ? Discipulus ille in apostolum magistrum venerabundus ità locutus fuisset in hypothesi Harnackii, ut omnes generatim lectores circa evangelii scriptorem in errorem necessario induci debuissent. Et, ut iterùm dicamus, etiam si homonymus scribebat, eo magis ad suam ab apostolo homonymo distinctionem nitide affirmandam tenebatur.

Remanet ultimus locus examinandus, nempe c. XXI,

---

wissen. Dagegen was der Zeuge *wusste*, das konnte der Schriftsteller nur dann wissen, wenn er selber der Zeuge war, da niemand imstande ist, einem andern ins Herz hineinzulesen. Wollte der Evangelist wirklich so verstanden werden, dass er das Wahrheitsbewusstsein eines anderen bezeuge, so würden seine Worte etwas an sich Unmögliches aüsdrucken und könnten daher nur ironisch verstanden werden im Sinne von : Mein Zeuge behauptet zu wissen, dass er die Wahrheit rede, ich weiss es nicht. Das aber der Evangelist seinen Zeugen nicht verspotten will, liegt doch auf der Hand. »

(1) Zahn, *Einl.*, II, p. 474 : « Der Gedanke aber, dass der Vf. selbst der vollen Wahrheit seines Berichts oder seiner Aussage über seine Augenzeugenschaft sich bewusst sei, wäre nicht so, sondern etwas durch αὐτὸς οἶδεν oder (αὐτὸς) ἑαυτῷ σύνοιδεν auszudrücken gewesen. Auch abgesehen davon aber wäre nicht verständlich, welchen Wert diese Berufung auf das eigene Gewissen des Vf. für die Leser haben sollte... Also aus sachlichen wie aus sprachlichen Gründen ergibt sich, dass der ἐκεῖνος, auf dessen Wissen der Vf sich beruft, ein Anderer und ein Höherer ist, als er selbst. Eine leere Phrase aber wäre dies, wenn der Andere, welchen er damit als Zeugen über die Wahrheit seiner Aussage anruft, ein gestorbener Mensch wäre, welcher als solcher sich weder bejahend noch verneinend äussern kann. Auch Gott kann nicht gemeint sein ; denn dafür würde ὁ θεὸς οἶδεν der allein natürliche Ausdruck sein. Dagegen entspricht es dem Sprachgebrauch des Jo, mit ἐκεῖνος auf Christus hinzuweisen... Eine solche Versicher-

v. 24-25 (1): « Οὗτος ἐστιν ὁ μαθητὴς ὁ μαρτυρῶν περὶ τούτων καὶ γράψας ταῦτα καὶ οἴδαμεν ὅτι ἀληθής ἐστιν ἡ μαρτυρία αὐτοῦ etc. »

Quæstio imprimis oritur utrum hi duo versus ipsius evangelii scriptoris sint vel alterius. Casu autem quo, uti quidam opinantur, non ab ipso auctore scripti fuerint, valde cito eos ab aliena manu evangelio adjunctos fuisse constaret, cùm in omnibus omnino manuscriptis appareant. Hoc autem additamentum — si tamen additamentum dicendum sit — in ipso loco in quo editum fuit quartum evangelium annexum fuisse, nemo est qui negabit. Secus enim, cùm jam in priori sæculi secundi parte in pluribus ecclesiis notum usitatumque fuerit evangelium, illi versus in omnibus manuscriptis et codicibus non invenirentur.

Opinatur autem Harnack versum 24 a pluribus (οἴδαμεν) qui mortem Joannis in vv. 20-23 supponi non animadverterant, annexum fuisse. Unde in v. 24 existimat reperiri indicium haud obscure quartum evangelium in ipsa ecclesia Ephesina scienter et deliberate tanquam Joannis apostoli opus editum fuisse, adeoque plane deliberate presbyterum Joannem cum apostolo fuisse identificatum (2).

---

ung hat den Wert eines *Eides*. Das ist der Gipfel, in welchen das gesamte Selbstzeugnis des Ev hinausläuft. — Attamen contra primum argumentum a Zahnio allatum, paritas hujus loci cum *Jo.* IX, 37 merito videtur alleganda ; contra rationem secundam autem stare videtur nexus cum verbis « ἵνα καὶ ὑμεῖς πιστεύσητε », unde apparet oculatum testimonium scribentis ejusque veracitatis intimam persuasionem (in qua solemnis continetur asseveratio) proponi tanquam lectorum fidei solidum argumentum : huic vero nexui mutatio subjecti a Zahnio proposita opponi videtur. Attamen, in interpretatione Zahnii nihil, ut patet, hujus versiculi joanneæ origini contradicit.

(1) Caput XXI ab eadem manu ac reliquum evangelium scriptum fuisse, ex unanimi jam criticorum consensu, initio (p. 27, n. 1) supposuimus.

(2) *Chron. A. C. L.*, I, p. 676 s. : « Diejenigen aber, welche den 24 Vers hinzugefügt haben, bedachten oder sahen nicht, das der Tod des Zebedaïden angedeutet war. Ihnen kam es nur darauf an, durch eine

Ad primum quod attinet, mortem Apostoli vv. 20-23 supponi non admittimus. Etenim hic rumor « quia discipulus ille non moritur » exiit « inter fratres », *vivente adhuc apostolo*, uti patet. Jamvero quid impedit quominus ipse apostolus erroneam dominici verbi interpretationem (1) corrigere voluerit? Dein, si revera jam mortuus esset Apostolus, ipseque evangelii finis ad corrigendum errorem « quia discipulus ille non moritur » fuisset scriptus, impossibile erat quominus de hac flagranti contradictione non cogitassent falsarii. Etenim ipse Harnack affirmat (2) peculiarem in quarto evangelio ostendi sollicitudinem erga filium Zebedæi non tantum ab evangelii auctore, verum etiam a

---

Randbemerkung zu constatiren, dass das ganze Evangelium vom Apostel geschrieben sei, und so stellten sie in v. 24 ihr unberufenes Zeugniss hinzu, das durch v. 23 als unrichtig aufgedeckt wird. » Et *o. c.* p. 679 s. : « Der 24. Vers des 21. Cap. des 4. Ev. s, den wir eben besprochen haben, wird immer ein starkes Indicium dafür bleiben, dass man in Ephesus geflissentlich das 4. Evangelium für ein Werk des Apostels nachtrüglich ausgegeben, somit den Apostel und den Presbyter absichtlich identificirt hat. » Cfr. etiam quoad primum punctum Bovon, *Théologie du Nouveau Testament*, Lausanne, 1893, t. I, p. 171, n. 1.

(1) Addit Cornely, *Introductio in U. T. libros sacros III*, p. 236 « aut falso rumori, qui de longævo sene forte tum jam spargi cœperat, occurrere voluit. » — Cfr. A. Van Hoonacker, *R. B. l. c.*, p. 230. « Est-il bien sûr que d'après *Ev.*, XXI, 20-23, l'erreur des disciples est constatée par l'événement ? Ce passage ne pourrait-il pas aussi bien s'expliquer comme une réfutation de l'erreur en vogue ? »

(2) *Chron. A. C. L.*, p. 678, n. 3 : « In dem 4. Evangelium ist nicht nur ein besonderes Interesse des *Verfassers* für den Zebedäiden Johannes zu constatiren, sondern auch des *Kreises*, für den er zunächtst schreibt ; ja in diesem Kreise war auf Grund eines angeblichen Herrnwortes die merkwürdige Meinung im Umlauf gewesen, der Zebedäide werde niemals sterben (Joh., 21, 23), und als er nun doch gestorben war, schien das Herrnwort Lügen gestraft zu sein. Diese Thatsache zeigt nicht, dass der Zebedäide in Asien gestorben ist, aber eine ausserordentliche Hochschätzung eben dieses Zwölfapostels in Asien macht es doch wahrscheinlich dass er einmal in Asien gewesen ist und die dortige Christenheit in persönlicher Beziehung zu ihm gestanden hat. »

cœtu ad quem imprimis scribit, in quo cœtu rumor de Apostoli immortalitate sparsus vigebat. In iis autem adjunctis, mortuo jam Apostolo, scriptoque etiam ultimo evangelii capite ad errorem illum corrigendum, inconsiderantia, imo hebetudo illorum qui v. 24 adjunxerunt, minime intelligitur.

Sed, quomodo fraus ipsa (nam vere *suppositum* foret evangelium) in adjunctis illis possibilis fuisset, posito nempe Joannem *ephesinum* evangelii auctorem jam antea Apocalypsin scripsisse, diuque in Asia minori, Ephesi præsertim, evangelium prædicasse; Joannem vero *apostolum* cum Ephesinis brevi tempore conversatum, jam fuisse mortuum, atque de morte magistri sui Presbyterum ephesinum non tantum scripsisse, sed etiam locutum fuisse, nunquam tamen de magistri evangelio verba fecisse? Numquid revera unquam sperare potuissent viri illi falsarii fore ut obscuro atque ænigmatico additamento evangelii conscriptio Apostolo tribueretur, atque præsertim Apostoli in Asia fere ignoti cum magno illo episcopo asiatico identificatio procrearetur? Neque obliviscendum talem fraudulentam substitutionem, in sententia Harnackii, *immediate* post presbyteri mortem locum habuisse, antequam quarti evangelii et primæ joanneæ epistolæ exemplaria innotuerint.

Dein, cùm, juxta Harnack, c. XIX, 35 evangelii scriptor se ab Apostolo expresse secernat, nonne hunc locum, suorum affirmationi directe contradicentem, sustulissent falsarii, cùm ex facta hypothesi necessario primi, imo unici possessores joannei evangelii fuissent? Cur saltem ipsum Apostoli nomen evangelio non apposuissent, cùm identificationem mala fide et destinato scopo prosecuti fuerint?

Quomodocumque igitur c. XXI, 24 explicetur, hypothesis ab Harnack proposita rejicienda apparet: etenim (licet hoc argumentum cum prudentia proponi debeat) nulla de facto — in datis circumstantiis — efficacis deceptionis fundata possibilitas elucet; plures occurrunt textus clari (Jo. I, 14; I Jo. I, 1. ss.) qui testem immediatum et oculatum

produnt, et præsertim anonyma auctoris designatio simul ac inepta c. XXI, 24 adjunctio hypothesi isti contradicunt.

Identificationi igitur duorum « Joannes », cui tot et tanta externa testimonia obstant, internum evangelii testimonium non magis patrocinatur, ità ut qui interno c. XXI, 24 criterio identificationem corroborare conantur, e pluribus aliis textibus contorta interpretatione sese expedire debeant, atque in multo majores incidant difficultates.

Relicta igitur improbabili attentatæ deceptionis hypothesi (1), quomodo c. XXI, 24 explicandum est ?

Imprimis, etiamsi (quod non admittunt auctores multi tam moderni quam antiqui) duo versiculi ab aliena manu annexi dicantur, nedum apostolicæ evangelii origini obstent, potius in antiquissimum favens huic origini testimonium cedere apparent.

Non desunt quidem auctores qui licet diversimode de evangelii origine sentiant (2), de hujus loci conscriptione a reliqui evangelii auctore minime dubitant.

Sane, abscissis duobus illis versibus, modo omnino abrupto evangelicæ narrationi finis imponitur : parum enim probabile est interrogatione : « Ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρὸς σέ ; » opus fuisse absolutum. — Præterea, licet verbum « οἴδαμεν » Joannem testantem inter et ejus testimonium confirmantes distinguere videatur, primam personam pluralem (3) de seipso loquens idem auctor adhi-

---

(1) Neque magis admittendum est viros *bona fide errantes*, atque presbyteros evangelium apostolo tribuentes, hos duos versiculos apposuisse: eorum enim versuum in omnibus codicibus atque versionibus præsentia, simul ac hujus rationis ad duorum « Joannes » identificationem explicandam — ex datis circumstantiis — inefficacia, propositæ hypotheseos improbabilitatem manifestant.

(2) Ità Hilgenfeld, *Einl.*, p. 732 : « Dass erst ein Späterer diesen Schluss hinzugefügt haben sollte, ist blosse Behauptung ». — Cfr. Batiffol, *Six Leçons*, p. 115 s.

(3) Schanz, *Einl.*, p. 114 pluralem numerum sequenti modo explicat. « Der Gebrauch der ersten Person des Plural erklärt sich leicht dadurch,

bere dicendus est (Jo. I, 14 ; I Jo. I, 1 ss ; III Jo. 12). Cur hic locus plurali numero I, 14 « ἐθεασάμεθα » assimilari non posset ? Explicatio ibidem (1) a Loisy proposita, huic loco convenientius interpretando nobis arridet. Nempe personæ ad quarum testimonium auctor appellat, testes esse debent oculati factorum in evangelio narratorum, ut vere dicere possint « οἴδαμεν ὅτι ἀληθής ἐστιν ἡ μαρτυρία αὐτοῦ. » — Attamen distinctioni discipulos Christi immediatos inter et christianos scriptioni evangelii coævos auctor non attendere videtur, ità ut testimonium audiatur quasi totius ecclesiæ ephesinæ evangelii scriptionem (γράψας) peractam ab apostolo hujusque veracitatem testantis.

Versum XVI, 24 P. Batiffol ipsa apostoli psychologia seu interna sentiendi ratione explicat (2), quatenus nempe in Joannis conscientia duplex persona distingui possit,

---

dass am Schlusse seines Werkes der Schriftsteller seine apostolische Autorität in den Vordergrund treten lässt und demselben durch das amtliche « Wir » sozusagen das Siegel der apostolischen Bestätigung aufdrückt. » Eberhardt, *Ev. Joh.* c. 21, p. 35 « οἴδαμεν » in v, 24 vertit : « man weiss ».

(1) Cfr. suprà p. 292, n. 3.

(2) *Six Leçons*, p. 115 : « On en vient, dis-je, à se demander si Jean peut écrire de lui-même : « Nous savons que son témoignage est véritable ». M. de Weizsäcker estime qu'une allégation de cette sorte ne peut émaner que d'un disciple de Jean, qu'elle ne saurait avoir été prononcée par Jean lui-même, et que cela est évident.

Oui, mais à une condition difficile, qui sera d'oublier que la psychologie de l'apôtre n'est point la psychologie commune. Il y a comme deux personnes en sa conscience : sa personne et la personne de l'Esprit. Un apôtre qui a l'Esprit de Dieu peut écrire : « Je dis la vérité, je ne mens pas, ma conscience m'en rend témoignage dans l'Esprit-Saint ». Cette hardie parole n'est pas de Jean, elle est de saint Paul (Rom. IX, 1), lequel ne fit pas écrire l'Epître aux Romains par ses disciples. Un apôtre pourrait s'approprier ce que Jésus, dans le quatrième évangile dit de lui-même. « Mon témoignage est véritable parce que je ne suis pas seul, mais moi et celui qui m'a envoyé ». (Jo. VIII, 16). Et c'est dans ce sens que le disciple que Jésus aimait peut écrire : « Celui qui a vu en rend témoignage et son témoignage est véritable. »

persona scil. auctoris atque persona Spiritus Sancti, quo modo S. Paulus dixit Rom. IX, 1 : « Ἀλήθειαν λέγω ἐν Χριστῷ, οὐ ψεύδομαι, συνμαρτυρούσης μοι τῆς συνειδήσεώς μου ἐν πνεύματι ἁγίῳ ». Conscientiam autem quam quarti evangelii auctor de Spiritus sancti cooperatione profitetur, suprà (1) ostendimus.

Mirum igitur ænigma in anonyma Joannis apostoli designatione positum, in sola apostolicæ originis hypothesi solvi potest : reliquæ solutiones propositæ non tantum explicito traditionis testimonio reprobantur, sed internam quarti evangelii indolem magis intricatam reddunt. Omnibus autem attentis internis elementis quæ ad auctorem cognoscendum apta sunt, scrutatoque etiam anonymæ designationis testimonio, quarti evangelii auctor dicendus est vitæ Christi testis oculatus, apostolus Joannes « quem diligebat Jesus », et qui I Jo. I, 1 ss. se testem immediatum irrefragabili modo proclamat.

---

(1) Cfr. p. 308 s.

IMPRIMATUR.

Brugis, 1 Junii 1900.

† G. J. Episc. Brugen.

BS2615.4 .C18
De quarti evangelii auctore ...
Princeton Theological Seminary-Speer Library
1 1012 00029 9877